COMPENDIOSÆ INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

AD USUM SEMINARII TOLOSANI,

Jussu et auctoritate Illustrissimi et Eminentissimi
D. D. Cardinalis

ANNÆ ANTONII JULII DE CLERMONT-TONNERRE;


ARCHIEPISCOPI TOLOSANI ET NARBONENSIS,
GALLIARUM PRIMATIS, ORDINIS REGII SANCTI SPIRITÛS COMMENDATORIS, DUCIS AC PARIS FRANCIÆ, REGNI MINISTRI, REGISQUE A PRIVATO CONSILIO, DOCTORIS SORBONICI, etc., etc., etc.,

in lucem editæ.

TOMUS SECUNDUS.

DE ECCLESIA, DE TRINITATE, DE INCARNATIONE.

Quarta Editio.



TOLOSÆ,
È TYPIS JOANNIS MATTHÆI DOULADOURE.

M. DCCC. XXXV.

TRACTATUS

DE

ECCLESIA CHRISTI.

DEMONSTRATA Religionis Christi veritate, altera nobis de Ecclesiâ, seu de illâ societate in quâ Deus per Christum verè colitur, quæstio solvenda manet. Scilicet, jamdudùm effluxit aurea illa ætas in quâ multitudo credentium erat cor unum et anima una; jam divisi sunt, et etiam nunc in varias sectas dividuntur Christiani, sese mutuis anathematibus impetentes; quælibet ad se veram trahit Ecclesiam: Nostra est hæreditas, inquiunt Græci schismatici; non ita est, reponunt prætensi Reformatores; utrosque verò accusat et condemnat societas Catholicorum, et meritò quidem, ut ex dicendis manifestum fiet. Itaque, ut hæc maximi momenti, si qua unquàm, dirimatur controversia, nobis agendum est, 1.° de proprietatibus veræ Christi Ecclesiæ; 2.° de ipsius characteribus seu notis; agnitâ ope notarum verâ Ecclesiâ, inquiremus 3.° quænam sint membra ejus; 4.° investigabimus penes quos resideat Ecclesiæ auctoritas, qualis sit, et quomodò exerceatur; cùm autem inter Ecclesiæ Pastores primum locum obtineat Romanus Pontifex, Petri successor, agemus tandem 5.° de summo Pontifice. Hinc præsens tractatus quinque dissertationibus continetur, quarum prima erit de proprietatibus

veræ Ecclesiæ; secunda de ipsius notis; tertia de membris ejusdem; quarta de auctoritate ipsius, ubi de judice controversiarum agetur; quinta tandem de Romano Pontifice. Verùm antequàm disputationem aggrediamur, nonnullæ exponendæ sunt et solvendæ

QUÆSTIONES PRÆAMBULÆ.

De nomine, auctore, antiquitate, divisione et definitione Ecclesiæ.

Quæres Itaque 1.° quid significet nomen Ecclesiæ.

Resp. Ecclesiæ nomen, juxta vim græci vocabuli Εκκαλέω significat congregationem; at juxta rem nomine significatam, quandoquè sumitur pro loco in quem fideles ad orandum conveniunt; sæpiùs pro Ecclesiæ tribunali seu Pastoribus in eo sedentibus; accipitur etiam sensu maximè generali, et significat societatem Sanctorum Christo suo capiti legitimè servientium. Cæteras ejusdem vocabuli referre significationes supervacaneum foret; eas enim sufficienter aperiet usus. Multiplex in Scripturis occurrit Ecclesiæ figura: talis imprimìs fuit Arca Noe, in hoc repræsentans Ecclesiam, quòd sicut in Arcâ Noe fuerunt animalia munda et immunda, sic justi et peccatores in Ecclesiâ contineantur; variis quoque parabolis Ecclesiam designavit Christus, quæ quidem omnes, juvandæ memoriæ causâ, sequenti disticho comprehendi solent:

Ecclesiam Christi parabola quina figurat:
Arca, convivium, retia, pascua, ager.

Quæres 2.° quis sit auctor Ecclesiæ.

Resp. Deus, Christus et Apostoli suo modo

concurrerunt ad Ecclesiæ formationem : Deus, tanquam causa efficiens et suprema; Christus ut homo, tanquam causa meritoria et ministerialis præcipua; Apostoli, tanquam ministri inferiores.

Quæres 3.° quandonàm incœperit Ecclesia, et quis fuerit primum ipsius membrum.

Resp. ad 1.um Ecclesia genericè sumpta, et prout abstrahit à variis ipsius statibus, incœpit ab eo tempore quo fuerunt Dei cultores seu fideles Deo sub Christo capite legitimè servientes; ex quo sequitur Ecclesiam in ipsâmet lege naturæ exstitisse.

Resp. ad 2.um Vulgò dicitur Abelem primum fuisse Ecclesiæ membrum, sed hæc assertio infirmis nixa argumentis, validis impugnatur; hinc dico : *Probabile est Adamum et Evam duo priora fuisse Ecclesiæ membra;* illi enim fuerunt priora Ecclesiæ membra, qui ante quemlibet alium Deo sub Christo capite fideliter servierunt : atqui probabile est Adamum et Evam, etc. Quis enim sibi persuadeat protoparentes nostros conversionem suam distulisse usque ad nativitatem vel potiùs usum rationis Abelis? Verùm hæc leviora sunt quàm ut ampliùs illis immoremur.

Quæres 4.° quotuplex sit Ecclesia.

Resp. Unica est Ecclesia, cujus tres partes distinguuntur; prima triumphat in cœlis, et dicitur Ecclesia *triumphans;* secunda expiatur in Purgatorio, et dicitur Ecclesia *patiens;* tertia militat in terris, et dicitur Ecclesia *militans*, quæ tres habuit status : primum sub lege naturæ, ab Adam usque ad Moysen; secundum sub lege mosaïcâ, à Moyse usque ad Christum; tertium sub lege gratiæ, à Christo usque ad finem mundi. Præsens tractatus versatur circa Ecclesiam militantem, sub lege gratiæ.

Quæres 5.° quænam sit legitima Ecclesiæ definitio.

Resp. Legitimè definitur : *Cœtus hominum unius et ejusdem Fidei professione, eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum et præsertìm Romani Pontificis, in terris Christi Vicarii.* Hæc nostra Ecclesiæ definitio à variis variè impugnatur Hæreticis. Cùm autem solutio objectionum, quas adversùs eam intorquent, ex dicendis infrà pendeat, ideò ab illis proponendis consultò abstinemus.

DISSERTATIO PRIMA.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIÆ.

Sex vulgò assignantur Ecclesiæ proprietates, nempè Visibilitas, Perpetuitas, Unitas, Sanctitas, Catholicitas, et Apostolicitas. Verùm quia de quatuor posterioribus, cùm sint totidem Ecclesiæ notæ, in dissertatione sequenti speciatìm dicturi sumus, hìc tantùm de perpetuitate et visibilitate agemus.

CAPUT PRIMUM.

De Perpetuitate Ecclesiæ.

Indefectibilitas seu perpetuitas Ecclesiæ ipsius est constans et nunquàm intermittenda duratio, à tempore institutionis ac confirmationis ejus per Christum, usque ad finem mundi. Hæc ipsius proprietas tot et tam claris nititur momen-

tis, ut inter Hæreticos paucissimi expressè et formaliter eam negare ausi fuerint. Sic Berengarius, XI Ecclesiæ seculo, non modò Ecclesiam interire posse, sed reverà propter admissum Realis Præsentiæ dogma interiisse asseruit.

Protestantes in variis fidei suæ Confessionibus, perpetuitatem Ecclesiæ expressis verbis statuerunt, præsertìm in Confessione Augustanâ : vide Bossuetium, lib. 15 Variat., n.° 7 et seqq.; sed cùm urgerentur à Catholicis ut veram quæ ante Lutheri prætensam reformationem exstabat, ostenderent Ecclesiam, huic petitioni non uno eodemque modo omnes satisfecerunt, ita ut quidam cum Claudio Ministro dixerint Ecclesiam, etsi perpetuam, à visibilitate suâ excidere posse, et in paucis fidelibus, falsarum societatum in quibus degunt hæresi aut perverso cultui non communicantibus perseverare; sed id effugium omninò vanum est, cùm Ecclesia essentialiter visibilis sit, ut ex dicendis capite sequenti patebit.

PROPOSITIO.

Vera Christi Ecclesia perpetua est.

Prob. 1.° *ex Script.* Danielis c. 2, ℣. 44: *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur,... et ipsum stabit in æternum.* Regnum illud ipsum est Christi regnum, sive Ecclesia, ut ipse Daniel interpretatur: atqui regnum prædictum, perpetuum dicitur; ergo, etc. Matth. c. 16, ℣. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Si Ecclesia posset deficere, adversùs ipsam portæ

inferi prævalerent : atqui juxta promissionem Christi, adversùs eam non prævalebunt; ergo, etc. Matth. c. ultimo, ℣. 19 et 20 : *Euntes docete omnes gentes*, inquit Christus Apostolos alloquens et eorum successores, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Undè sic : Christus futurus est usque ad finem mundi cum Apostolis et eorum successoribus, Episcopis scilicet, cum ipsis, inquam, docentibus, ministrantibus sacramenta; ergo usque ad finem mundi aderunt Pastores veram doctrinam proponentes, et sacramenta legitimè ministrantes; ergo usque ad finem mundi aderit populus veram doctrinam suscipiens et legitimis participans sacramentis; ergo usque ad finem mundi perseverabit Ecclesia.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Chrys. Homil. ubi de suo exilio loquitur : *Ecclesiam vincere nulla vis poterit; Dei est Ecclesia qui est omnibus fortior.* S. Hieron. in c. 4 Isaiæ : *Super petram fundata Ecclesia, nullâ tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur,* S. Aug. in Ps. 60 : *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus seculi finis.*

Prob. 3.° *ex Symbolo Apost.* : *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Undè sic : semper vera erit fides in Symbolo contenta; ergo semper dicere poterimus : *Credo Ecclesiam;* ergo semper subsistet Ecclesia.

Prob. 4.° *Ratione Theologicâ.* Deus, ex Apostol. I Timoth. c. 2, ℣. 4, vult salutem omnium hominum et quidem intra veram Ecclesiam, ut deinceps probabitur; ergo usque ad

finem mundi conservabit Ecclesiam, ut in eâ omnes salutem consequi possint.

Obj. 1.° Sæpiùs defecit Synagoga; ergo deficere quoque potest Ecclesia; ergo, etc.

Resp. Trans. ant. et Nego consequent. Etiams enim defecisset aliquandò Synagoga, malè concluderetur Ecclesiam Christi deficere posse. Etenim inter Ecclesiam et Synagogam lata est disparitas; 1.° nullibi dictum est portas inferi nunquàm prævalituras adversùs Synagogam: Christus autem Ecclesiam suam hâc promissione munivit; 2.° extra Synagogam salus obtineri poterat, non enim pro omnibus, sed pro Judæis tantùm instituta fuerat: contrà, extra Ecclesiam Christi nullus salutem consequitur; ergo, etc.

Dixi, *transeat ant.*, quia nunquàm omninò defecit Synagoga, etsi propter idololatriam multorum ipsius membrorum sæpiùs obscurata fuerit; at tunc Prophetarum ministerio regebantur fideles.

Obj. 2.° Defecit aliquandò Ecclesia; ergo deficere potest: defecit enim tempore mortis Christi; tunc enim Apostoli fidem dereliquerunt. Hinc Christus redivivus exprobravit incredulitatem ipsorum; ergo, etc.

Resp. 1.° Loquimur de Ecclesiâ Christi post resurrectionem ejus confirmatâ, et post promissionem ab eodem factam, se futurum in eâ usque ab consummationem seculi.

Resp. 2.° Ecclesia non defecit tempore mortis Christi; Beata enim Virgo Maria tunc fidem servavit illibatam; servaverunt quoque Apostoli, ita ut propter scandalum mortis Christi, ab ejus doctrinâ non defecerint. Dubitaverunt quidem de resurrectione ejus, sed non ideò fidem ami-

serunt, quia, ut notat S. Joannes, c. 20, ℣. 9, *nondùm sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.*

Obj. 3.° II ad Thessalon. c. 2, S. Paulus asserit diem Domini, id est, secundum Christi adventum, futurum non esse nisi priùs venerit discessio, et revelatus fuerit homo peccati, id est, Antichristus: atqui nomine discessionis intelligi debet universalis apostasia; ergo, etc.

Resp. Nihil magìs opponitur ratiocinii legibus quàm contra sententiam apertè demonstratam, qualis est ista de perpetuitate Ecclesiæ, textum obscuritate plenum objicere. Etenim quid est discessio illa de quâ Paulus? nùm discessio à Romano imperio, ut post Hieronymum docent plurimi? nùm ipsemet Antichristus, qui discessio vocatur, quia futurus est illius causa, hoc sensu quòd plures præstigiis ejus seducti, fidem Christi abjicere debeant? nùm deniquè ipsa est discessio à fide? quæ quidem interpretatio thesi nostræ nihil officit, nisi probent adversarii S. Paulum in hoc textu loqui de discessione universali et integrâ à fide: istud autem nunquàm probare poterunt; non quidem ex textu proposito, quia discessionem generatìm sumptam exhibet, non autem definit utrùm universalis vel particularis esse debeat; nec ex aliis Scripturæ textibus, cùm è contrario perpetuitatem Ecclesiæ manifestè ostendant, ut modò probavimus.

CAPUT II.

De Visibilitate Ecclesiæ.

Visibilitas Ecclesiæ duplex distingui potest, alia *simplex*, quæ omni societati externæ competit, altera *eminens*, quæ resultat ex variis characteribus quibus societas non solùm fit conspicua, sed etiam singulari claritate fulget, ita ut ab aliis facilè secernatur, ipsisque magìs resplendeat. Hic autem præcipuè agimus de eminenti Ecclesiæ visibilitate.

Perpetuam Ecclesiæ visibilitatem primùm asseruêre Protestantes in Confessione Augustanâ, in Wittembergicâ, Argentinensi, et aliis quas appellat Bossuetius, lib. 15 Variat., n.° 4 et seqq.; at verò cùm urgerentur à Catholicis postulantibus ubinam esset Protestantium Ecclesia ante Lutherum et Calvinum, difficultas, imò vera impossibilitas illam ostendendi, plures ex eis adduxit ut dicerent Ecclesiam esse quidem visibilem, sic tamen ut certis temporibus penè sit exstincta, et invisibilis omninò fiat. *Par un juste jugement de Dieu,* inquiunt auctores Confessionis Helveticæ, anni 1566, *la vérité de sa parole et de son culte, et la foi catholique, sont quelquefois tellement obscurcis, qu'il semble presque qu'ils soient éteints, et qu'il ne reste plus d'Eglise connue : ce qui est arrivé du temps d'Elie et en d'autres temps; de sorte qu'on peut appeler l'Eglise invisible, non que les hommes dont elle est composée le soient, mais parce qu'elle est souvent cachée à nos*

yeux, et que, connue de Dieu seul, elle échappe à la vue des hommes. Quibus assentitur Minister Claudius in suâ Reformationis defensione, p. 289. *Que ce soit,* inquit Bossuetius, lib. 15 Variat., n.° 17, *que ce soit cet inévitable embarras* (de trouver une Eglise toujours visible) *qui ait jeté les Eglises calviniennes dans cette chimère d'Eglise invisible, on n'en pourra douter, après avoir entendu M. Jurieu : Ce qui a porté, dit-il, page 226 de son Système sur l'Eglise, quelques Docteurs réformés à se jeter dan l'embarras où ils se sont engagés, en niant que la visibilité de l'Eglise fût perpétuelle, c'est qu'ils ont cru qu'en avouant que l'Eglise est toujours visible, ils auraient eu peine à répondre à la question que l'Eglise Romaine nous fait si souvent : Où était votre Eglise il y a 150 ans? Si l'Eglise est toujours visible, votre Eglise calvinienne et luthérienne n'est pas la véritable Eglise, car elle n'était pas visible.*

PROPOSITIO.

Ecclesia Christi visibilis est et quidem eminenter.

Prob. 1.ª *pars.* Matth. cap. ultimo : *Euntes,* inquit Christus, alloquens Apostolos eorumque successores, *docete omnes gentes, baptizantes eos, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* undè sic : ubi adsunt Pastores veram fidem edocentes et sacramenta ministrantes, populus audiens et sacramenta recipiens, ibi certè adest Ecclesia visibilis : atqui, juxta promissionem Christi semper erunt Pastores, etc. ; siquidem promittit se futurum esse cum ipsis usque ad consummationem

seculi; ergo, etc. Matth. c. 18, ℣. 17: *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; qui vos spernit me spernit.* Societas quæ consuli debet, et cujus sententiæ obtemperandum est, visibilitate potitur: atqui, ex textibus allatis, Ecclesia est societas quæ consuli debet, etc.; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Symbolo Apostolorum: Credo Ecclesiam Catholicam.* Articulus Ecclesiæ contentus in Symbolo, accipi debet juxta vulgarem nominis hujus significationem, juxta sensum quem Scriptura et Christiani passim ipsi tribuunt: atqui vulgaris significatio nominis Ecclesiæ ista est, visibilis societas per veræ fidei professionem, sacramentis participationem, et legitimis Pastoribus subjectionem unita; ergo juxta fidem in Symbolo expressam, Ecclesia visibilis est, et quidem perpetuò, quia Symboli professio omni tempore vera et necessaria est. Argumentum istud proponit Bossuetius in suà Collatione cum Claudio Ministro: *Je pose pour fondement que dans le Symbole, où il s'agit d'exposer la foi simplement, il faut prendre le nom d'Eglise de la manière la plus propre, la plus naturelle, et la plus usitée parmi les Chrétiens..... Mais quand on emploie simplement le nom d'Église, sans rien ajouter, l'usage commun de tous les Chrétiens, sans en excepter les prétendus réformés, est de le prendre pour signifier l'assemblée, la société, la communion de ceux qui confessent la vraie doctrine de J. C. Et d'où vient cet usage de tous les Chrétiens, sinon de l'Ecriture sainte?..... Le mot d'Eglise, dans son origine, signifie assemblée, et s'attribuait principalement aux assemblées que tenaient autrefois les peuples pour en-*

tendre parler des affaires publiques, Act. c. 19, ℣. 32, 39, 40..... *Voilà l'usage du mot Eglise parmi les Grecs et dans la gentilité : les Juifs et les Chrétiens se sont depuis servis de ce mot pour signifier l'assemblée, la société, la communauté du peuple de Dieu, qui fait profession de le servir..... De plus de cinquante passages où le terme d'Eglise se trouve employé dans la version des LXX, il n'y en a pas un seul où il ne se prenne pour quelque assemblée visible, et il n'y en a que très-peu où il ne se prenne pour la société du peuple de Dieu. Les Chrétiens ont pris ce mot des Juifs, et ils lui ont conservé la même signification...; et de plus de cent passages où ce mot est employé dans le nouveau Testament, à peine y en a-t-il deux ou trois où cette signification lui soit contestée par les Ministres, et même dans les endroits où ils la contestent, il est clair que c'est sans raison.*

Prob. 2.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Isaiæ c. 2, ℣. 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Profectò mons in vertice montium positus, elevatus super colles, non tantùm simpliciter, sed etiam eminenter visibilis est : atqui Ecclesia per ejusmodi montem repræsentatur, ex ipsâ Danielis prophetiâ, c. 2, ℣. 35, 44 et 45, cum præsenti Isaiæ oraculo collatâ, et SS. PP. interpretatione; ergo, etc. Matth. c. 5, ℣. 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita* : porrò civitas illa quæ certò certiùs eminenter visibilis est, repræsentat Ecclesiam; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Origen., Hom. 3 in Matth. : *Non debemus*, inquit, *audire eos qui*

dicunt : Ecce hìc Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesiâ, quæ plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem. S. Chrys., Hom. 4 in cap. 6 Isaiæ : *Facilius est solem exstingui quàm Ecclesiam deleri.* S. Aug., lib. 2 contra Petilianum : *Non estis*, Donatistas alloquens, *non estis in civitate supra montem constitutâ, quæ certum signum hoc habet, quòd abscondi non potest.* Idem, Tract. 1 in Epist. I S. Joann. : *Nunquid digito ostendimus istum montem* (Ecclesiam scilicet) *quomodò ostenditur hominibus tertia luna; v. g., quandò volunt homines videre lunam novam, dicunt : ecce luna, ecce ubi est; et si sunt ibi qui non valeant intendere aciem et dicant : ubi? intenditur illis digitus ut videant..... Nunquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? nonne aperta est?..... nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine ejus benedici omnes gentes..... Ecce mons implens universam faciem terræ, ecce civitas de quâ dictum est : « Non potest civitas abscondi supra montem constituta. »* Omnes isti SS. PP. textus clariores sunt quàm ut aliquâ explicatione indigeant.

Prob. 3.° Illa societas eminenter visibilis est, quæ splendidissimis insignitur characteribus quorum ope à quâlibet aliâ discerni potest : atqui talis est vera Christi Ecclesia; nam, ex infrà dicendis, Una est, Sancta, Catholica et Apostolica : atqui characteres illi Ecclesiam eminenter visibilem constituunt; ergo, etc. Porrò eminens illa Ecclesiæ visibilitas consilio Dei maximè congruit; *vult* enim, inquit Apostolus, *omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire;* quæ

quidem salus et veritatis agnitio, extra veram Ecclesiam esse non potest; debet igitur splendidissimis characteribus omnibus illucere.

Obj. 1.° I S. Petri, c. 2, ℣. 5, Ecclesia vocatur *domus spiritualis;* ergo visibilitate caret : ergo non est eminenter visibilis.

Resp. Nego consequent. Ecclesia vocatur *domus spiritualis*, ut distinguatur à domo materiali, quæ lapidibus constat, non autem ut ab ipsâ excludatur visibilitas.

Obj. 2.° S. Aug., Epist. 93 ad Vincentium : *Ecclesia,* inquit, *aliquandò obscuratur;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Nam immediatè post verba in objectione laudata, hæc habet S. Doctor : *Tunc etiam* (id est quandò obscuratur Ecclesia) *in firmissimis suis* (membris) *eminet;* et lib. 2 contra Petil. : *Ecclesia certum signum hoc habet, quòd abscondi non potest.*

Obj. 3.° Ecclesia creditur; ergo est invisibilis.

Resp. Dist. ant. Ecclesia creditur sub aliquo respectu, *conc.;* sub omni respectu, *nego.* Itaque duo sunt respectus in Ecclesiâ, unus sub quo est visibilis, quatenùs scilicet est cœtus hominum unius et ejusdem fidei professione conjunctorum; alter sub quo est invisibilis, in quantùm scilicet cœtus ille hominum vera est Christi Ecclesia : sub primo respectu, videtur quidem Ecclesia, sed non creditur; sub secundo autem respectu, non videtur, ideòque sub eo creditur. Judicandum est de Ecclesiâ sicut de humanitate Christi : porrò humanitas Christi, in se spectata, visibilis erat, et ideò sub hoc respectu non credebatur ab Apostolis; sed quatenùs illa humanitas hypostaticè uniebatur Verbo Dei, non erat visibilis, et sub hoc respectu ab Apostolis credebatur : sic

Ecclesia, quatenùs est societas externa, non creditur; sed quatenùs est vera Ecclesia Christi, tantummodò creditur.

Obj. 4.° Si vera Ecclesia esset eminenter visibilis, jam nulli bonâ fide extra corpus Ecclesiæ degerent, jam omnes veram ingrederentur Ecclesiam : porrò utrumque falsum est; ergo, etc.

Resp. Nego maj. 1.° Quidem, licèt Ecclesia sit eminenter visibilis, dari possunt quidam Hæretici vel Schismatici materiales; namque eminens Ecclesiæ visibilitas per se ipsam non innotescit, sed expositione indiget; mirum ergo videri non debet si apud sectas hæreticas reperiantur quidam simplices et illiterati, bonâ fide errantes, ut potè quòd nunquàm audierint de verâ Ecclesiâ nisi ab ejus adversariis, qui tum notas ejus celant, tum doctrinam ejus variis onerant calumniis. 2.° Fieri potest ut Ecclesia sit eminenter visibilis, quamvis multi non ingrediantur eam; ratio est quòd præjudicia et cupiditates sæpiùs avertant à credendâ veritate. Et verò unitas Dei et vanitas idolorum evidenter cognoscibilis erat : atqui tamen plurimi olìm, imò ferè omnes, unitatem Dei rejicientes, idolis servierunt.

COROLLARIUM.

Ergo Protestantes non sunt vera Christi Ecclesia.

Prob. Ex jam dictis, vera Christi Ecclesia debet esset perpetuò visibilis : atqui ante reformationem, Ecclesia Protestantium non erat visibilis; dicant enim ubi erat eorum societas ante Lutherum et Calvinum.

Reponunt Protestantes, 1.° suam Ecclesiam visibilem fuisse in societatibus separatis ab Ec-

clesiâ Romanâ, in quibus vera Christi fides perseverabat; tales fuêre sectatores Berengarii, Valdenses, Wiclefitæ, etc.; ita D. *Delaroque, Considérations sur l'Eglise,* cap. 11. Sed 1. novæ sunt sectæ hujusmodi, et ultra X seculum non ascendunt; ergo non demonstrant Ecclesiam perpetuò visibilem. 2. Illarum sectarum doctrina diversa fuit à doctrinâ Protestantium; multos enim fidei articulos isti admittunt quos illæ rejiciebant et vicissim; at quæritur Ecclesia quæ veram doctrinam constanter professa fuerit. Vide *Tournely,* de Visibilitate Ecclesiæ, quæst. 2, art. 7.

Respondet 2.° Pseudo-Minister Claudius veram Ecclesiam perseverâsse apud occultos fideles in medio Communionis Romanæ degentes. Verùm 1. si exstitissent illi fideles occulti, quî factum est ut nemo eos detexerit? 2. Nullus citari potuit qui, ubi Protestantismum amplexus est, dixerit se veterem et occultum esse Protestantem; sed è contrà profitebantur omnes se veteres errores exuisse, et singulares Deo rependebant gratias quòd tandem è tenebris Romanæ Ecclesiæ essent erepti. 3. Si exstiterint occulti illi fideles, ergo societas Protestantium non fuit perpetuò visibilis, nec proindè vera Christi Ecclesia. 4. Vel illi fideles occulti, Romanæ Communionis cultui participabant, vel non: si prius, vel idololatriæ participes erant cum Catholico-Romanis, vel erant hypocritæ, exteriùs cultum profitendo quem intùs ejurabant; si posterius, ergo sese à Romanâ societate separando, manifestabant se, ac proindè occulti non erant; nec tamen Ecclesiam visibilem constituebant, cùm nullum ministerium ecclesiasticum exteriùs haberent. Vide Bossuetii opus-

culum cui titulus : *Réflexions sur un écrit de M. Claude*, 13.[e] *réflex.*

DISSERTATIO SECUNDA.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

Nota Ecclesiæ duplex est, *positiva* et *negativa* : Ecclesiæ nota *positiva* definitur : character sensibilis ex cujus præsentiâ concluditur Ecclesiæ veritas; nota *negativa* dicitur, character ex cujus absentiâ in aliquâ societate christianâ concluditur ipsius falsitas.

Ad notam *positivam* tres requiruntur conditiones : 1.[a] ut sit character proprius veræ Ecclesiæ, qui nimirùm ipsi, et quidem soli, conveniat; 2.[a] ut sit character obvius, ipsorumque rudium captui proportionatus; 3.[a] ut sit character notior ipsâ Ecclesiâ, id est, priùs et faciliùs quàm Ecclesia cognoscatur.

Ad notam *negativam* eædem requiruntur conditiones, si tamen primam excipias; loco enim characteris proprii seu differentialis qui requiritur ad notam positivam, ad negativam sufficit character essentialis, qui scilicet ita veræ competat Ecclesiæ ut falsæ etiam societati convenire possit. His præmissis, præsentem de notis Ecclesiæ dissertationem in duo partimur capita : in primo disseremus de his quæ falsò recensentur inter Ecclesiæ notas; in secundo, ejusdem Ecclesiæ genuinas notas proponemus.

CAPUT PRIMUM.

De falsis Ecclesiæ notis.

JUXTA Protestantes, veræ Ecclesiæ nota est ipsa doctrinæ veritas privato examine discussæ. Sic igitur procedunt ut suæ sectæ adhæreant : veritas doctrinæ soli veræ Ecclesiæ competit : atqui societas Protestantium veram habet doctrinam, ut cuilibet ex privato examine constare potest; ergo societas Protestantium vera est Ecclesia. Stant ex adverso Catholici, juxta quos nedùm veritas doctrinæ privato examine cognita, sit nota Ecclesiæ positiva, è contrario potiùs auctoritas veræ Ecclesiæ medium est ordinarium perveniendi ad cognitionem veritatis doctrinæ.

Quæstio non est utrùm veritas doctrinæ privato examine discussæ, dici possit nota Ecclesiæ positiva, respectu alicujus viri doctissimi, nec etiam utrùm veritas doctrinæ inadæquatè sumptæ, id est, pro quibusdam tantùm articulis revelatis, sit nota Ecclesiæ negativa; sed in eo præcisè consistit quæstionis status, utrùm veritas doctrinæ privato examine discussæ, sit nota Ecclesiæ positiva et vulgaris, id est, ab omnibus etiam imperitis adhibenda. Affirmant Protestantes, negant Catholici omnes, quibuscum sit

PROPOSITIO.

Veritas doctrinæ dici non potest nota Ecclesiæ positiva.

Prob. 1.° Ad Ephes., c. 4, ℣. 11, 14 : Christus *dedit quosdam quidem Apostolos...., alios autem Pastores et Doctores...., ut non circum-*

feramur omni vento doctrinæ. Si veritas doctrinæ, inquit Cardinalis *Du Perron*, sit Ecclesiæ nota, priùs examine privato disgnosci debet vera doctrina quàm vera Ecclesia; si autem priùs examine privato cognosci debeat vera doctrina quàm vera Ecclesia, jam Christus in vanum posuit in Ecclesiâ Pastores et Doctores ut veram doctrinam omnibus credendam proponant fidelibus.

Prob 2.° *ex SS. PP.* S. Augustinus, lib. 13 contra Faustum, supponit Christianum quemdam imperitum et inter varias Christianorum sectas fluctuantem : huic, ut dubio suo emergat, examen veræ doctrinæ non proponit, sed characterem Ecclesiæ sensibilem, ipsique proportionatum, nempè catholicitatem. Idem S. Doctor, lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 4, inter varia motiva quibus detinebatur in Ecclesiâ, recenset characteres quosdam sensibiles, putà catholicitatem, apostolicitatem, etc., silendo prorsùs de examine privato veræ doctrinæ, ergo censuit veritatem doctrinæ privato examine discussæ, non esse medium perveniendi ad cognitionem veræ Ecclesiæ. S. Irenæus, lib. 3, adversùs hæreses, cap. 4 : *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere :* atqui si vera doctrina ab Ecclesiâ sumenda sit, quomodò potest esse nota illius? Nota siquidem Ecclesiæ ipsâ notior esse debet.

Prob. 3.° Juxta regulam Logicæ, à magis noto ad minùs notum procedendum est, et non vice versâ : atqui regulam hujusmodi non servant Protestantes; namque etiamsi ipsis concederemus veram doctrinam privato examine discussam, imperitorum genio et captui proportiona-

tam esse, saltem diffiteri non possunt veritatem doctrinæ privato examine cognitam, ipsâ verâ Ecclesiâ minùs esse notam: ista siquidem, ex dicendis posteà, radios suos ubiquè porrigit, ope characterum quorumdam sensibilium, Unitatis nempè, Sanctitatis, Catholicitatis et Apostolicitatis.

Prob. 4.° Ad notam Ecclesiæ tres requiruntur conditiones: 1.ª ut sit character obvius; 2.ª ut sit character veræ Ecclesiæ proprius; 3.ª ut sit character ipsâ Ecclesiâ notior: atqui vera doctrina his tribus caret conditionibus; 1.° quidem ipsa non est character obvius seu rudium captui proportionatus; ut enim rudes et imperiti doctrinæ veritatem ex privato et proprio consequantur examine, quatuor expendant et definiant oportet: nimirùm, 1. divinitatem Scripturarum, non modò in genere, sed etiam in particulari; 2. integritatem earum; 3. versionum fidelitatem; 4. sensum earum naturalem à Spiritu Sancto intentum: atqui hæc quatuor maximæ hominum parti, quæ rudibus constat et imperitis, verè impossibilia sunt; hujus quidem impossibilitatis manifestæ testem appello sensum propriæ infirmitatis, deindè experientiam, postremò evidentiam; quis enim dixerit rusticos, artifices, labore manuum assiduo vitam sustentantes, etc., quæstiones plurimas intricatissimas et solutu difficillimas discutere posse? *Nonne Scriptura*, inquit Vincentius Lirinensis, *pro ipsâ suî altitudine, tot sententias eruendas hominibus præbet, quot ipsi sunt numero homines? On ne peut pas croire tout de bon*, inquit, D. Papin, *que le peuple soit capable de se conduire dans la Religion par la voie d'examen, et qu'il n'ait besoin du témoignage*

de l'Eglise pour avoir une certitude entière de la divinité de l'Ecriture, et pour y découvrir les vérités de foi. Avancer une telle proposition, c'est parler aussi peu sérieusement que si vous disiez qu'il n'y a point d'aveugle qui ne puisse compter toutes les étoiles du ciel. 2.° Vera doctrina privato examine discussa non est character Ecclesiæ proprius; iste enim ita competit Ecclesiæ, ut ipsi soli conveniat : atqui veritas doctrinæ non ita veræ Ecclesiæ competit, ut ipsi soli convenire possit; namque societates schismaticæ non sunt vera Ecclesia, ut infrà probabitur : atqui tamen societates schismaticæ veritatem doctrinæ retinent, ita ut non fidem sed charitatem violent, ut loquitur S. Hieronymus. 3.° Vera doctrina non est notior ipsâ Ecclesiâ; quidquid enim Ecclesiæ cognitionem supponit, illud sanè non est Ecclesiâ notius : atqui veræ doctrinæ acquisitio cognitionem Ecclesiæ supponit, cùm veritas doctrinæ ab ipsâ Ecclesiâ sumenda sit, ut habet S. Irenæus suprà, et probabimus infrà, ubi de judice controversiarum; ergo, etc.

Obj. 1.° Ecclesia antiqua sæpiùs disputavit cum Hæreticis, ut eos ad veram adduceret Ecclesiam; ergo examen veræ doctrinæ veram ostendit Ecclesiam, seu nota est illius.

Resp. Nego consequent. Namque ex disputationibus quas cum Hæreticis antiqua instituit Ecclesia, concludere nefas est ipsam tenuisse veram doctrinam privato examine discussam, esse notam in sensu Protestantium : 1.° quia illæ disputationes quandoquè versabantur circa veram doctrinam notarum Ecclesiæ, sic, v. g., in famosâ Collatione Carthaginensi, Catholicos inter et Donatistas habitâ, actum est utrùm catholicitas

esset character veræ Ecclesiæ; 2.° quia etiam disputationes illæ, quæ circa veram doctrinam notarum non movebantur, pro objecto non habebant totam veram doctrinam, sed unum aut alterum fidei articulum, et aliundè disputationes illæ inter peritos tantùm instituebantur; 3.° etiam in illo casu, non putabant Catholici examen privatum veræ doctrinæ, esse medium perveniendi ad veram Ecclesiam à Deo institutum; sed quia noverant Hæreticos spernere characteres sensibiles, quibus adstruebatur Ecclesiæ veritas, idcircò unicum adhibebant quod supererat medium Hæreticos ad Ecclesiam revocandi, scilicet veræ doctrinæ examen.

Obj. 2.° Hæc habet S. Augustinus, lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 3, contra Donatistas: *Sunt libri dominici,..... ibi quæramus Ecclesiam;* ergo Scriptura sacra seu veritas doctrinæ, veram ostendit Ecclesiam.

Resp. Dist. cons. Scriptura sacra veram ostendit Ecclesiam mediatè, quatenùs veræ Ecclesiæ notas continet, *conc.;* immediatè, *nego.* S. August., in textu undè objectio sumitur, significare tantùm voluit Scripturam sacram ostendere veram Ecclesiam mediatè, in quantùm scilicet veras Ecclesiæ notas complectitur; nam consequenter ad id quod dixerat, veram Ecclesiam in Scripturis quærendam esse, probat ex variis Scripturæ textibus catholicitatem esse characterem veræ Ecclesiæ proprium, et deindè utitur hâcce notâ ad demonstrandam veritatem Ecclesiæ suæ, id est, Romanæ. Porrò fatemur hoc sensu à SS. PP. veram ostendi Ecclesiam; sed ex illâ concessione nihil sequitur in gratiam Protestantium, ut satis per se patet.

SCHOLIUM.

SCHOLIUM.

Etsi Catholici negent veram doctrinam privato examine discussam, esse notam veræ Ecclesiæ, non inficiantur tamen veram doctrinam ab Ecclesiâ teneri : sed quemadmodùm homo ex signis externis cognoscitur, non autem ex animâ, quæ tamen ipsi est essentialis; ita Ecclesia per notas seu characteres externos et sensibiles cognoscitur, non autem per veram doctrinam, quæ tamen ipsi necessariò convenit. Itaque negamus veram doctrinam esse notam Ecclesiæ, non quasi non sit ipsius character essentialis, sed quia non est character obvius maximæ hominum parti, quæ constat imperitis.

Jam confutatis quæ ab Hæreticis obtruduntur falsis Ecclesiæ notis; pacificè nobis agendum est cum quibusdam Catholicis qui, pro vehementi quo flagrabant desiderio veram Ecclesiam omnibus ostendendi, genuinis ejus characteribus falsos quosdam addidêre. Scilicet Bellarminus, inter varias Ecclesiæ notas, duas sequentes proponit : temporalem felicitatem protectorum Ecclesiæ, et infelicem exitum persecutorum ejus. Ratio est, inquit, quòd Deus bonis temporalibus cumulando protectores alicujus societatis christianæ, hoc ipso demonstrat hanc protectionem ipsi placere; non placeret autem, nisi veram pro objecto haberet societatem; et vice versâ, Deus affligendo persecutores alicujus societatis christianæ, demonstrat persecutionem ejusmodi ipsi displicere, et proindè societatem contra quam adhibetur, falsam non esse. Cæteri verò passìm Theologi docent præfatos characteres inter notas Ecclesiæ immeritò recenseri, quia nec essen-

tiales, nec proprii sunt Ecclesiæ characteres, ut constat experientiâ.

CAPUT II.

De veris Ecclesiæ notis.

In Symbolo confitemur *Unam, Sanctam, Catholicam* et *Apostolicam Ecclesiam* : itaque *Unitas, Sanctitas, Catholicitas* et *Apostolicitas* sunt totidem Ecclesiæ characteres, de quibus agitatur quæstio, utrùm scilicet ipsius notæ dici possint.

ARTICULUS PRIMUS.

De Unitate Ecclesiæ.

Quæritur 1.° utrùm unitas sit character veræ Ecclesiæ.

Quæstionis hujus solutioni quædam præmittemus. Ecclesia constat animâ et corpore: anima Ecclesiæ donis internis et præsertìm charitate constituitur; corpus autem Ecclesiæ ex tribus simul junctis vinculis resultat, videlicet ex professione Fidei, communione Sacramentorum, et subjectione legitimis Pastoribus.

Unitas duplex distinguitur, *physica*, qualis Angelo vel homini competit, et *moralis*, qualis est ea quæ convenit civitati aut exercitui.

Unitas dici potest veræ competere Ecclesiæ, vel *essentialiter*, si ab eâ inseparabilis sit, aut *accidentaliter*, si eâ possit carere.

His positis, certum est 1.° Ecclesiam ratione animæ omninò esse unam, ut evidens est. Cer-

tum est 2.° Ecclesiam non esse unam physicè. Itaque status quæstionis est, utrùm Ecclesia, secundùm corpus suum spectata, sit essentialiter una unitate morali. In partes contrarias abeunt Catholici et Protestantes, circa præsentem de Ecclesiæ unitate quæstionem. Utrique unitatis nomen admittunt, sed quàm discordes sunt circa sensum! Itaque operæ pretium est utriusque partis sententiam circa unitatem paucis exponere. Cùm autem inter Protestantes, unitatis Ecclesiæ impugnatores, primum locum obtineat Juriæus, minister Calvinista, idcircò doctrina ipsorum circa prædictum articulum *Juriæi systema* nuncupatur.

Systema Juriæi circa Unitatem Ecclesiæ.

1.° Juxta Juriæum, professio unius et ejusdem Fidei in articulis fundamentalibus, essentialis est Ecclesiæ extra quam salutem nemo consequi potest; sed ipsi accidentalis est professio ejusdem vel diversæ aut etiam contrariæ Fidei in articulis non fundamentalibus. 2.° Communicatio in Sacramentis corpori Ecclesiæ essentialis est; sed ipsi accidentalis est communicatio in Sacramentis inter omnia Ecclesiæ membra, ita ut esse possit unica communio vel multiplex. 3.° Subjectio Pastoribus qui fundamentales fidei articulos retinent, Ecclesiæ est essentialis; sed ipsi accidentalis est subjectio iisdem omninò Pastoribus.

Itaque in mente Juriæi, Ecclesia, quoad corpus spectata, tam potest esse congeries omnium sectarum et communionum quæ articulos fundamentales retinent, quantumvis aliundè in articulis fidei minimè fundamentalibus diversas

et oppositas habeant fidei professiones, quantumvìs sese mutuis excipiant anathematibus; quantumvìs à distinctis et separatis regantur Pastoribus : vera, inquam, Ecclesia, tam potest esse, juxta Juriæum et sectatores ejus, congeries ejusmodi communionum et sectarum, quàm unica et individua communio, cujus omnia membra inter se moraliter uniantur professione unius et ejusdem fidei, participatione iisdem sacramentis, et subjectione iisdem Pastoribus. Cæterùm, si agatur de facto, id est, de eo quod contigit erga veram Ecclesiam, docet Juriæus ipsam paucissimo tempore unitate perfectâ potitam fuisse, et paulò post ab institutione suâ in plures sectas et communiones divisam fuisse; et istam adhuc manere divisionem; ita ut Lutherani, Calvinistæ, Zuingliani, Græci schismatici, imò et Catholico-Romani, saltem in sententiâ multorum Protestantium, licèt inter se plurimùm divisi, veram Christi simul constituant Ecclesiam : ex quo sequitur Ecclesiam complecti omnes Hæreticos in articulis fidei fundamentalibus non errantes, excommunicatos et schismaticos. Nomine autem articulorum fidei fundamentalium intelligit Juriæus eos fidei articulos qui negari non possunt absque salutis dispendio, sive ab Ecclesiâ fuerint definiti, sive non : articulos verò non fundamentales eos vocat quorum negatio à salute non excludit, quantumvìs ab Ecclesiâ definiti fuerint, ab Ecclesiâ, inquam, cui Juriæus cum omnibus Protestantibus, infallibilitatis privilegium abjudicat. Cæterùm duas tradit idem Minister regulas ad cognoscendos articulos fundamentales, ipsosque à non fundamentalibus secernendos : 1.ª regula sic se habet :

articulus fundamentalis ille est qui gloriam Dei et beatitudinem hominis continet; 2.ª regula hæc est: omnis articulus ab omnibus Christianis receptus, ut fundamentalis haberi debet.

Expositio Doctrinæ catholicæ circa Ecclesiæ Unitatem.

Juxta doctrinam Catholicorum, Ecclesiæ extra quam nulla salus obtineri potest, essentialis est professio unius et ejusdem fidei in omnibus articulis ab Ecclesiâ definitis, iisdem sacramentis communio, iisdem legitimis Pastoribus subjectio. Hinc Ecclesia, quoad corpus considerata, est cœtus hominum qui inter se moraliter uniuntur professione unius et ejusdem omninò fidei, communione eorumdem sacramentorum, et subjectione iisdem legitimis Pastoribus.

Juxta Catholicos, omnes articuli fidei fundamentales sunt, eo sensu quòd nullus sit qui possit negari absque salutis dispendio, post definitionem Ecclesiæ sufficienter propositam. Omnes tamen articuli fidei non sunt ejusdem necessitatis; dantur enim aliqui articuli, quorum fides explicita necessaria est ad salutem *necessitate medii* et *præcepti*, et dicuntur fidei articuli *solemnes*, ita ut teneantur fideles eos credere, non tantùm cùm de ipsorum factâ ab Ecclesiâ definitione certi sunt, sed insuper sub gravi adstringuntur Ecclesiæ definitionem seu doctrinam quoad illos articulos solemnes inquirere sedulò, et actum fidei explicitum circa illos elicere. Cæteri verò articuli, *minùs solemnes* appellantur, ex eo quòd eorum fides explicita ad salutem necessaria non sit; et ideò fideles non tenentur inquirere Ecclesiæ definitionem circa ejusmodi

articulos, sed sufficit ut illorum habeant fidem implicitam. His præmissis, sit

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia est essentialiter una, sensu Catholicorum mox exposito.

Prob. 1.° *ex Script.* Joan. c. 10, Ecclesia dicitur *Ovile* Christi; I ad Timoth. c. 3, *Domus Dei* nuncupatur; ad Eph. c. 4, appellatur *Corpus* Christi: atqui hæc tria nomina quibus insignitur vera Christi Ecclesia, manifestè arguunt ipsam esse unam et individuam societatem; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, libro de Unitate Ecclesiæ, sic habet: *Una Ecclesia,... et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.* S. Clemens Alex., lib. 7 Stromat.: *In unius naturæ sortem coarctatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere.* Origenes, lib. 1 in Job: *Ad dimicandum adversùs Ecclesiam... omnes sectæ et hæreses faciunt.* S. Hilarius, lib. 7 de Trinitate, n.° 4: *Hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt.* S. Hieronymus, Dial. contra Luciferianos, sectam Novatianorum *novam* vocat *Synagogam Antichristi.* Conc. Nicæ. can. 8, eosdem Hæreticos Novatianos ad Ecclesiam redire adhortans, eo ipso extorres supponit ab Ecclesiâ. Undè sic argumentari licet: illi docent Ecclesiam esse unam sensu jam exposito, qui 1.° vocant eam plebem in solidam corporis unitatem copulatam, in unius sortem naturæ coarctatam; qui 2.° ab eâ excludunt, absque ullâ exceptione, omnes Hæreticos et Schismaticos; qui 3.° quosdam Hæreticos, putà Luciferianos

ac Novatianos, ipsomet Juriæo fatente, in fundamentalibus articulis non errantes, ab Ecclesiâ extorres supponunt : atqui SS. Patres mox appellati 1.° vocant Ecclesiam plebem, etc.; ergo, etc.

Prob. 3.° Ecclesia Catholica priorum seculorum, putà III et IV seculi, unitatem Ecclesiæ firmiter credebat, et consequenter ad hanc fidem, omnes unitatem dissolventes per schisma horrendo percutiebat anathemate, nec resipiscentes recipiebat nisi post actum acerbæ pœnitentiæ curriculum; propositionis hujus veritas innumeris et certissimis historiæ ecclesiasticæ constat monumentis : atqui Ecclesia Catholica priorum seculorum, putà III et IV seculi, sic credere, sic agere non potuisset, ex hypothesi quòd Ecclesia non sit una; namque si Ecclesia non sit una, tunc Ecclesia Catholica priorum seculorum sic credendo, sic agendo, gravissimi erroris, injustitiæ et crudelitatis rea fuisset, ut patet : atqui dici non potest Ecclesiam Catholicam priorum seculorum ream fuisse erroris, injustitiæ et crudelitatis, cùm ex ipsomet adversariorum consensu, Ecclesia Catholica illorum temporum, vera esset Ecclesia; ergo, etc.

Prob. 4. Ex dicendis infrà, Christus instituit judicem controversiarum fidei infallibilem : atqui ex eo quòd Christus instituerit ejusmodi judicem, sequitur Ecclesiam unam esse unitate fidei, juxta omnes articulos definitos : si enim in Ecclesiâ sit judex controversiarum infallibilis, jam quilibet sub pœnâ damnationis et expulsionis ab Ecclesiâ, tenetur ipsam audire in omnibus definitionibus suis, juxta hæc verba Christi apud Matth. c. 18, ℣. 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

Prob. 5.° *argumento ad hominem.* Juxta Juriæum, illi omnes articuli fidei pro fundamentalibus haberi debent, qui semper et ab omnibus Christianis crediti sunt: atqui à Christianis semper creditum est Ecclesiam esse unam; res ita est, modò ex omnibus Christianorum sectis quæ ad Juriæi usque tempora exstiterunt, nulla fuerit unquàm quæ veræ Ecclesiæ nomen et titulum partiri voluerit cum aliis communionibus seu sectis à quibus in fide, vel in sacramentis, aut in ministerio dissentiebat: atqui reverà ex omnibus Christianorum sectis, nulla fuit quæ veræ Ecclesiæ nomen, etc. ut constat ex fidelissimis historiæ monumentis; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ergo existit Principium Unitatis.

Prob. Principii unitatis nomine intelligitur medium idoneum ad colligendos homines in unum Ecclesiæ corpus: atqui Ecclesia non potest esse essentialiter una, sicut modò dictum est, quin existat hujusmodi medium. Deus enim, ut potè sapiens, non potest velle finem, quin velit media ad finem conducentia; ergo cùm velit, ex dictis, Ecclesiam esse unam, instituere debuit medium ex se aptum et sufficiens ad colligendos homines in unum Ecclesiæ corpus: jam verò principium unitatis certum esse debet et obvium; si enim dubium foret vel impervium, jam esset inutile fini propter quem datum est, ad colligendos scilicèt homines in unum Ecclesiæ corpus. Prætereà, unitatis principium perpetuum esse debet, ex eo quòd Ecclesia perpetua esse debeat, ex jam probatis.

Quæritur 2.° utrùm unitas sit character Ecclesiæ proprius seu differentialis.

Ante solutionem quæstionis, duo sunt observanda : 1.um hìc non agi de unitate Ecclesiæ prout includit communionem cum sanctâ Sede ; 2.um hìc non agi de unitate Ecclesiæ in fide verâ, in sacramentis legitimis, et in legitimo ministerio; sed de unitate Ecclesiæ in professione ejusdem fidei, abstrahendo à veritate et à falsitate ejus, et sic de unitate in sacramentis et ministerio.

PROPOSITIO II.

Unitas non est character veræ Ecclesiæ proprius seu differentialis.

Prob. Character proprius veræ Ecclesiæ, ille est qui ita veræ competit Ecclesiæ ut falsæ societati nec competat, nec competere possit : atqui unitas non est character qui ita veræ Ecclesiæ competat, ut falsæ, etc., ut satis per se patet, et constat experientiâ; etenim Græci schismatici habent unitatem : atqui tamen non sunt vera Ecclesia, ut ex dicendis compertum fiet.

Quæritur 3.° an unitas Ecclesiæ sit character obvius.

Observandum est, ut unitas sit obvia, id est, ipsismet imperitis proportionata, non requiri ut omnes quæ afferri possunt probationes obviæ sint et rudium captui accommodatæ, sed requiri et sufficere ut saltem inter varias probationes quæ in gratiam unitatis Ecclesiæ proferuntur, aliqua sit rudibus et imperitis obvia.

PROPOSITIO III.

Unitas est character Ecclesiæ obvius.

Prob. Ille character dicitur obvius, qui captui rudium est accommodatus : atqui unitas rudium captui accommodatus est character; ille enim character accommodatus est rudium captui, cujus saltem adest una probatio imperitorum intelligentiæ proportionata : atqui unitatis Ecclesiæ saltem una probatio proportionata est intelligentiæ imperitorum, v. g., probatio tertia superiùs allata; ergo, etc.

Quæritur 4.° utrùm unitas Ecclesiæ sit ipsâ Ecclesiâ notior.

Observandum est, ut Ecclesiæ unitas dicatur ipsâ Ecclesiâ notior, necessum non esse ut probationes quæ in gratiam illius afferuntur non præsupponant cognitionem veræ Ecclesiæ antiquæ; sufficit enim ut sint independentes à cognitione veræ Ecclesiæ actualis.

PROPOSITIO IV.

Unitas est character ipsâ Ecclesiâ notior.

Prob. Ille character est notior ipsâ Ecclesiâ, in cujus probationem veræ Ecclesiæ actualis auctoritas in medium non assumitur : atqui in probationem unitatis Ecclesiæ, auctoritas veræ Ecclesiæ actualis non assumitur, ut patet ex probationibus suprà allatis; ergo, etc.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo Unitas actualis non est nota Ecclesiæ positiva.

Prob. Nota positiva est character Ecclesiæ

proprius sive differentialis : atqui, ex propositione II, unitas actualis non est character veræ Ecclesiæ proprius; ergo, etc.

COROLLARIUM II.

Ergo Unitas est nota Ecclesiæ negativa.

Prob. Ad notam negativam tres requiruntur conditiones, 1.ª ut sit character essentialis veræ Ecclesiæ ; 2.ª ut sit obvius ; 3.ª ut sit notior ipsâ Ecclesiâ : atqui, ex præcedentibus propositionibus, unitas est character essentialis, obvius et notior ipsâ Ecclesiâ; ergo, etc.

Quæritur 5.° utrùm unitas Catholico-Romanæ Ecclesiæ competat.

PROPOSITIO V.

Ecclesia Catholico-Romana est una.

Prob. Illa Ecclesia est una, quæ principium habet unitatis ex se idoneum ad colligendos homines in unius et ejusdem fidei professionem, in unam et individuam sacramentorum communionem, in unum idemque regimen ecclesiasticum; quæque omnes Hæreticos et Schismaticos alienos habet : atqui talis est Ecclesia Romana, ut ex ejus professione fidei publicâ, nécnon ex suâ praxi constat; ergo, etc.

Quæres 6.° utrùm unitas competat sectis Protestantium.

Observandum est, ex dictis, ad veram unitatem requiri principium unitatis certum et obvium.

PROPOSITIO VI.

Protestantes non habent unitatem.

Prob. 1.° Illi non habent unitatem, qui uni-

tatis principio carent : atqui Protestantes, etc. Nam illi unitatis principio carent, qui spiritum privatum, controversiarum fidei judicem admittunt : atqui Protestantes spiritum privatum controversiarum fidei judicem admittunt ; ergo, etc. (1).

Prob. 2.° Illi carent unitate, qui non solùm diversas, sed etiam oppositas habent fidei professiones : atqui Protestantes, etc. ; sic, v. g., Lutherani profitentur Christum esse realiter præsentem in Eucharistiâ, Calvinistæ autem contrariam tenent sententiam, ergo, etc. (2).

Prob. 3.° Illi non habent unitatem, in quorum fidei professionibus, successivè emissis, infinitæ propemodùm variationes leguntur : atqui in fidei

---

(1) Protestantium nomine hìc intelliguntur Lutherani et Calvinistæ, etsi Protestantium nomen, strictè loquendo, solis Lutheranis competat : ipsi enim hoc nomen acceperunt, eo quòd à decreto in ipsos lato in Comitiis Spiræ anno 1529 celebratis, ad generale Concilium provocârunt ; utrique alio et communi nomine vocantur Prætensi Reformatores, eo quòd, in ipsorum mente, collapsam Ecclesiam in pristinum statum restituere voluerint.

(2) Adverte manifestam in agendi ratione Calvinistarum contradictionem, scilicet, cùm ab Ecclesiâ Romanâ primùm discessêre, palàm et publicè professi sunt doctrinam præsentiæ realis in Eucharistiâ, cui addictissima erat Ecclesia Romana, unicam aut saltem præcipuam esse eorum separationis causam, et Catholicos, propugnatores ipsius, velut anthropophagos et idololatras traducebant : attamen iidem Calvinistæ, anno 1631, decreto solemni statuerunt, in Synodo nationali Charentonianâ, fœdus et pacem cum Lutheranis, licèt præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ defensoribus, iniri posse, nihilque in præfatorum Lutheranorum doctrinâ reperiri quod perfectæ unioni obstare posset.

professionibus quas successivè Lutherani et Calvinistæ ediderunt, infinitæ propemodùm variationes leguntur ut constat ex percelebri Historiâ Variationum, ab illustrissimo Bossuetio editâ; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ergo Protestantes sive prætensi Reformatores non sunt vera Christi Ecclesia.

Prob. Illa societas non est vera Christi Ecclesia quæ caret aliquo charactere veræ Ecclesiæ essentiali : hæc propositio evidens est; nulla res enim esse et concipi potest sine iis omnibus quæ ipsi essentialia sunt : atqui ex propositione I, unitas est character veræ Ecclesiæ essentialis; aliundè, ex propositione VI, ejusmodi charactere privantur Lutherani et Calvinistæ; ergo, etc.

Quæres 7.° an extra veram Ecclesiam, cujus unitatem modò probavimus, salus obtineri possit.

Ante solutionem quæstionis nonnulla sunt præmittenda.

Ecclesia, ut jam diximus, duplici constat parte, internâ scilicet et externâ. Interior ejus pars *anima* dicitur, exterior verò *corpus* nuncupatur, comparatione ductâ ex homine, cujus pars sensibilis et externa corpus, interna verò et invisibilis anima dici solet.

Porrò fide catholicâ certum est nullum extra Ecclesiæ animam salvari posse : nimirùm animam Ecclesiæ constituunt justi omnes internis fidei, spei et charitatis, velut totidem vinculis inter se colligati : atqui fides catholica docet neminem salvari posse absque fide, spe et charitate; ergo juxta fidem catholicam, nemo extra Ecclesiæ animam salvari potest. Utrùm verò de corpore ipsius

ita judicandum sit, ulteriùs inquiritur. Porrò corpori Ecclesiæ adunari aliquis potest vel actualiter et in re, ut aiunt Theologi, vel ex voto et ex sincerâ cordis dispositione tantùm. Jam verò constat aliquem corde tenùs Ecclesiæ corpori unitum, sed non actualiter et in re, sive ob realem impotentiam, putà si ab hominum consortio segregatus in insulâ desertâ vivat, sive propter ignorantiam invincibilem veræ Ecclesiæ, posse adhuc salvari, modò cætera ad salutem necessaria necessitate medii aut præcepti fideliter adimpleat. Cujus ratio hæc est, quòd nemo à salute repellatur propter involuntariam rei necessitate præcepti necessariæ omissionem : sed actualis corpori Ecclesiæ adhæsio est tantùm necessaria necessitate præcepti; ergo, etc.

Hinc quotquot in sectis Hæreticorum vel Schismaticorum bonâ fide degentes, ut habet S. Aug. Epist. 43 ad Glorium et Elusium, cap. 1, *sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt;.... quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquàm sunt inter Hæreticos deputandi*, nec extra viam salutis, modò cætera, ut jam dixi, necessaria necessitate medii et præcepti observent; ita post S. Augustinum Theologi. Vide Nicolium libro cui titulus : *de l'Unité de l'Eglise*, cap. 30, et sacræ Facultatis Parisiensis Determinationem, de libro cui titulus *Emile*, censurâ in 24 propos. et seqq.

Ergo status quæstionis est, utrùm homo per hæresim vel schisma voluntariè disjunctus ab Ecclesiâ visibili, seu extra corpus Ecclesiæ suâ culpâ manens, possit salvari.

PROPOSITIO VII.

Extra Ecclesiam nulla salus sperari et obtineri potest.

Prob. 1.° In Scripturis Ecclesia dicitur Corpus Christi, ad Coloss. c. 1, ℣. 24; Sponsa Christi, ad Eph. c. 5, ℣. 25; Domus Dei, I Tim. c. 3, ℣. 15 : atqui, ut ratiocinatur *Nicole*, Christus salvat tantùm eos qui in domo suâ sunt, sponsam suam, corpus suum; *ipse*, inquit Apostolus, *salvator corporis ejus*, Eph. c. 5, ℣. 23. Et verò Arca Noe fuit Ecclesiæ figura; ergo sicut extra illam omnes aquis obruti periêre, ita nullus extra Ecclesiam salutem consequitur. Comparationem istam non marte proprio fingimus, sed à Patribus traditam fideliter tradimus; testis est S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ : *Si potuit evadere quisquam*, ait, *qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam forìs fuerit, evadet.* S. Hieronymus, Dial. contra Lucif.; S. August. lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 5; S. Cyrillus, lib. 2 in Genesim.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Irenæus, lib. 4 adversùs hæreses, cap. 62 : *Dominus judicaturus est eos omnes qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam.* S. Cypr. lib. de Unit. Ecclesiæ : *Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem;... esse Martyr non potest qui in Ecclesiâ non est;... occidi talis potest, coronari non potest.* S. Aug., lib. de Unit. Ecclesiæ, cap. 19 aliàs 16 : *Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore*

fuerit, quod est Ecclesia. Idem, Concione de gestis cum Emerito Donatistâ : *Salutem non potest habere homo, nisi in Ecclesiâ Catholicâ : extra Ecclesiam Catholicam, totum potest præter salutem.*

Plures alios omitto quibus clarè conficitur eos immeritò sibi ex bonis operibus blandiri, qui unitatem Ecclesiæ, vel in totó vel in parte, disrumpunt. Porrò tales habentur, non solùm ii qui seipsos à communione catholicâ segregant et corpus seorsìm constituunt, altare contra altare erigentes, ut fecêre olìm Ariani et Donatistæ; sed etiam illi qui, licèt ab unitate catholicâ se nolle recedere profiteantur et in eâ materialiter perseverent, vel uni Ecclesiæ definitioni seu judicio ipsis sufficienter proposito assensum dare, vel alicui ejus præcepto cum rebellione, ut loquitur D. Thomas, obedire nolunt. *Multi,* inquit S. Augustinus, lib. de Unit. Ecclesiæ, cap. 25, *tales sunt in sacramentorum communione cum Ecclesiâ, et tamen jam non sunt in Ecclesiâ,... Antequàm.... visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem quâ convincitur et arguitur inimicum gestat animum, jam præcisus est.*

Solvuntur objecta.

Obj. 1.° *contra prim. propos.* In Ecclesiâ sufficit professio unius et ejusdem fidei in articulis fundamentalibus, in aliis verò minùs præcipuis, quamtumvìs ab Ecclesiâ definitis, unitas minimè requiritur; ergo Ecclesia non est una, Catholicorum sensu jam exposito.

Resp. Nego ant. Omnia Ecclesiæ membra unam eamdemque in omnibus omninò articulis fidem tenere debent, juxta illud Apost., Eph.

c. 4, ℣. 5: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

Et verò Ecclesia in omnibus suis documentis infallibilitate potitur, ut posteà evincemus; ergo fideles non in aliquibus tantùm, sed in omnibus articulis cum ipsâ et secum invicem consentire gravi præcepto adstringuntur; necesse quidem non est ut singula quæque à Deo et ab Ecclesiâ proposita explicitè sciant et credant; explicita fides illa nonnisi quantùm ad præcipuos articulos, quos *solemnes* nuncupamus, necessaria est necessitate medii aut præcepti; sed requiritur saltem ut fide implicitâ credant quidquid Ecclesia proponit, in quantùm infallibilitatis ejus certiores facti, credunt vera esse quæcunque docet Ecclesia, et paratum gerunt animum doctrinam ejus explicitè seu distinctè profitendi, ubi sufficienter proposita ipsis fuerit.

Inst. 1.° In articulis non fundamentalibus errantes, sunt membra Ecclesiæ; ergo, etc.

Resp. Nego ant. propter rationes jam allatas; et certè qui *Ecclesiam non audit* haberi debet *ut Ethnicus et Publicanus*: atqui etiam errantes in articulis non fundamentalibus, Ecclesiam non audiunt; ergo sicut Ethnici et Publicani habendi sunt, ac proindè non sunt Ecclesiæ membra.

Inst. 2.° Post definitionem Concilii Jerosolymitani, æmulatores legis mosaicæ fuerunt hæretici in articulo non fundamentali: atquí tamen erant veræ Ecclesiæ membra, ut videre est Act. c. 21; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Æmulatores legis mosaicæ qui post definitionem Concilii Jerosolymitani legalia tanquam saluti necessaria observabant,

hæretici fuerunt, *conc.*; qui legalia ut bona et licita tantùm retinebant, *nego*. Itaque æmulatores legis dicimus eos qui ex Judaismo ad Christianismum conversi, præ suo erga legem mosaicam zelo et amore, cæremoniis ejus addicti erant: porrò æmulatores illi mosaicæ legis in duas classes dividi possunt: 1.ª classis eos continet qui cæremonias præfatæ legis ut bonas et licitas, sed non ut ad salutem post adventum Christi necessarias, frequentabant; 2.ª classis eorum est qui legalia ut necessaria ad salutem, etiam gentibus, observabant: porrò fateor hanc secundam æmulatorum legis classem hæreticam fuisse, post definitionem Concilii Jerosolymitani, à quo scilicet statutum fuerat legem Moysis non ampliùs obligatoriam esse et necessariam; Act. c. 15. Sed non ita judicandum est de primâ classe: simplex enim observatio legalium, etiam post definitionem Concilii Jerosolymitani, adhuc licita fuit, ut ex ipsâ praxi Apostolorum constat, Act. c. 21. Et verò lex vetus mortifera non evasit, nisi quadragesimo circiter anno à morte Christi, cùm urbs Jerosolymitana et templum ipsius à Romanis eversa sunt: jam verò æmulatores legis qui cæremonias ejus ut bonas et licitas observabant, erant quidem Ecclesiæ membra, non autem alii qui legalia tanquam saluti, etiam gentibus, necessaria tuebantur. Priores, ut dilectos filios et fratres in Christianismo suscipiebant Apostoli; posteriores verò tanquam Hæreticos à Christianismo et à salute penitùs alienos habebant: *Ecce*, inquiebat Paulus, Galatas isto errore infectos alloquens, c. 5, ℣. 2, *ego dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

Obj. 2.° I ad Corinth. c. 3, Apostolus agendo

de prædicatoribus, dicit alios ædificare *super fundamentum* (nempè Christum), *aurum, argentum, lapides pretiosos;* alios verò, *fœnum, stipulam et lignum;* posteà addit, *Cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Juxta Juriæum, Apostolus per *fundamentum*, quod est Christus, intelligit articulos fidei fundamentales; per *aurum, argentum et lapides pretiosos*, significare voluit fidei articulos veros, sed non fundamentales. Indè sic arguit, ut ostendat Ecclesiam non esse unam sensu Catholicorum: qui superstruunt fundamento, lignum, fœnum et stipulam, illi sunt qui, retentis articulis fundamentalibus, superaddunt errores minimè fundamentales: atqui tamen veræ Ecclesiæ membra sunt aut esse possunt, cùm ex Apostolo salvi erunt, sic tamen quasi per ignem; ergo, etc.

Resp. 1.° Interpretatio textûs Apostoli quam exhibet Juriæus, hoc ipso falsitate arguitur, quòd sit nova, et toti antiquitati ignota; inter SS. PP. priorum Ecclesiæ seculorum, nullus est qui interpretatus hunc textum fuerit de Doctoribus in Ecclesiâ remanentibus, et adversùs definitionem Ecclesiæ errantibus; è contra, SS. PP. Hæreticos omnes, absque ullâ distinctione vel exceptione, extorres ab Ecclesiâ fecerunt.

Resp. 2.° Nihil est in textu objecto quod doctrinæ Juriæi de distinctione inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales favere queat, præter illam vocem, *fundamentum:* atqui vox illa Juriæo non favet; in tantùm enim ipsi faveret, in quantùm exprimeret articulos fidei fundamentales: atqui vox illa non exprimit, etc.; alioquin dicendum esset unicum fidei articulum

esse fundamentalem, eum nempè qui circa Christum versatur : sic enim habet Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* ergo vel textus Apostoli nihil probat in gratiam articulorum fundamentalium, vel si quid pro ipsis probat, Juriæo adversatur; siquidem ipse plures articulos fundamentales agnoscit.

Resp. 3.° Lignum, stipula et fœnum, in allato textu S. Pauli, nequaquàm significant errores non fundamentales ad sensum Juriæi intellectos; namque, juxta ipsum, error minimè fundamentalis dicitur ille qui contradicit articulo fidei vero quidem, sed non tantæ utilitatis ut etiam post definitionem Ecclesiæ sufficienter cognitam, absque salutis dispendio non possit in dubium revocari : atqui certum est per lignum, stipulam et fœnum superposita fundamento, errores in Juriæi sensu non fundamentales ab Apostolo nequaquàm intelligi; namque per fœnum et stipulam intelligit doctrinas fundamenti, quod est Christus, minimè destructivas : atqui errores quos Juriæus vocat non fundamentales, verè tamen destruunt fundamentum ab Apostolo positum, scilicet Christum; nam, ut loquitur Nicolius, de Unitate Ecclesiæ lib. 2, cap. 4 : *Jésus-Christ, dont S. Paul fait le fondement de l'Eglise, n'est pas Jésus-Christ considéré comme la seule tête de l'Eglise, c'est Jésus-Christ tout entier, c'est-à-dire, la tête et le corps,* totus Christus, caput et corpus. *Notre foi doit embrasser l'un et l'autre, et l'on ne blesse pas moins la foi en désavouant l'Eglise de Jésus-Christ, qu'en renonçant à la personne de Jésus-Christ, chef de l'Eglise; comme S. Augustin le dit si souvent, il ne sépare point*

les intérêts de son épouse des siens propres... Quiconque s'oppose donc à une décision de l'Eglise, telle qu'elle soit, pourvu qu'elle soit effectivement de l'Eglise, s'oppose à Jésus-Christ même; il erre dans le fondement, parce qu'il erre dans l'Eglise, qui forme, avec Jésus-Christ son chef, le fondement de la foi..... Quelles seront donc ces doctrines, dira M. Jurieu, qui laissent subsister le fondement et qui tiennent lieu de paille, de foin et de bois? Ce seront toutes les pensées humaines non condamnées par l'Eglise, que les prédicateurs ne mêlent que trop souvent avec les vérités qu'ils tirent de l'Ecriture;... ce seront toutes les erreurs... où l'on tombe par ignorance ou par quelque éblouissement humain, mais avec la volonté de se soumettre à l'autorité de l'Eglise; ce seront tous les ornemens d'une éloquence séculière, qu'on ne recherche que trop souvent par des vues intéressées ou par un défaut de jugement.

Obj. 3.° Ecclesia est Catholica, id est, ubique diffusa: atqui nulla est christiana communio particularis quæ sit ubique diffusa; ergo Ecclesia non est una et individua communio, sed collectio omnium sectarum quæ fundamentales fidei articulos retinent.

Resp. Nego min. Ecclesiæ catholicitas seu diffusio in omnes gentes non physicè sed moraliter intelligi debet: atqui Ecclesia Romana moraliter ubique diffusa est, ut infrà probabitur; ergo falsum est nullam dari communionem individuam quæ sit catholica. Et verò quotidiè dicimus Alexandrum Magnum universas obtinuisse gentes: atqui tamen imperium ejus diffusione cedebat Ecclesiæ Romanæ; hanc ergo Catholicam esse et dici nihil vetat.

Obj. 4.° In famoso schismate Occidentis, Catholici in duas communiones divisi sunt, quarum una Urbano VI tanquam Papæ legitimo, altera Clementi VII adhærebat; atqui tamen duæ communiones illæ ad veram pertinebant Ecclesiam; ergo Ecclesia non est una et individua communio.

Resp. Nego maj. In famoso schismate Occidentis, divisio inter Catholicos nata occasione duorum, Urbani scilicet et Clementis, de Papatu contendentium, hæc, inquam, divisio schismatis nomen non meretur, ac proindè Catholici divisi, unicam non duas, strictè loquendo, communiones efformabant. Res ita est, modò divisionis ejus et disputationis inter Catholicos motæ objectum, etsi grave, non clarum nec ab Ecclesiâ definitum esset, et utraque pars dissidens, in uno supremo hujus controversiæ admittendo judice consentiret, atqui hæc duo certa sunt: 1.um quidem; quæstio enim erat quisnam ex Urbano VI vel ex Clemente VII, S. Petri successor legitimè fuisset electus: atqui factum illud perobscurum erat, ut fatentur omnes qui partis utriusque momenta nôrunt. Et verò tam densis immersa tenebris erat illa quæstio, ut duo Concilia, Pisanum scilicet et Constantiense, ad litem dirimendam congregata, satiùs duxerint nodum abscindere, duobus scilicet de Papatu contendentibus abdicationem præcipiendo, quàm solvere illum, alterutrius firmam auctoritatem et legitimam electionem declarando; aliundè hæc quæstio ab Ecclesiâ nondùm in Concilio generali dirempta fuerat, ut evidens est: 2.um quoque verum est; nam Catholici utriusque partis consentiebant in admittendâ generali Synodo, tanquam controversiæ hujus supremo ju-

dice; et reverà auctoritate ipsius tandem redintegrata est unio.

Inst. 1.° In præfato schismate, uterque de Papatu contendens, Concilium alterius et sectatores ejus anathemate percutiebat; ergo tunc temporis Ecclesia in duas communiones verè ac propriè divisa fuit.

Resp. Nego cons. et consequent. Excommunicationis pœna quam uterque contendens in Concilium alterius et sectatores ejus ferebat, ab auctoritate dubiâ proficiscens, nullius erat virtutis, ac proindè neminem, nisi fortè paucos schismatis formaliter reos, ab Ecclesiæ communione removebat. Hinc unaquæque pars, etsi opinativè dissentiens ab alterâ in quæstione facti, ipsam tamen ut Ecclesiæ filiam et in eorumdem sacramentorum communione junctam habebat. Sic S. Vincentius Ferrerius, licèt Clementi VII cum Gallis, Hispanis et cæteris addictus, Germanos, Anglos, et alios Urbano VI devinctos, ut fratres ac membra ejusdem Ecclesiæ suscipiebat, et vicissìm ab iisdem suscipiebatur. *Ces diverses obédiences,* inquit Nicolius de Unitate Ecclesiæ, tom. 2, cap. 10, *quoique divisées du Pape qu'elles ne reconnaissaient point, ne se regardaient pas les unes les autres comme séparées de l'Eglise. Les Français ne croyaient point que tous les Anglais et les Allemands fussent schismatiques et exclus du salut : l'Allemagne et l'Angleterre ne faisaient point ce jugement de la France et de la Castille.*

Inst. 2.° Saltem tunc temporis, Catholici non iisdem subjiciebantur Pastoribus; ergo remanet tota difficultas.

Resp. In præfato schismate omnes Catholici

subjiciebantur iisdem Pastoribus quorum auctoritas erat indubia, nimirùm Episcopis et Concilio generali. Non quidem uni aut alteri Papæ obediebant, sed unitas illa tunc temporis non erat necessaria, siquidem, ut jam diximus, nullus inter contendentes auctoritate certâ et ab Ecclesiâ receptâ potiebatur.

Cæteras objectiones contra unitatem Ecclesiæ fieri solitas expendemus dissertatione 3.ª *de Membris Ecclesiæ*, ubi de Schismaticis et Hæreticis.

Obj. contra 5.am *propos.* In Ecclesiâ Romanâ videre est Theologos non modò varias, sed etiam oppositas tuentes doctrinas; ergo nulla est inter ipsos in fide unitas.

Resp. Dist. ant. Theologi non modò varias, sed etiam oppositas tuentur doctrinas in iis quæ ab infallibili controversiarum judice definita non sunt, quæque consequenter ad fidem catholicam non pertinent, *conc.;* secùs, *nego.* Itaque distinguamus inter dogmata fidei certò et clarè definita et proposita, et doctrinas sive opiniones quas varias in partes, ad ingeniorum exercitationem, veritatis elucidationem, ex prudenti œconomiâ et dispensatione agitari permittit Ecclesia. In prioribus unitas absolutè necessaria est, et reipsâ omnes Theologi verè Catholici de iis consentiunt; at non ita est de posterioribus; *in iis* enim, ut loquitur S. Aug., de Peccato Originali, lib. 3, cap. 23, *in iis, salvâ fide quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit; aut aliter quàm est, humanâ et infirmâ suspicione conjicitur;* cùm ergo variæ necnon oppositæ Theologorum in Ecclesiâ sententiæ versentur tantùm circa res non clarè et certò definitas, manifestè sequitur ipsorum dissensiones

sensiones nullum fidei catholicæ unitati præjudicium afferre.

Inst. 1.° Atqui etiam in rebus ab Ecclesiâ definitis dissentiunt Theologi Romani ; ergo nulla solutio. *Probo subsumptum.* Quod enim generale Concilium sit supra Papam , istud definitum est in Concilio Constantiensi : atqui tamen in Ecclesiâ Romanâ non omnes de hoc articulo idem sentiunt ; ipsi nimirùm adhærent Galli , repugnant verò Ultramontani ; ergo , etc.

Resp. Verum quidem est, ut probabitur infrà , quòd ab Ecclesiâ in Concilio Constant. definitum sit œcumenicam Synodum esse supra Papam ; sed quia plures , Ecclesiâ vidente et permittente , definitionis ejus auctoritatem vel sensum negant , ideò superioritas Concilii supra Papam , etsi teneatur à Gallis , ad fidem catholicam non pertinet , et proindè Theologorum in hâc parte dissensio unitatem fidei catholicæ minimè lædit.

Igitur ad plenam difficultatis hujus et similium explanationem , observandum est quòd unitas fidei , quam in Ecclesiâ necessariam esse probavimus , sese extendat tantùm ad articulos fide catholicâ credendos : porrò ut aliquis articulus ad fidem catholicam pertineat , duo necessaria sunt , unum ex parte Dei , revelatio scilicet ; alterum ex parte judicis controversiarum seu Ecclesiæ , certa nimirùm et clara definitio ; tunc autem certa et clara non censetur aliqua Ecclesiæ definitio cùm , ipsâ vidente et non prohibente , vel in dubium revocatur, vel etiam negatur à pluribus Catholicis.

Inst. 2.° Atqui etiam in rebus certò et clarè definitis divisi sunt Theologi romani ; ergo , etc.

Prob. ant. Pelagianismus et Semipelagianismus certò et clarè olim damnati sunt ab Ecclesiâ : atqui tamen plures in Ecclesiâ Romanâ, Molinistæ scilicet, præfatos errores tuentur : *Les Molinistes*, inquit Juriæus, Epist. 8 et 10, *sont des Semipélagiens ; l'Eglise Romaine, un Pélagianisme tout pur et tout cru ;* ergo, etc.

Resp. Nego min. Quidquid sit de veritate aut falsitate sententiæ Molinistarum, cujus examen præsentis instituti non est, constat odiosam Pelagianismi aut Semipelagianismi notam ipsis inurendam nõn esse : *Pour ce qui regarde les Molinistes*, inquit illustrissimus Bossuetius, Monito 2 ad Protestantes, cap. 4, n.° 18, *si M. Jurieu en avait seulement ouvert les livres, il aurait appris qu'ils reconnaissent pour tous les élus une préférence gratuite de la divine miséricorde, une grâce toujours prévenante, toujours nécessaire pour toutes les œuvres de piété, et dans tous ceux qui les pratiquent, une conduite spéciale qui les y conduit ; c'est ce qu'on ne trouvera jamais dans les Sémipélagiens, et moins encore dans les Pélagiens..... Tout ce que dit M. Jurieu pour soutenir cette calomnie, c'est qu'on donne à l'homme le pouvoir de résister à la grâce. Si c'est là être Pélagien..., S. Augustin est aussi du nombre des Pélagiens, depuis qu'il répète si souvent, même contre ces Hérétiques, que la grâce vient de Dieu, mais qu'il appartient à la volonté d'y consentir ou de n'y consentir pas ;* lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 33. *Eos ferre non possum,* inquit Natalis Alexander, Thomista celebris, tom. 5 Historiæ suæ, seculo v, cap. 3, art. 3, § 13, n.° 13, *qui opiniones ab Ecclesiâ minimè*

damnatas et in ejus sinu à Theologis impunè propugnari solitas, temerariis censuris inurunt, et malè conceptis parallelis doctrinæ molinisticæ cum pelagianis et semipelagianis erroribus, veritatem lædunt, violant charitatem, pacem Ecclesiæ perturbant. Paulus V, post habitas congregationes *de auxiliis*, utrique parti, Thomistis scilicet et Molinistis, propriam permisit defendere sententiam; atque interìm, ut habet *P. Serri* in suâ Congregationum *de auxiliis* Historiâ, lib. 4, cap. 18, *seriò injunxit ut in hujusce argumenti tractatione, nullus partem alteram notâ aliquâ vel censurâ perstringere auderet.*

Obj. 2.° In Ecclesiâ Romanâ non unus et idem controversiarum fidei judex infallibilis admittitur, scilicet Ultramontani credunt Papam ex *cathedrâ loquentem*, infallibilitate donari; reclamant verò Galli dicentes infallibilitatis privilegium corpori Episcoporum competere; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Fide catholicâ certum est corpus episcopale junctum summo Pontifici errare non posse : istud concedunt Catholici omnes; unum ergo et communem admittunt judicem controversiarum. Disputant quidem inter se an præter corpus Episcoporum Papæ conjunctorum, ipse etiam Papa vi divinarum promissionum privilegio infallibilitatis gaudeat, sed illa divisio unitatem fidei inter Catholicos minimè violat, tum quia litem hanc hùc usque non diremit Ecclesia, tum etiam quia, ut jam dixi, de aliquo judice communi et supremo inter se consentiunt, in quantùm scilicet unanimiter fatentur Papam et Episcopos simul junctos, in docendo errare non posse.

ARTICULUS II.

De Sanctitate Ecclesiæ.

Quòd vera Ecclesia sit sancta, nullus nisi infidelis ignorat vel negat; omnes enim Christiani nôrunt hunc Symboli articulum *Credo... sanctam Ecclesiam;* at verò quonam et quotuplici sensu ipsi competat sanctitas, ulteriùs quæritur.

Resp. Christi Ecclesiam sanctam esse ac dici.

1.° Sancta est in auctore suo et in primis fundatoribus suis; Christus enim instituit Ecclesiam acquirendo eam *sanguine suo;* Act. c. 20, ℣. 28; doctrinam in Ecclesiâ credendam revelando: *Deus*, inquit Apost. ad Heb. c. 1, ℣. 1, *novissimè diebus istis locutus est nobis in filio;* sacramenta instituendo, ut probatur in *Tract. de Sacramentis in genere;* Pastores qui regant Ecclesiam constituendo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ; euntes ergo docete omnes gentes.* Item Apostoli suo modo ad Ecclesiæ fundationem concurrerunt: *Estis superædificati*, inquit Paulus ad Ephes. c. 2, ℣. 20, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Porrò Christus non solùm sanctus, sed etiam fons est et origo totius sanctitatis; Apostoli quoque magnâ sanctitate conspicui fuerunt; ergo nemini dubium esse potest quin Ecclesia, ratione auctoris sui et fundatorum, sancta sit.

2.° Ecclesia sancta est in membris suis, non quasi nullos nisi sanctos contineat, in ipsâ enim Ecclesiâ, inquit Aug. in Ps. 128, n.° 8, *mali mixti sunt bonis;* sed quia 1. omnes in Ecclesiâ vocantur ad sanctitatem, juxta istud I ad Corinth.

c. 1, ℣. 1, 2 : *Paulus Apostolus J. C. Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, vocatis sanctis;* quia 2. in eàdem Ecclesiâ semper aliqui degunt sancti; ipsa enim est corpus essentialiter vivum.

3.° Sancta ratione professionis suæ, hoc est, in tribus vinculis quibus varia ejus membra inter se conjunguntur, videlicet in confessione unius veræ fidei; propterea dicitur I ad Tim. c. 3, ℣. 15, *columna et firmamentum veritatis;* in participatione iisdem sacramentis, utpotè quòd gratiam non ponentibus obicem conferunt: in subjectione legitimis Pastoribus quos, Apostolo teste, Christus *in Ecclesiâ posuit ad consummationem Sanctorum.*

Constat ergo apud omnes Christianos Ecclesiam Dei, sponsam Christi, esse sanctam, et quidem solam. Verùm inter tot oppositas Christianorum sectas Ecclesiæ sanctæ sibi titulum tribuentes, litem dirimere, hìc labor est. Si ex discussione quæstionem istam definire cupias, viam ingrederis difficilem, operosam, imperitorum captui minùs accommodatam; at verò si ad auctoritatem confugias, jam definitionem veræ Ecclesiæ in quâ residet auctoritas supponere videris : ad cujus solutionem sit

PROPOSITIO.

Ecclesia Romana est sancta, et quidem sola.

Prob. 1.ª *pars.* Vera Christi Ecclesia in tribus maximè sancta est; nimirùm in auctore et fundatoribus, deindè in pluribus ex membris suis, postremò professione suà : atqui Ecclesia Romana triplici hocce modo sancta est : 1.° Ecclesia Catholico-Romana sancta est in auctore et

fundatoribus suis. Illa enim Ecclesia sancta est in, etc., quæ ab ipsomet Christo instituta et Apostolis fundata est : atqui Ecclesia Romana ab ipso Christo instituta est et Apostolis fundata, cùm jure successionis, quod sibi tribuere nulla societas alia potest, unam et eamdem moraliter cum Ecclesiâ Christi et Apostolorum societatem efformet. 2.° Ecclesia Catholico-Romana sancta est in pluribus membris suis; hæc veritas est facti, cujus probationem nobis suppeditant multa indubitatæ fidei historiæ monumenta, necnon splendida quæque etiam primi ordinis miracula, quibus confirmatur sanctitas eorum quos Beatorum catalogo Ecclesia Catholico-Romana inscribit. 3.° Ecclesia Catholico-Romana sancta est ratione professionis suæ, in doctrinâ, scilicet, in sacramentis, et in ministerio; illa enim sancta est, etc., quæ in variis circa doctrinam, sacramenta, ministerium exortis litibus, antiquitati et majori auctoritati semper adhæsit : atqui Ecclesia Romana in variis circa doctrinam, etc., ut publicis historiæ ecclesiasticæ factis constat.

Prob. 2.ª *pars.* 1.° Nulla est secta quæ uno saltem ex tribus vinculis quibus constituitur corpus Ecclesiæ non careat : atqui societas quæ caret uno saltem ex tribus vinculis, etc., non est sancta, ut patet. 2.° Speciatìm probatur de Protestantium sectis, quarum auctores non fuerunt sancti; nôrunt enim omnes vitia in quæ lapsus est Lutherus, prætensæ Reformationis parens : *Je voudrais*, inquit Bossuetius, Historiæ Variationum lib. 1, n.° 33, *qu'un de ses sectateurs des plus prévenus* (de Luther) *prît la peine de lire seulement un discours qu'il composa du temps de Paul III, contre la Papauté*, Operum Lutheri

tom. 7; *je suis certain qu'il rougirait pour Luther, tant il y trouverait partout, je ne dirai pas de fureur et d'emportement, mais de froides équivoques, de basses plaisanteries et de saletés, je dis même des plus grossières, et de celles qu'on n'entend sortir que de la bouche des plus vils artisans. Le Pape, dit-il, est si plein de diables, qu'il en crache, qu'il en mouche... N'achevons pas ce que Luther n'a pas eu honte de répéter trente fois : est-ce là le discours d'un réformateur ? Mais c'est qu'il s'agit du Pape : à ce seul mot il rentrait dans ses fureurs, et il ne se possédait plus. Mais oserai-je rapporter la suite de cette invective insensée ? Il le faut malgré mes horreurs, afin qu'on voie une fois quelles furies possédaient ce chef de la nouvelle réforme. Forçons-nous donc pour transcrire ces mots qu'il adresse au Pape : Mon petit Paul, mon petit Pape, mon petit ânon, allez doucement ; il fait glace : vous vous rompriez une jambe ; vous vous gâteriez ; et on dirait, que diable est ceci? comme le petit Papelin s'est gâté ! Pardonnez-moi, Lecteurs Catholiques, si je répète ces irrévérences..... Mais après ces sales idées il est temps de voir les beaux endroits ; ils consistent dans ces jeux de mots.* cœlestissimus, scelestissimus; sanctissimus, satanissimus, *et c'est ce qu'on trouve à chaque ligne. Mais que dira-t-on de cette belle figure : Un âne sait qu'il est âne, une pierre sait qu'elle est pierre, et ces ânes de Papelins ne savent pas qu'ils sont des ânes... Poursuivons ; voici le style qui va s'élever. Si j'étais le maître de l'empire....., je ferais un même paquet du Pape et des Cardinaux, pour les jeter tous ensemble*

dans ce petit fossé de la mer de Toscane. Ce bain les guérirait, j'y engage ma parole, et je donne J. C. pour caution...... Taisons-nous, c'en est assez, et tremblons sous les terribles jugemens de Dieu qui, pour punir notre orgueil, a permis que de si grossiers emportemens eussent une telle efficace de séduction et d'erreur.

3.° Nec doctrina Protestantium est sancta, cùm, nec ipsis diffitentibus, in multis adversetur traditioni Patrum et fidei Ecclesiæ priorum seculorum, putà tertii, quarti et quinti seculi, v. g., Sanctorum invocationem respuunt, quamvis fateantur praxim contrariam à quarto Ecclesiæ seculo in totâ obtinuisse Ecclesiâ.

COROLLARIUM.

Ergo Societas Catholico-Romana est vera Ecclesia.

Prob. Ex dictis, sola vera Christi Ecclesia sancta est : atqui ex mox probatis, Ecclesia Catholico-Romana est sancta; ergo est vera Ecclesia.

Obj. 1.° Ecclesia Catholico-Romana sæpiùs reformatione indiguit, ut constat ex variis Conciliorum canonibus, qui reformationem illam præscribunt; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Ecclesia Catholico-Romana sæpiùs reformatione indiguit, in iis quæ ad observationem disciplinæ et praxim regulæ morum pertinent, *conc.;* in iis quæ fidei professionem spectant, aut regulas morum ab ipsâ traditas, *nego.*

Ecclesia Romana dicitur sancta eo sensu quòd nihil nisi verum et sanæ fidei consonum proponat fidelibus, nihil nisi sanctum ipsis præcipiat,

nihil nisi perfectum iis consulat; dicam verbo: fides Ecclesiæ Catholico-Romanæ vera est, sancta est, canones ipsius disciplinæ sancti, concilia ejus sancta. Dixi, *Ecclesiæ Catholico-Romanæ,* non autem singulorum in eâ degentium; laxiores enim vel etiam plus æquo rigidiores videre est casuistas, quorum theoria et praxis Ecclesiæ Catholico-Romanæ utcunquè improbanti, nullo modo imputari debet. Item Ecclesia Catholico-Romana dicitur sancta in pluribus membris suis, quæ strictas morum regulas et canones disciplinæ ab Ecclesiâ conditos, Deo juvante, fideliter observant; sed diffiteri non possumus quin multò plures ab illâ quæ ducit ad vitam arctâ deflectant viâ; hinc fit ut reformatio non in membris tantùm, sed in capite quandoquè necessaria sit, cujus tamen reformationis necessitas nullum in Ecclesiâ arguit vitium, sanctitatis hujus quam ipsi tribuimus eversivum.

Inst. Ecclesia Catholico-Romana variis temporibus, plurium errorum contra fidem et mores accusata fuit; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Accusationes illæ, ab Hæreticis profectæ, nullam merentur fidem; sunt enim recriminationes, quarum falsitatem probant, 1.° dogmatum Ecclesiæ nostræ ad normam Scripturæ et traditionis examen; 2.° antiquitas ipsorum; 3.° eminens auctoritas quæ nobis ea proponit.

Obj. 2.° Sanctitas doctrinæ verâ Ecclesiâ non est notior; ergo ipsius nota dici non debet.

Resp. Dist. ant. Sanctitas doctrinæ non est verâ Ecclesiâ notior, si per discussionem Scripturæ et traditionis habeatur, *conc.;* si præscriptione, antiquitate et auctoritate, *nego.* Solutio patet.

Obj. 3.° Sanctitas non est accommodata rudium captui; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Sanctitas non est accommodata rudium captui, juxta omnes suos respectus spectata, *transeat;* juxta quemdam respectum infallibiliter cum existentiâ veræ Ecclesiæ connexum, *nego.* Porrò, licèt sanctitas, juxta omnes suos respectus spectata, non esset accommodata rudium captui, quod negari posset, ut ex probationibus traditis constat, nihilominùs sanctitas est nota positiva Ecclesiæ, si se prodat sub aliquo respectu infallibiliter cum verâ Ecclesiâ connexo: atqui sub aliquo respectu infallibiliter cum verâ Ecclesiâ connexo se prodit, scilicet sub respectu sanctitatis membrorum ipsius; quilibet enim rudis intelligere potest, eam societatem esse veram, in quâ obtinuit series ferè non interrupta virtutum et miraculorum. Deindè monumentis historiæ certissimis ipsi comprobari potest hâc prærogativâ solam insigniri Ecclesiam Catholico-Romanam.

ARTICULUS III.

De Catholicitate Ecclesiæ.

Quæres 1.° utrùm vera Christi Ecclesia catholica sit.

Observandum 1.° Catholicitas, juxta vim nominis, idem sonat ac universalitas; in Ecclesiâ autem multiplex distingui potest catholicitas sive universalitas, temporum nempè, doctrinæ, locorum et hominum. Catholicitas Ecclesiæ ratione temporum, ipsius est duratio à tempore institutionis usque ad finem mundi; catholicitas Ecclesiæ in doctrinâ, professio est veræ fidei omnem

omninò hæresim excludens; demùm catholicitas Ecclesiæ ratione locorum et hominum, ipsius est diffusio per omnia loca, apud omnes gentes: porrò hìc non agitur de catholicitate Ecclesiæ Christi ratione temporum; de eâ quippe sufficienter diximus ubi de perpetuitate Ecclesiæ; nec etiam agitur de catholicitate ipsius ratione doctrinæ: hæc enim solvetur quæstio ubi de infallibilitate Ecclesiæ; ergo res est de catholicitate Ecclesiæ ratione locorum et hominum, id est, quæritur an vera Christi Ecclesia sit ubique diffusa, per omnia scilicet loca, et apud omnes gentes: sed ut magis pateat quis sit verus quæstionis status,

Observandum 2.° catholicitatem Ecclesiæ localem, duplicem distingui, *simultaneam* et *successivam*: prior est diffusio Ecclesiæ per omnia loca, et apud omnes gentes, simul et eodem tempore; posterior est diffusio ejusdem Ecclesiæ per omnia loca et apud omnes gentes, successivè: porrò hìc agitur de catholicitate Ecclesiæ simultaneâ, successivam enim ipsi facilè concedunt omnes Christiani.

Observandum 3.° catholicitatem simultaneam *physicè* vel *moraliter* intelligi posse: prima esset diffusio Ecclesiæ, simul et eodem tempore, per omnia penitùs loca, apud cunctas omninò gentes; secunda est diffusio ejusdem Ecclesiæ per cuncta loca, et apud omnes gentes, moraliter loquendo, ita ut in præcipuis mundi partibus et locis et plagis cognita sit, et membra possideat. Jam verò certum est catholicitatem primo sensu intellectam, Ecclesiæ Christi non fuisse promissam; ergo de catholicitate moraliter acceptâ quæstio tantùm movetur.

Observandum 4.° catholicitatem illam Ecclesiæ tribui posse, vel modo *permanenti,* ita ut vi promissionum divinarum eâ nunquàm carere possit; vel *transitoriè;* ita ut, salvis promissionibus, ab eâ excidere possit, et intra arctiores, putà unius provinciæ, limites constringi : porrò quòd Ecclesia Christi aliquandò fuerit simul et ubique moraliter diffusa quis negare audeat? ergo tota difficultas est de catholicitate permanenti.

Observandum 5.° veram Christi Ecclesiam considerari posse vel ut *nascentem* et, ut ita loquar, in cunis adhuc positam, primis scilicet institutionis suæ annis; vel ut *adultam*, ubi vox Apostolorum in omni terrâ audita est : porrò liquet Ecclesiam nascentem actu non fuisse catholicam, id est, ubique diffusam : tunc enim ab ipso Christo nuncupabatur *pusillus grex*, apud Lucam, c. 12; hinc unicè agitur de Ecclesiâ Catholicâ adultâ, et quæritur an sit catholica diffusione locali, simultaneâ et permanenti, id est, an ubique moraliter, actu, semperque diffundi debeat.

Inter præcipuos catholicitatis hostes eminent Donatistæ, juxta quos Ecclesia primùm ubique diffusa, ex universo mundo perierat, si tamen Africam excipias, in quâ ipsi morabantur; Ecclesiæ tamen Catholicæ nomen minimè respuebant, at sensum ejus dimidiabant, rati scilicet nomen istud significare tantùm universalitatem præceptorum et sacramentorum quæ in verâ obtinent Ecclesiâ.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia catholica est sensu mox exposito.

Prob. 1.° *ex Script.* Ps. 2, ℣. 7 et 8 : *Domi-*

nus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Juxta Isaïam : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini..., et fluent ad eum omnes gentes.* Item, Ps. 21, ℣. 28; Zachariæ c. 9, ℣. 10; undè sic arguitur : hæreditas illa, possessio et mons domûs Domini, Ecclesiam significant, ut evidens est, et fateri coguntur omnes Christiani : *Quis enim Christianus,* inquit S. Aug. de Unitate Ecclesiæ, cap. 8, *unquàm...... hanc hæreditatem aliud quam Ecclesiam esse intellexit ?* ergo cùm hæreditas illa gentes complectatur, cùm hæc posssessio tam latè quàm terra ipsa pateat, et terminis ejus tantùm constringatur, cùm ad montem illum domûs Domini omnes fluant gentes, manifestè sequitur Ecclesiam his omnibus adumbratam, localem habere catholicitatem, id est, per omnia loca diffundi. Dan. c. 2, ℣. 35 : *Lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Isaiæ c. 54, ℣. 1, 2, 3 : *Multi filii desertæ, magìs quàm ejus quæ habet virum. Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende.... ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit.* Undè sic : mons ille magnus de quo Daniel loquitur, implet universam terram simul et eodem tempore, non successivè tantùm, ut evidens est; item deserta hæc mulier quam inducit Isaias non dilatat tentorii sui locum nisi quia gentes ad tabernacula sua simul, non autem successivè tantùm, confugiunt : atqui mons ille magnus, hæc mulier primùm quidem deserta sed posteà filiorum multitudine dives, Ecclesiam significabant;

mons quidem ex ipsâ Danielis interpretatione, c. 2, ℣. 44 et 45; et pariter hæc mulier deserta, ut habet S. Paulus ad Galat. c. 4, ℣. 27; ergo Ecclesia simul ubique diffusa est moraliter, seu catholicitatem habet localem et simultaneam. Ejusdem Danielis c. 2, ℣. 44 : *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.* Undè sic : regnum istud quod tanquam universale describitur, ipsum est Christi regnum, seu Ecclesia ubique simul diffusa, cùm ergo ibidem dicatur perpetuò duraturum, manifestè sequitur Ecclesiam semper futuram esse catholicam, id est, ubique diffusam; ergo si varias probationis nostræ partes resumamus, liquet veram Christi Ecclesiam donari catholicitate *locali, simultaneâ et permanenti.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Aug. lib. 2 contra Petilianum, cap. 104 : *Nota est* (Ecclesia) *omnibus gentibus* (nimirùm per suî diffusionem) : *Pars autem Donati ignota est pluribus gentibus; non est ergo ipsa :* porrò catholicitas illa ex cujus defectu revincebat Donatistas sibi veræ Ecclesiæ titulum et nomen tribuentes, actualis est et simultanea, non autem successiva, cùm defectum illius apud Donatistas probaret ex eo quòd litteras communionis ad Episcopos totius orbis dirigere non possent, et in Africâ tantùm degerent. (Vide S. Doctorem in Epist. 163 ad Glorium et Eleusium.) Item character est permanens et ab Ecclesiâ inseparabilis; cùm enim catholicitas Ecclesiæ modo indefinito in Scripturis promissa sit, nec magis ætatem unam quàm alteram connotet,

non potuit Augustinus ex characteris hujus defectu Donatistas refellere, nisi supponendo catholicitatem pro semper Ecclesiæ promissam fuisse. Idem S. Doctor, serm. 2. in Psalm. 101, ℣. 9: *Ergo usque in finem seculi Ecclesia in omnibus gentibus.* Idem, lib. 4 contra Cresconium: *Necesse est*, inquit, *non solùm fecunditate crescentis Ecclesiæ, verùm etiam permixtâ multitudine inimicorum ejus per quos pietas ejus exerceri et probari possit, usque in finem... totus orbis impleatur.* Hæc adeò clara sunt in gratiam nostræ propositionis Augustini testimonia, ut ipse Juriæus Minister diffiteri non sit ausus, ut videre est in lib. quem edidit de Vero Ecclesiæ Systemate, parte 1.ª, cap. 10.

S. Optatus, lib. 2, contra Parmenianum Donatistam: *Si apud vos tantummodò* (Ecclesiam) *esse vultis,... ubi vos non estis non erit...; ubi ergo proprietas catholici nominis, cùm indè* (Ecclesia) *dicta sit catholica, quòd sit ubique diffusa?* S. Cyrillus Jerosol., Catechesi 18.ª: *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum sit orbem terrarum diffusa.* S. Hieronymus in c. 24 S. Matth.: *Nolite credere quòd filius hominis vel in deserto gentium sit, vel in penetralibus Hæreticorum: sed quòd ab oriente usque in occidentem fides ejus in Catholicis Ecclesiis fulgeat...; stultum est itaque eum in parvo loco vel abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit.*

Deniquè suppetit nobis auctoritas Ecclesiæ Africanæ, quæ in famosâ Collatione cum Donatistis habitâ, ipsos à veræ Ecclesiæ titulo deturbavit, ex eo præcisè quòd catholicitate destituerentur, et in Africâ tantùm cognoscerentur.

Hinc meritò Nicolius, libro cui titulus: *Pré-*

jugés légitimes, cap. 8 : *Je soutiens contre eux* (les Protestans) *qu'on ne saurait nier que les Pères n'aient reconnu pour marque extérieure de cette Eglise, hors de laquelle il n'y a point de salut, d'être répandue par toutes les nations; qu'ils ont regardé cette marque et cette étendue universelle, comme devant convenir à l'Eglise dans tous les temps.* Et lib. cui titulus : *Les prétendus réformés convaincus de schisme*, parte 2.ª, cap. 11 : *De peur que M. Claude, forcé par l'évidence de ces preuves (tirées de S. Aug.), ne prenne le parti de secouer le joug de l'autorité de ce saint Docteur, on le supplie de se souvenir que la preuve tirée de l'étendue de l'Eglise ne lui est point particulière; que toute l'Eglise d'Afrique s'en est servie aussi-bien que lui dans la Conférence de Carthage, et que S. Jérôme l'avait employée contre les Lucifériens, S. Pacien contre les Novatiens, S. Optat contre les Donatistes, et qu'on la doit regarder ainsi comme étant une preuve de tradition.*

Quæ in gratiam catholicitatis Ecclesiæ ex Scripturâ et SS. PP. traditione mox attulimus, *ratione Theologicâ* suaderi possunt. Nimirùm, ex Apostolo, vult Deus salutem omnium hominum : porrò nulla extra Ecclesiam salus sperari potest; ergo Ecclesia omnibus pervia esse debet : omnibus autem pervia non est, si catholicitate careat; quomodò enim gentes remotissimæ veram Christi Ecclesiam cognoscere, ipsamque ingredi poterunt, si ubique moraliter diffusa non sit, si possit intra provinciæ unius vel regni fines contineri.

Quæres 2.° utrùm catholicitas sit character veræ Ecclesiæ proprius.

PROPOSITIO II.

Catholicitas est character proprius veræ Ecclesiæ.

Prob. Catholicitas est character proprius veræ Ecclesiæ, si talis esse debeat catholicitas illa quam Ecclesiæ competere probavimus, ut Ecclesia magis diffusa sit quàm societas alia quælibet : atqui talis esset debet, etc. ; tanta enim ejusque generis esse debet illa catholicitas, quanta necesse est ut dicatur Ecclesiam universum orbem moraliter occupare : atqui nisi Ecclesia magis diffunderetur quàm quælibet alia societas, dici non posset orbem universum moraliter occupare : quemadmodùm dictum malè esset imperium Romanorum apud universas gentes fuisse moraliter diffusum, si cùm dominarentur, aliud exstitisset imperium aut majus aut æquale ; ergo, etc.

Quæres 3.° utrùm catholicitas sit character Ecclesiæ obvius.

Observandum est circa catholicitatem duas quæstiones secernendas esse, quarum prima *juris* dicitur, secunda *facti :* quæstio *juris* est ea quâ quæritur utrùm vera Ecclesia ex Dei promissione sit catholica, quæstio *facti* est ea quâ quæritur quænam societas verè sit catholica : porrò nulla difficultas est nullumque dubium quin secunda quæstio solutu facillima sit etiam respectu imperitorum, cùm pendeat ex facto publico et manifesto ; itaque unicè ambigitur utrùm prima quæstio circa catholicitatem Ecclesiæ, sit accommodata ipsismet imperitis, id est, utrùm illi possint percipere vim probationum quibus ad-

struitur Ecclesiam esse catholicam, sensu paulò superiùs exposito.

PROPOSITIO III.

Catholicitas Ecclesiæ est character obvius.

Prob. Ille character est obvius cujus adsunt probationes ipsismet imperitis accommodatæ: atqui Ecclesiæ Catholicitatis adsunt probationes ipsismet imperitis accommodatæ; namque in gratiam catholicitatis Ecclesiæ duas in propositione primâ probationes attulimus, unam ex Script. petitam, alteram ex traditione Patrum: atqui duæ probationes illæ, si nitidè exponantur, captum rudium non superant.

Prima quidem; ut enim illa probatio sit proportionata rudibus, duo requiruntur et sufficiunt: 1.° ut ipsis facilè constare possit de divinitate textuum quibus continetur catholicitas; 2.° ut possint eorum sensum naturalem agnoscere: atqui rudibus facilè constare potest de divinitate textuum quibus continetur catholicitas, et ipsi possunt eorum sensum naturalem agnoscere; primò quidem rudes facilè possunt agnoscere divinitatem textuum in quibus continetur Ecclesiæ catholicitas, cùm Christiani omnes de illorum divinitate consentiant; secundò iidem quoque detegere possunt sensum naturalem ejusmodi textuum, cùm planus sit et clarissimus, teste Aug. lib. de Unitate Ecclesiæ; et si quædam esset obscuritas, ex eventu tolleretur; sic enim habet S. Doctor, cap. 7 lib. mox citati: *Ecce ex uno* (Isaiâ) *Prophetâ quàm multa, quàm clara* (in gratiam catholicitatis testimonia)! *et tamen resistitur... evidentissimæ veritati..., ne quæ*

tantò antè... prænuntiata sunt, credantur impleri, cùm jam non prænuntiantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur.

Secunda etiam probatio ex traditione desumpta, ipsismet rudibus obvia est; namque rudes et imperiti certò cognoscere possunt Hæreticos olim à Patribus ex catholicitatis defectu fuisse impugnatos; istud enim factum est sensibile, publicum, in Patrum scriptis et monumentis historiæ consignatum, deindè adversariorum confessione confirmatum. Posteà rudes illi scire possunt hanc Patrum de catholicitate Ecclesiæ doctrinam veritate niti : in hoc enim articulo qui pertinet ad Symbolum, à sensu Ecclesiæ hujus temporis, quæ certò certiùs vera erat Christi sponsa, discedere non potuerunt.

Quæres 4.° utrùm catholicitas sit character ipsâ notior Ecclesiâ.

PROPOSITIO IV.

Catholicitas est character notior ipsâ Ecclesiâ.

Prob. Ille character verâ Ecclesiâ notior est, qui priùs ipsâ noscitur : atqui catholicitas priùs ipsâ Ecclesiâ cognoscitur, cùm probationes in gratiam catholicitatis suprà allatæ cognitionem actualis Ecclesiæ nullo modo præsupponant ; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ergo catholicitas est nota Ecclesiæ positiva.

Prob. Ad notam positivam tres requiruntur conditiones, ut sit character proprius veræ Christi Ecclesiæ, obvius et ipsâ notior : atqui catholicitas tres illas conditiones habet, ex præcedentibus propositionibus ; ergo, etc.

Quæres 5.° quænam inter christianas societates catholicitate polleat.

PROPOSITIO V.

Ecclesia Romana est catholica, et quidem sola.

Prob. 1.ª *pars.* Illa Ecclesia est catholica quæ ubique, moraliter loquendo, diffunditur : atqui Ecclesia Romana ubique, moraliter loquendo, diffunditur; hæc minor propositio pendet ex facto publico circa quod consulendi sunt viatores et historici; Ecclesia Romana ubique diffunditur, in quatuor mundi partibus cognoscitur et membra possidet. Plurimùm viget in Europâ, in cujus maximâ parte florentissima est; dominatur enim in Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Poloniâ, majorem Germaniæ partem obtinet, in Angliâ, licèt persecutionem patiatur, multos habet filios, et plures in Hiberniâ; plurimi in Asiâ inveniuntur Catholici, apud Græcos, Armenos, Persas, Indos, Sinenses; in Africâ nota est; in Americâ (1) plures et immensas diœceses occupat; ergo, etc.

Et verò Ecclesia Romana tempore S. Aug. erat Catholica, ut millies pronuntiat sanctus ille

---

(1) *Le nombre des Protestans*, scribebat anno 1825 viator celeberrimus hujus sectæ, D. *de Humboldt, dans toute l'Amérique continentale et insulaire, depuis l'extrémité méridionale du Chili jusqu'au Groënland, est à celui des Catholiques-romains comme* UN *est à* DEUX. Et reverà, juxta calculos ejusdem viatoris, *sur la population totale de l'Amérique, qui se porte à* 34,284,000 *habitans, on compte* 22,177,000 *Catholiques, et* 11,287,000 *Protestans.* Nomine autem Protestantium intelliguntur sectæ innumeræ quibus America hodiedùm pullulat.

Doctor adversùs Donatistas : atqui Ecclesia Romana non minùs est hodiè moraliter ubique diffusa quàm tempore S. August. ; si enim à quibusdam populis derelicta est, novos in compensationem acquisivit : de quibus consule Cardinalem Perronium, cap. 22, lib. 1. Replicæ ad responsionem Regis Majoris Britanniæ.

Prob. 2.ª *pars.* Inter societates Christi ab Ecclesià Romanà separatas, potissimum locum tenent Græci Schismatici, inter se etiam divisi, Protestantes, Lutherani scilicet et Calvinistæ : atqui societates illæ catholicitate destituuntur, ubique enim diffusæ non sunt : sic Græci nullas possident Ecclesias in Occidente, et arctioribus etiam constringuntur limitibus in Oriente ; Protestantes quoque catholici non sunt ; quis enim dixerit Lutheranos et Calvinistas ubique moraliter diffundi ? videre est quidem in plagis remotissimis Protestantes, scilicet Batavos et Anglos mercatores ; at verò illud non sufficit ut Religio Protestantium catholica dicatur.

COROLLARIUM.

Ergo Romana Communio vera est Ecclesia.

Prob. Illa societas vera est Ecclesia cui competit positiva veræ Ecclesiæ nota : atqui Ecclesiæ Romanæ competit positiva veræ Ecclesiæ nota ; etenim, ex præcedenti corollario, catholicitas est positiva veræ Ecclesiæ nota : atqui ex propositione V, Ecclesia Romana est Catholica ; ergo vera est Ecclesia.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.° *contra primam proposit.* Matth. c. 24, ℣. 14 : *Prædicabitur hoc Evangelium regni in*

universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio : ergo catholicitas successiva, non verò simultanea, Ecclesiæ convenit.

Resp. Nego consequent. In textu allato, promissa est quidem Ecclesiæ catholicitas successiva, ita ut temporum successione fides in toto penitùs orbe annuntiari debeat ; sed catholicitas illa simultaneam moraliter intellectam non excludit, ut ex probationibus allatis constat.

Inst. 1.° Luc. c. 18, ℣. 8 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ ?* ergo fides non in perpetuum Ecclesiæ promissa est ; ergo nec catholicitas.

Resp. Dist. ant. Filius hominis veniens non inveniet fidem eminentem vel charitate formatam, *conc.;* fidem simpliciter veram, *nego.* Hæc est solutio divi Aug., de Unitate Ecclesiæ, cap. 15 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ ? quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, vel propter illam iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum.*

Obj. 2.° Paganismus olìm diffusus ubique erat ; ergo catholicitas non est character proprius.

Resp. Dist. cons. Ergo catholicitas non est character Ecclesiæ proprius, relativè ad sectas infidelium, *conc.;* relativè ad sectas Christianorum, *nego.* Cùm Ecclesia Christiana ab omnibus infidelium sectis sufficienter distinguatur, minùs necesse est ut notæ ipsius sectis infidelium convenire non possint : *Les marques que Dieu a données à son Eglise,* inquit Cardinalis Perronius, cap. 5, lib. 1 operis cui titulus, *Réplique à la réponse du Roi de la Grande Bretagne,*

ne lui ont pas été imposées pour la distinguer de toutes sortes de choses ; mais pour la distinguer seulement de celles qui peuvent être supposées et prises pour l'Eglise, c'est-à-dire, qui briguent et prétendent à fausses enseignes le titre de l'Eglise ; non plus que les marques que les orfévres donnent à l'or, de ne point s'évaporer au feu, ne lui sont pas données pour le distinguer de toutes sortes de corps, car il y a d'autres corps à qui ces conditions sont communes, telles que le diamant ; mais pour le discerner d'avec le faux or, c'est-à-dire, d'avec les métaux altérés qui se peuvent supposer et faire prendre pour or. Catholicitas igitur non à nobis proponitur ut vera Ecclesia discernatur à societatibus Paganorum ; sunt enim aliæ notæ, sive positivæ sive negativæ, quibus Ecclesia à Paganismo distingui possit, ut videre est in *Tractatu de Religione.*

Inst. 1.° Atqui etiam secta falsa christiana diffusa fuit ubique : namque Arianorum secta fuit aliquandiù catholica, nimirùm tempore Constantii Imperatoris; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Sic enim Constantium Imperatorem alloquebatur Lucifer, Calaritanus Episcopus, lib. *Quòd moriendum sit pro filio Dei : Omnes si posses peragrare gentes, invenisses... ubique Christianos sicut nos credere.... at tua novella prædicatio... non solùm adhuc limitem romanum peragrare non valuit, sed et ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis à te atque paucis tuis, quos lolium esse super frumentum seminatos Dominus prædixit tecum manentibus.* Pariter S. Athan., in Epistolà Synodicâ ad Jovinianum,

paulò post Constantii mortem data : *Licèt pauci quidam* Ariani *huic fidei catholicæ contradicant, scimus, Religiosissime Auguste, eos orbi terrarum præjudicare non posse.* Similia habent sive Tyanensis Synodus, sive S. Hilarius, sive Sulpitius Severus. Aliundè, licèt plures ob Constantii persecutionem Episcopi Arianorum fidei formulis subscripserint, non ideò populi ipsorum curis commissi à fide catholicâ defecerunt. Nam, ut habet Nicolius, lib. cui titulus, *Les prétendus Réformés convaincus de schisme*, parte 2.ª, cap. 13, *les points dont il s'agissait dans l'Arianisme étant assez embarrassés par les équivoques et les subtilités dont les Ariens et les Semi-Ariens déguisaient leur sentiment, il y avait une infinité de simples qui n'y entendaient rien, et qui demeuraient dans la véritable foi en adhérant à des Evêques héretiques...; ainsi ce n'est point une supposition en l'air, mais une vérité effective que ce que S. Augustin dit dans l'Epître à Vincent :* « Quis enim nescit illo tempore obs- » curis verbis, multos parvi sensûs fuisse delu- » sos, ut putarent hoc credi ab Arianis quod etiam » ipsi credebant? »

Inst. 2.° Juxta S. Hieronym., Dial. contra Luciferianos : *Tunc*, id est, post lapsum Patrum Concilii Ariminensis, *ingemuit totus orbis et se esse Arianum miratus est;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Orbis universus miratus est se esse Arianum, hoc sensu quòd post subscriptionem formulæ fidei, Patribus Concilii Ariminensis oblatæ, in quâ quidem reticebatur vox *Consubstantialis*, Ariani ubique spargere non veriti sunt Episcopos Catholicos cum ipsis paria sentire, quod tamen falsum erat; alioqui non

non mirati fuissent Catholici se esse Arianos, nemo enim miratur se credere quod reverà credit.

Obj. 3.° *Contra quintam propos.* Ecclesia Romana minorem locorum et hominum partem obtinet; ergo non est ubique diffusa.

Resp. Dist. cons. Non est ubique diffusa physicè, *conc.*; moraliter, *nego*. Universalis Ecclesiæ diffusio in Scripturis expressa, non physicè sed moraliter intelligenda est, ut constat 1.° ex aliis Script. textibus, quorum universalitas non rigoroso sed morali sensu accipi debet; 2.° ex SS. PP. interpretatione; 3.° ex eventu: porrò Ecclesia Romana ubique moraliter diffusa est, ut suprà probavimus: *Les passages de l'Ecriture*, inquit Nicol., lib. mox cit. cap. 12, *qui marquent cette étendue universelle de l'Eglise, ne doivent pas s'entendre d'une étendue métaphysiquement et littéralement universelle; l'Eglise n'a jamais eu cette étendue, et M. le Cardinal du Perron a raison de remarquer qu'elle n'est pas moins étendue à présent qu'elle l'était du temps de S. Augustin, où tous les Pères nous ont dit qu'elle était répandue par toute la terre. Une société qui, comme l'Eglise Catholique, est répandue en Italie, en France, en Espagne, en Allemagne, en Angleterre, dans les Pays-Bas catholiques, dans les Provinces-Unies, en Pologne, en Hongrie, en diverses îles de l'Archipel, dans plusieurs lieux de l'Asie, dans le Congo et en diverses côtes de l'Afrique; qui occupe de grands royaumes dans l'Amérique septentrionale et méridionale; qui se répand avec édification dans les Malabares, dans les royaumes de Siam, de Tonkin, de la Cochinchine, de la Chine; qui a divers membres dans les au-*

tres Communions, comme les ênfans, et à qui appartiennent généralement tous ceux qui reçoivent la grâce dans les autres sectes par le moyen des sacremens, est une société étendue par toute la terre, selon le langage de l'Ecriture, et même selon celui du commun du monde... Ainsi quand S. Paul dit que tous cherchent leurs intérêts et non ceux de Jésus-Christ, il ne faut pas croire qu'il n'ait excepté personne du nombre de ces ministres mercenaires et intéressés ; ainsi quand Daniel dit que la puissance de Nabuchodonosor s'étendait par toute la terre, il n'entendait pas que toutes les nations lui fussent assujetties, puisqu'il n'a possédé qu'une petite partie de l'Asie.

Inst. Ab Ecclesiâ Romanâ multæ gentes recesserunt; ergo etsi olim catholica fuerit, saltem ab universalitate suâ jamdudùm excidit.

Resp. Nego consequent. Etsi concedimus gentes plurimas ab Ecclesiâ Romanâ variis temporibus fuisse separatas, non ideò catholicitatem amisit : quod enim ex unâ parte deperdidit, ex alterâ compensavit : scilicet ubi regnum Dei, id est, veræ fidei professio ab aliquâ gente aufertur, datur alteri facienti fructus ejus, juxta illud Christi : *Auferetur à vobis regnum Dei*, etc. : sic quandò Ariani Romanam deseruerunt Ecclesiam, ipsi adhæserunt Æthiopes, Iberi, Saraceni ; cùm Græci Schismatici catholicitatem impugnaverunt, tunc Dani, Suecii, Norwegii et Hungari fidem à Romanâ Ecclesiâ susceperunt; deindè, cùm Lutherani et Calvinistæ adversùs matrem quæ ipsos genuerat insurrexerunt, tunc ditior aliundè facta est sinuque suo complexa est Indos, Japonios, Brasilienses, Mexicanos, aliosque novi orbis populos.

ARTICULUS IV.

De Apostolicitate Ecclesiæ.

Apostolicitas Ecclesiæ ipsius est origo ab Apostolis.

Origo societatis à fundatore suo *continua* vel *interrupta* esse potest; continua quidem, si à tempore institutionis suæ constanter steterit; interrupta verò, si fuerit aliqua intermissio.

Omnes facilè concedunt veram Christi Ecclesiam ab Apostolis originem ducere, hoc sensu quod doctrinam Apostolorum teneat, sacramenta juxta ritum Apostolorum conficiat, et ministerium juxta præscriptam ab Apostolis formam possideat; istud, inquam, omnes facilè concedunt; sed quæritur utrùm hæc apostolica Ecclesiæ origo, continua et minimè interrupta esse debeat, ita ut vera temporis hujus Ecclesia necessariò credat doctrinam ab Apostolis sine ullâ interruptione derivatam, et Pastores permissionem à prædecessoribus acceptam sine ullâ intermissione Apostolis succedentes habeat.

Affirmant Catholici omnes; negant Calvinistæ, art. 31 Confessionis suæ: *Nous croyons que nul ne doit s'ingérer de son autorité propre pour gouverner l'Eglise, mais que cela doit se faire par élection, autant qu'il est possible et que Dieu le permet; laquelle exception nous ajoutons notamment, parce qu'il a fallu quelquefois, et même de notre temps, auquel l'Etat de l'Eglise était interrompu, que Dieu ait suscité des gens d'une façon extraordinaire, pour dresser l'Eglise de nouveau qui était en ruine et désolation.* Recentiores quidem Calvini asseclæ

Confessionis hujus verba benigniùs interpretantes, seu potiùs in alienum detorquentes sensum, Ecclesiam ab Apostolis non interruptâ serie descendentem credunt. Sed velint nolintve, quod verbis fateri coguntur, istud factis et agendi ratione suâ negant, cùm ab Ecclesiâ Romanâ discedendo, novam instituerint Ecclesiam.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera Ecclesia absque ullâ interruptione apostolica est.

Prob. 1.° *ex proprietatibus veræ Ecclesiæ.* Vera Ecclesia in perpetuum permanere debet, ut probatum est agendo de perpetuitate Ecclesiæ: atqui societas in perpetuum perseveratura, eadem moraliter in quâcunque ætate esse debet; non potest autem quocunque tempore esse eadem, quin sit semper eadem ac erat tempore Apostolorum; ergo absque ullâ interruptione apostolica esse debet.

Vera Ecclesia est jugiter infallibilis circa fidem et ministerium sibi commissum: atqui societas jugiter infallibilis circa fidem et ministerium sibi commissum, non potest fidem et ministeterium deserere ab Apostolis sibi commissum; ergo, etc.

Ecclesia est jugiter sancta: atqui societas jugiter sancta non potest veritates et ministerium Apostolorum aliquandò proculcare; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Illi docuerunt Ecclesiam esse apostolicam absque interruptione, qui sive novitatem in doctrinâ, sive defectum successionis in Pastoribus, habuêre tanquam hære-

seos vel schismatis manifestum signum : atqui 1.° SS. PP. novitatem in doctrinâ habuêre tanquam hæreseos manifestum signum; Tertull. enim ait, contra Hermog. : *Solemus Hæreticis compendii gratiâ de posteritate præscribere...; Veritatis enim regula prior est.* Hieron. Epist. ad Pammachium et Oceanum : *Quisquis assertor es novorum dogmatum...*, inquit, *cur post quadragintos annos docere nos niteris quod antè nescivimus...? Usque in hanc diem, sine istâ doctrinâ, christianus mundus fuit.* Vincent. Lirinensis, in Commonitorio suo pertractans istud Apostoli : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, sic habet, cap. 27 : *Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitâsti; res ad te perducta, non à te prolata; in quâ non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens....; eadem quæ didicisti doce, ut cum dicas novè, non dicas nova;* ergo, etc.

2.° SS. PP. habuêre pariter defectum successionis in Pastoribus tanquam schismatis argumentum; inter plures, quosdam tantummodò advocabimus; Tertull. scilicet, lib. de Præscriptionibus, cap. 32, qui hæreses quæ se interserere audent ætati apostolicæ sic debellat : *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris..... habuerit auctorem;* S. Iren., lib. 4 adversùs hæreses, cap. 43 : *Iis Presbyteris obedire oportet qui successionem habent ab Apostolis.....;*

reliquos verò qui absistunt à principali successione..... suspectos habere, vel quasi Hæreticos...., vel quasi scindentes, id est, schismaticos; S. Optatum Milevitanum, qui lib. 2 contra Parmenianum, ex defectu successionis in ministerio, Donatistas sic confutat: *Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis sanctam vultis Ecclesiam vindicare;* ergo, etc.

Quæritur 2.° utrùm apostolicitas sit character proprius veræ Ecclesiæ. Distinguendum est inter apostolicitatem *positivam* et *negativam* : 1.ª est vera et continua origo ab Apostolis; 2.ª est negatio signorum quibus manifestè probatur aliquam Ecclesiam ab Apostolis non ducere continuam originem.

PROPOSITIO II.

Apostolicitas sive positiva sive negativa est propria nota Ecclesiæ.

Prob. 1.° Apostolicitas positiva, ut patet: quis enim dixerit ab Apostolis fuisse institutam falsam Ecclesiam? 2.° Apostolicitas negativa: ipsa enim est propria veræ Ecclesiæ nota, modò nulla dari possit falsa Ecclesia cujus novitas omnibus facilè non pateat: atqui nulla dari potest falsa Ecclesia cujus novitas omnibus facilè non pateat; etenim nulla est falsa Ecclesia quæ à verâ non fuerit aliquandò separata: atqui causa separationis novitatem ejus manifestè prodit; namque falsa Ecclesia non separatur à verâ nisi vel propter fidem, vel praxim jampridem receptam et perseverantem in eâ, vel propter novam definitionem sive novam praxim quam instituere tentat: atqui in utroque casu, novitas falsæ Ec-

clesiæ manifestè patet; in 1.° quidem casu, cùm veterem fidem impugnet aut praxi antiquæ obsistat; in 2.° etiam casu tunc enim, Deo sic providente, erit pars contra totum : sicut autem ubi ramus ab arbore separatus, in terrâ radices agit, tunc arbor ex quâ decisus fuit quæque habet rationem totius relativè ad ramum, dicitur vetus, ramus verò decisus dicitur arbor nova : ita similiter cùm in Ecclesiâ occasione definitionis novæ contingit aliqua divisio, vetus ea censeri debet Ecclesia quæ numerosior fuit tempore separationis, nova verò quæ minùs numerosa erat.

Quæritur 3.° utrùm apostolicitas sit obvia.

PROPOSITIO III.

Apostolicitas est character Ecclesiæ obvius.

Prob. Ille character est obvius cujus adest probatio ipsorummet rudium captui proportionata : atqui apostolicitatis adest probatio ipsorummet rudium captui proportionata; namque apostolicitas considerari potest vel juxta quæstionem juris, vel juxta quæstionem facti : atqui 1.° suppetit nobis probatio apostolicitatis quoad jus spectatæ captui imperitorum proportionata, ea scilicet quam suprà attulimus, propositione primâ; 2.° apostolicitatis quoad factum spectatæ probatio rudibus constare potest, ut patebit ex dicendis propositione V.

Quæritur 4.° utrùm apostolicitas sit notior ipsâ Ecclesiâ.

PROPOSITIO IV.

Apostolicitas est ipsâ Ecclesiâ notior.

Prob. Ille character est ipsâ Ecclesiâ notior,

in cujus probationis medium non assumitur Ecclesiæ actualis auctoritas : atqui in probandâ apostolicitate sive quoad jus, sive quoad factum spectatâ, non adducimus Ecclesiæ actualis auctoritatem, ut videre est in probatione superiùs allatâ, propositione primâ, et ut constabit ex dicendis propositione V; ergò, etc.

COROLLARIUM.

Ergo Apostolicitas est nota Ecclesiæ positiva.

Prob. Nota positiva Ecclesiæ est character proprius, obvius ac notior ipsâ Ecclesiâ; atqui apostolicitas est character proprius, obvius ac notior ipsâ Ecclesiâ, ut constat ex propositione II, III et IV; ergò, etc.

Quæritur 5.° cuinam societati christianæ competat apostolicitas.

PROPOSITIO V.

Ecclesia Romana est apostolica, et quidem sola.

Prob. 1.ª *pars.* Illa Ecclesia est apostolica, cujus doctrina sine ullâ intermissione ab Apostolis dimanavit, et cujus Pastores absque ullâ interruptione Apostolis legitimè succedunt : atqui Ecclesiæ Romanæ doctrina sine ullâ intermissione ab Apostolis dimanavit, et illius Pastores absque ullâ interruptione Apostolis legitimè succedunt.

1.° Doctrina Ecclesiæ Romanæ sine ullâ intermissione ab Apostolis derivatur. Si enim doctrina Ecclesiæ Romanæ non jugiter ab Apostolis dimanaret, igitur in fide hâc quam ab Apostolis indubiè accepit, facta fuisset aliqua mutatio : porrò nullam in fide hâc apostolicâ mutationem experta est Ecclesia Romana; si enim evenisset

hujusmodi mutatio, deberent aliqua ex iis demonstrari quæ in omni circa fidem mutatione observari solent, scilicet, auctor mutationis, vel tempus quo cœpit, vel locus ubi primùm peracta est, vel qui eam prior impugnavit : hæc enim observare est in variis Hæreticorum sectis quæ quolibet seculo exortæ sunt; imò repugnat per mutationes insensibiles integram societatem à dogmate quod anteà firmiter credebat tanquam ab Apostolis derivatum, posse recedere, ut nervosè demonstrant auctores operis, *de Perpetuitate Fidei :* atqui nil horum de Romanâ Ecclesiâ observatur; ergo, etc.

2.° Pastores Ecclesiæ Romanæ sine ullâ interruptione Apostolis legitimè succedunt; illi enim continuâ et legitimâ successione ab Apostolis descendunt, qui ordinati sunt et missionem acceperunt à prædecessoribus, qui quidem prædecessores ab aliis similiter ordinati et instituti sunt, et sic usque ad Apostolos : atqui historiis, imò Episcoporum texto catalogo comprobatur hâc jugi serie sibi invicem successisse Pastores Romanæ Ecclesiæ; sed *quia*, ut dicebat olim S. Irenæus, lib. 3 adversùs hæreses, *longum valdè est.... omnium Ecclesiarum enumerare successiones*, unius sed principalis, Romanæ scilicet, *ad quam*, ut habet idem S. Doctor, *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam*, unius, inquam, Pastorum seriem minimè interruptam appellare sufficiat; nimirùm Petrus, princeps Apostolorum, Romæ sedem fixit : quem ibi mortuum Linus excepit; successit Anacletus, et sic deinceps usque ad Gregorium XVI, qui hodiè sedem Apostolorum suis exornat virtutibus; ergo, etc.

Et verò ex pluribus Ecclesiis quarum una indubiè apostolica est, illa tanto charactere præ cæteris insigniri debet, in quâ nullum deprehendere est manifestum et sensibile innovationis signum, quod in omnibus aliis clarè ostenditur: atqui ex pluribus Ecclesiis quarum una indubiè apostolica est, ob perpetuitatem Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ promissam, ex illis, inquam, pluribus, sola Catholico-Romana nullum manifestum et sensibile innovationis habet signum, ut ex ipsâ confessione adversariorum ejus patet, qui propterea ad innovationes modo insensibili factas recurrere coguntur. In cæteris verò communionibus, ab Ecclesiâ Catholico-Romanâ separatis, signum ejusmodi ab omnibus perspici potest, cùm ab eâ separatæ fuerint, sive ob doctrinam et praxim jampridem receptam ante separationis tempus, sive propter novam definitionem rei alicujus, implicitè tantùm usque tunc creditæ, cui velut pars contra totum pertinaciter obedire noluerunt.

Prob. 2.ª *pars.* Ex demonstratis, illa societas ab Apostolis non ducit originem, quæ contra fidem aut praxim ante separationem jam receptam insurrexit, vel contra definitionem novam ut pars contra totum stetit: atqui omnes omninò sectæ ab Ecclesiâ Catholico-Romanâ distinctæ ita se gesserunt, ut ex indubitatis historiæ Ecclesiæ monumentis constat; ergo omnes sectæ præter Romanam societatem non sunt apostolicæ.

Prob. momento speciali contra Protestantes. Illi non habent apostolicitatem, quorum fides continuâ transmissione ab Apostolis non derivatur; et quorum Pastores continuâ et legitimâ successione ab Apostolis non habent originem: atqui Protes-

tantes non habent doctrinam continuâ transmissione ab Apostolis derivatam, et eorum Pastores continuâ et legitimâ successione ab Apostolis non habent originem.

1.° Non habent doctrinam continuâ transmissione ab Apostolis derivatam. Illi enim non habent hujusmodi doctrinam, qui insurrexerunt adversùs plurima fidei dogmata, in omnibus Ecclesiis ante separationem eorum credita, quique renovàrunt errores ab Ecclesiâ antiquâ damnatos; atqui hoc utrumque constat. Primum quidem : insurrexêre enim Protestantes adversùs Transsubstantiationem, Pœnitentiæ Sacramentum, invocationem Sanctorum, Purgatorium, indulgentias, et ea quæ ab omnibus omninò Christianis fuisse credita ante Lutherum et Calvinum demonstrant tum historia ecclesiastica seculi XVI, tum Protestantium confessio. Secundum etiam constat : docuerunt enim Protestantes nullum esse discrimen jure divino inter Presbyteros et Episcopos, ob quem errorem damnatus est olìm Aerius; negaverunt etiam colendas esse Sanctorum reliquias, ob quem errorem damnatus est Vigilantius; vota Religiosorum et præsertìm votum castitatis irriserunt, ob quem errorem damnatus est Jovinianus; demùm dixerunt imagines Christi et Sanctorum nullâ veneratione dignas esse, et ob id anathematizati sunt Iconoclastæ; ergo, etc.

2.° Pastores Protestantium continuam et legitimam successionem ab Apostolis non habent. Primùm, non *continuam :* res enim ita est, modò ante Lutherum nulla fuerit Lutheranorum societas cujus ministris et Pastoribus Lutherus et sequaces ejus succedere potuerint : atqui ante Lutherum nulla fuit Lutheranorum societas cujus

ministris et pastoribus Lutherus et sequaces ejus succedere potuerint; ergo, etc. Secundùm, non *legitimam* : ad legitimam enim successionem missio requiritur : atqui omni prorsùs missione carent Protestantes; missio enim duplex : *ordinaria,* juxta quam Deus, mediantibus ministris jam constitutis, alios mittit eisque regendi fideles potestatem largitur; et *extraordinaria,* juxta quam Deus per seipsum, absque medio, aliquem suscitat ad ministerium, quemadmodùm, v. g., Moses et Aaron missi sunt à Deo : atqui neutra convenit Protestantibus.

1.° Carent missione extraordinariâ; namque missio extraordinaria immediatè necnon liberè à Deo procedens, factum est de se occultum, prophetiis vel miraculis ostendendum, ita ut nemo tanquam minister Dei extraordinarius fidem audientium exigere possit, nisi prophetias vel miracula in suæ missionis gratiam edat. Principium istud adeò evidens est, ut ipse fateatur Lutherus, tom. 3 Operum suorum, edit. Wittemberg., miraculum exigendum esse ab iis qui se tanquam ministros extraordinarios obtrudunt, et expellendos ab Ecclesiâ, nisi miraculum edant : atqui Protestantes missionem suam prophetiis vel miraculis non confirmârunt.

2.° Nec habuerunt primi Protestantium Pastores missionem ordinariam; eam enim accepissent vel ab Ecclesiâ Romanâ, vel ab alterâ societate : atqui neutrum dici potest; non primum : vel enim Ecclesia Romana tunc temporis erat vera Christi Ecclesia, vel non : si posterius dicatur, nullam ab eâ potuerunt accipere missionem, cùm ipsa, ut potè falsa, mittendi jus non haberet; si prius, ergo fuerunt Schismatici ex eo quòd ab eâ

recesserint; deindè non potuerunt ab Ecclesiâ verâ missionem contra ipsam accipere. Non secundum, cùm nulla præter Ecclesiam Romanam existeret societas; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ergo Ecclesia Romana vera est.

Prob. Illa Ecclesia vera est quæ characterem Ecclesiæ proprium, obvium et ipsâ notiorem habet : atqui ex suprà dictis, societas catholico-romana donatur apostolicitate, quæ propria est, obvia et notior ipsâ Ecclesiâ; ergo, etc.

Obj. 1.° *contra* 5.^{am} *propos.* Apostolicitas in duobus consistit, videlicet in professione ejusdem fidei cum Apostolis minimè interruptâ, deindè in successione Pastorum sine ullâ intermissione deductâ : atqui probari non potest Ecclesiam Romanam hoc duplici sensu apostolicam esse; ergo, etc.

Prob. 1.^{am} *partem.* Ecclesia Romana novos articulos fidei variis temporibus condidit; ergo non est apostolica ratione doctrinæ.

Resp. Dist. ant. Condidit articulos novos ratione definitionis, *conc.;* ratione doctrinæ, *nego.* Itaque cùm vera doctrina variis temporibus fuerit impugnata ab Hæreticis, mirum videri non debet si novis definitionibus ab Ecclesiâ fuerit illustrata ac defensa; at licèt illæ definitiones novæ fuerint, propter hæreseos novitatem, nihilominùs articuli in eis asserti apostolicam referebant doctrinam, quia involvebantur in illâ collectione dogmatum quam Ecclesiis concrediderunt Apostoli.

Inst. 1.° Atqui Ecclesia Romana novos condidit fidei articulos, etiam ratione doctrinæ; definivit enim sæpiùs articulos fidei qui anteà non

credebantur; qualis est validitas Baptismatis ab Hæreticis collati, quæ non credebatur fide catholicâ, cùm Doctores etiam catholici, scilicet, S. Cyprianus et S. Firmilianus, contrariam tenuerint doctrinam.

Resp. Dist. ant. Ecclesia Romana definivit articulos qui non credebantur fide explicitâ, *conc.;* fide implicitâ, *nego*. Itaque articulus fidei credi potest fide explicitâ aut implicitâ : fide explicitâ creditur quandò ex cognitione ejus distinctâ et præviâ ipsi assensus præbetur, v. g., si quis actu cogitans de mysterio SS. Trinitatis, apud se dicat : *Credo tres esse in Deo Personas,* mysterii hujus fidem habet explicitam; articulus autem creditur fide implicitâ, cùm creditur in alio in quo continetur, si quis, v. g., dicat *Credo quidquid Deus revelavit Ecclesiæ,* vel *quidquid definivit Ecclesia,* ille fide implicitâ credit omnes articulos à Deo revelatos Ecclesiæ, et ab Ecclesiâ definitos : porrò fateor Romanam Ecclesiam in suis definitionibus aliquandò proposuisse articulos qui anteà non credebantur fide explicitâ, propter ipsorum obscuritatem, sed ante definitionem credebantur fide implicitâ; priusquàm enim definirentur, Romana Ecclesia credebat quidquid à Deo revelatum erat in genere : atqui in rebus à Deo revelatis continebantur articuli postmodùm ab ipsâ definiti; ergo ante definitionem horum articulorum, Romana Ecclesia fidem eorum implicitam habebat; ergo articuli illi non sunt novi ratione doctrinæ V. *Tract. de Fide,* c. 2, art. 2.

Inst. 2.° *Probando secundam partem.* Saltem Ecclesia Romana non est apostolica ratione successionis Pastorum ab Apostolis sine interruptione descendentium; namque maxima pars cathedra-

rum Ecclesiæ Romanæ Apostolorum ævo recentior est; ergo sedentes in iis suam ab Apostolis non ducunt originem.

Resp. Nego consequent. Ut aliquis Episcopus Apostolorum successor dicatur, necesse non est ut ipsi sederint in loco in quo jam sedet ille Episcopus, alioquin nullæ novæ potuissent institui sedes post mortem Apostolorum; ergo sufficit ut ordinatus et institutus fuerit, id est, missionem acceperit ab Apostolis aut eorum successoribus legitimis; quæ quidem conditio in Pastoribus Ecclesiæ Romanæ servata est; ergo, etc.

Inst. 3.° Saltem periit in romanâ sede legitima successio; namque in eam intrusi sunt aliquandò viri moribus corrupti vel etiam simoniaci : atqui viri hujusmodi nequaquàm dici possunt S. Petri successores, maximè cùm invalida sit electio simoniaca; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Aliquorum Pontificum flagitia nihil adversùs eorum legitimam successionem faciunt; Apostolis enim succedunt in munere pastorali, non autem in sanctitate et virtutibus. Quod spectat ad Pontifices per simoniam in romanam sedem introductos, cùm simonia nonnisi jure ecclesiastico invalidet electionem hâc labe infectam, non difficilè concipitur quomodò Ecclesia propter bonum fidelium supplere possit defectum electionis ejusmodi; verbo dicam, etsi quidam Pontifices invalidè propter simoniam electi fuissent, hunc defectum supplere potuit et de facto supplere voluit Romana Ecclesia, electionem eorum acceptando, ne scilicet graviora exsurgerent mala.

Obj. 2.° Protestantes ab Apostolis originem ducunt; ergo, etc.

Resp. Nego ant. propter rationes allatas.

Inst. 1.° Ecclesia Protestantium est apostolica ratione doctrinæ, modò doctrina ipsorum Scripturis conformis sit : atqui doctrina Protestantium conformis est Scripturis, ut patet ex comparatione verbi divini cum eorum fide; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ut probetur doctrinam alicujus societatis christianæ esse apostolicam, recurrendum non est ad examen verbi divini, quia rudibus impervium est, sed recurrendum est ad præscriptionem : porrò huic inhærendo viæ, demonstravimus fidem Protestantium apostolicitate destitui.

Inst. 2.° Ideò societas Protestantium apostolica non est ratione ministerii, quia Pastores ejus carent missione : atqui hæc ratio nulla est, 1.° quia missio non est necessaria; 2.° quia, etsi foret necessaria, facilè probari potest Pastores Protestantium missione non defraudari.

Resp. Nego min. 1.° Missio est necessaria, illudque probatur 1. *ex Scripturâ,* Ad Rom. c. 10, ℣. 15 : *Quomodò prædicabunt nisi mittantur?* Ad Hebr. c. 5, ℣. 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* 2. *Ex SS. PP.* qui cum Tertull., lib. Præscript., cap. 37, sic Hæreticos alloquuntur : *Qui estis? quandò et undè venistis? quid in meo agitis non mei?..... quâ licenciâ, Valentine, fontes meos transvertis? quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? mea est possessio,...... olìm possideo, prior possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res* : atqui absurda profectò fuisset quæstio hujusmodi, si quilibet possit ministerium exercere absque missione ullà. 3. *Ex praxi Ecclesiæ antiquæ.* Ubi

enim de populis ad veram Christi fidem convertendis, aut post conversionem eorum gubernandis agebatur, Pastores ab Ecclesiâ ordinabantur et ab ipsâ missionem accipiebant. 4. *Ratione theologicâ.* Si enim missio non sit necessaria, ergo quilibet pro nutu Pastoris munia poterit exercere : porrò quis non videat ex hoc multa exsurgere incommoda, quibus Deus occurrere debuit instituendo necessitatem missionis. Cæterùm, hanc missionis necessitatem statuunt ipsi Protestantes, præsertim in Confess. Helveticâ, art. 18 : *Damnamus,* inquiunt, *omnes qui suâ sponte currunt, cùm non sint electi, missi vel ordinati.* Idem docet Lutherus in Psalm. 82, tom. 3 Oper., edit. Wittemb.; ergo 1.° necessaria est missio.

2.° Protestantes nunquàm probare poterunt Pastores ipsorum fuisse missione instructos, cùm jam contrarium demonstraverimus.

Inst. 3.° *Probo* 1.am *partem probationis min.* Aliquandò contigit ut ad prædicationem laicorum, qui certè missione carebant, gentes integræ fidem sumpserint : vide Socratem, Hist. cap. 15 et 16; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Laici prædicti Christum annuntiaverunt non ut præcones et ministri Evangelii, tanquam ex auctoritate, et potestatem habentes, sed simplici animo fidem suam exposuêre illis à quibus interrogabantur, quod cuilibet laico licitum est; at verò cathedram sibi non erexerunt ut populum regerent, sacramenta ministrarent et alia omnia Pastorum munia obirent. Hinc ubi cognoverunt apertum esse apud illas gentes ostium Evangelio, Pastores jam constituti in Ecclesiâ miserunt qui in vineâ illâ operarentur; ergo facta in objectione contenta, nedùm

missionis necessitatem infirment, magis è contrà confirmant.

Inst. 4.° *Probo* 2.am *partem.* Primi Pastores Ecclesiæ Protestantium missionem habuerunt extraordinariam; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Missio extraordinaria probari debet per medium extraordinarium, miracula scilicet, et prophetias: atqui primi Pastores Ecclesiæ Protestantium nec miracula nec prophetias in missionis suæ gratiam ediderunt; ergo, etc.

Inst. 5.° Mira celeritas quà doctrina Protestantium paucis annis magnam Europæ partem invasit, manifestè probat auctores Reformationis fuisse extraordinariè à Deo missos; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Si valeat objectio proposita, ergo Mahumet ipse à Deo extraordinariè missus est; siquidem superstitio ipsius brevi tempore diffusa est. Cæterùm, hæc magna sectæ Protestantium diffusio naturaliter explicari potest; ipsorum enim doctrina præjudiciis et cupiditatibus favet, Monachos à votis solemnibus liberos facit, Presbyteros à cælibatûs lege, laicos à jejuniis, ab operibus satisfactoriis et confessionis auricularis debito immunes declarat; Principes, ipsis bona ecclesiastica adjudicando, multùm quoque alliciebat. Quæ cùm ita sint, nedùm cuipiam mirum videatur quòd tam citò propagata fuerit secta Protestantium, quin potiùs admirationis locus datur quòd plures regiones non occupaverit.

Inst. 6.° Multi ex primis Reformatoribus in Ecclesià Romanà ordinati sunt; ergo missionem habuerunt saltem ordinariam.

Resp. Nego consequent. Nam Ecclesia Romana, in quâ multi ex primis Reformatoribus ordinati fuerunt, erat vera Ecclesia, vel non: si

prius, jam missionem quam illis Reformatoribus dederat ab iis auferre potuit, et reverà abstulit, ubi primùm ab eâ discesserunt; si posterius, missionem dare non potuit.

SCHOLIUM GENERALE.

Ex notis Ecclesiæ distributivè sumptis, veritatem Societatis Catholico-Romanæ demonstravimus : scilicet, de quâlibet notâ in particulari probavimus ipsam esse characterem obvium, proprium, ipsâque notiorem; demùm ostendimus quamlibet ex eis nostræ convenire societati; ex quibus pronum fuit concludere Romanam Ecclesiam esse veram Christi sponsam. Nunc autem ex iisdem notis seu characteribus collectivè sumptis, in quantùm majorem conflant auctoritatem visibilem, eadem veritas adstruenda est. Huic autem methodo, ut potè *breviori* et *faciliori*, præsertim insistendum est, ubi de verâ disputatur Ecclesià cum rudibus; *brevior* est, inquam, illa methodus, quia non exigit discussionem textuum Scripturæ vel Traditionis, in quibus continentur sensibiles Ecclesiæ characteres, Unitas scilicet, etc. Etiam *facilior* est, ob eamdem rationem. At verò duas etiam involvit quæstiones solvendas, primam an Deus in præsenti rerum statu velit homines nonnisi viâ auctoritatis veræ fidei agnitionem assequi; alteram, utrùm Ecclesia Romana cæteras sectas auctoritate vincat : porrò hæc utraque quæstio solutu facillima est; 1.ª enim ex sensu infirmitatis propriæ deducitur; 2.ª autem pendet ex facto sensibili et publico. Itaque sic procedimus :

1.° Illa Ecclesia vera est Christi sponsa quæ, præ cæteris societatibus christianis, characteribus

sensibilibus splendescit, majoremque possidet auctoritatem: atqui Ecclesia Catholico-Romana splendescit characteribus sensibilibus præ cæteris societatibus christianis, majoremque possidet auctoritatem; ergo, etc... *Major* evidens est; quilibet enim Christianus, quantumlibet rudis et imperitus, veram tenetur cognoscere et ingredi Ecclesiam, per medium ipsi proportionatum: porrò illud medium aliud non est quàm via majoris auctoritatis; discussio enim articulorum fidei ad normam Scripturæ et Traditionis rudibus impervia est, ut anteà probavimus. *Minor* quoque est evidens; illa enim præ cæteris societatibus christianis, characteribus sensibilibus splendescit, majorique eminet auctoritate, quæ est Una, Sancta, Catholica et Apostolica; dùm è contrà societates ab ipsâ distinctæ, omnibus aut saltem aliquibus ex illis characteribus sensibilibus defraudantur: atqui res ita se habet respectu Ecclesiæ Romanæ, ut constat ex dictis suprà, ubi de notarum applicatione.

Et verò nullum est auctoritatis momentum, quo possit aliqua societas christiana gloriari, quod Romana Communio sibi jure potiori et modo excellentiori tribuere non possit; dùm è contrà pluribus insignitur dotibus quas cæteræ vel etiam mentiendo, sibi vindicare non audent. Hujus assertionis probatio, in nudâ et simplici factorum publicorum recensione consistit.

2.° Adeò evidens est Romanam Ecclesiam auctoritate superare omnes alias sectas, ut ipsius hostes infensissimi hoc fateri quandoquè coacti sint. Inter alios audiatur *Rousseau* libro cui titulus, *Lettres écrites de la montagne;* sic enim loquitur: *Qu'on me prouve aujourd'hui qu'en*

matière de foi, je suis obligé de me soumettre aux décisions de quelqu'un, dès demain je me fais Catholique, et tout homme conséquent et vrai fera comme moi.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo nunquàm licet se separare à verâ Ecclesiâ, sive, ut loquitur S. Aug., lib. 2, cap. 11 contra Parmenianum, *præcidendæ unitatis nulla est unquàm justa necessitas.*

Prob. Ex suprà probatis, nulla extra Ecclesiam salus obtineri potest : atqui nunquàm licet se separare ab illà societate extra quam salus obtineri non potest; ergo, etc.

COROLLARIUM II.

Ergo non licet se separare ab Ecclesiâ Romanâ.

Prob. Ex corollario præcedenti, nunquàm licet veram deserere Ecclesiam : atqui Ecclesia Romana, ex probatis, est vera Ecclesia; ergo, etc.

COROLLARIUM III.

Ergo omnes sectæ ab Ecclesiâ Romanâ distinctæ, et nominatìm Protestantes, schismatis arguuntur.

Prob. Illi sunt Schismatici, qui veram deseruêre Ecclesiam : atqui Protestantes veram Ecclesiam deseruêre ; ergo, etc.

Obj. 1.° *contra* 3.um *corollarium.* Morum corruptio, veræ subversio doctrinæ, idololatria, sunt justæ separationis causæ : atqui his de causis ab Ecclesià Romanâ recesserunt Protestantes; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj. quoad* 1.^am^ *partem. Neque enim propter hœdos in fine segregandos, deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini,* ait S. Augustinus, Epist. 93, cap. 12. Et verò peccatores membra Ecclesiæ esse possunt, ut mox probabitur; ergo morum corruptio justam separationis causam non præbet, maximè cùm Ecclesia non exigat ab eis qui in eâ commorantur, ut peccatorum mores perversos imitentur, sed è contrà ut ab ipsis maximè abhorreant.

Resp. 2.° *Nego min.* 1.° Ecclesia Romana semper veram tenuit doctrinam, ut sive discussione ab eruditis conficitur, sive præscriptione et majori auctoritate etiam erga rudes demonstratur; 2.° idololatriæ crimen nunquàm admisit, cùm soli Deo supremum latriæ cultum exhibendum esse doceat; 3.° in eâ sunt, fateor, plures moribus corrupti, sed peccata eorum in ipsam refundi non debent, *cùm ea quæ sunt contra bonos mores non faciat, nec approbet, nec taceat Ecclesia,* S. Aug. Epist. 55.

Inst. 1.° Passim in Scripturis Deus præcipit ut impiorum consortia fugiantur; ergo Protestantes Romanam potuerunt deserere Ecclesiam, ob corruptos ipsius mores.

Resp. Nego consequent. Nam triplicem cum S. Aug., lib. 3 contra Parmenianum, distinguamus separationem : primam quâ debemus impiorum mores non imitari; secundam, quâ peccatores contumaces à fidelium consortio per excommunicationem separatos debemus vitare; tertiam, quâ quis semetipsum à communione Ecclesiæ separat, eamdem cum ipsâ fidem non profitendo,

sacramentis non participando, aut Pastorum auctoritatem abjiciendo. Prima species separationis bona est, imò et præcepta in Scripturis; secunda nonnunquàm utilis est, et ad Superiores ecclesiasticos pertinet; tertia autem in nullo casu licita est; *præcidendæ enim unitatis*, inquit S. Aug., *nulla est unquàm necessitas*; jam verò hocce posteriori modo sese ab Ecclesiâ Romanâ, quæ vera est, separàverunt Protestantes.

Inst. 2.° Scriptura præcipit ut de Babylone magnâ exeamus, ut habetur in Apocal. c. 18, ℣. 2, 4 : *Cecidit Babylon magna :.... exite de illâ populus meus* : atqui Babylon illa magna significat Ecclesiam Romanam; ergo, etc. Ita plures Protestantes et imprimis Rex Majoris Britanniæ in suâ ad Cardinalem Perronium Responsione.

Resp. Nego min. Ipsa enim, ut potè gratuitò ac sine probationibus asserta, pari jure negari potest. Babylon illa de quâ sermo fit in Apocalypsi, juxta plures Doctores Ecclesiæ, significat quamcunque malorum congregationem, quorum perversis operibus communicare nefas est; juxta alios Paganismum significat, cui nuntium mittere cunctis præcipit Deus; etiam pro Româ sumi potest, Româ, inquam, paganâ, in quantùm idololatriæ sedes erat : porrò nulla ex interpretationibus illis, romanæ societatis causæ nocet; quam autem proferunt adversarii meritò rejicimus : *Car qui ne sait*, inquit Cardinalis Perronius in suâ Responsione ad Regem Britanniæ Majoris, lib. 1, cap. 15, *que c'est une solution suffisante des argumens tirés des textes allégoriques, comme est celui-ci, de répondre : je le nie; principalement lorsqu'il se peut donner un autre*

sens aux paroles allégoriques que celui selon lequel elles sont alléguées ; quand je ne pourrais, dit S. Augustin répondant à une objection allégorique, quand je ne pourrais prouver ma réponse par un argument certain, il doit suffire à tout homme judicieux que j'aie trouvé une issue aux paroles qu'on m'objecte, au moyen de quoi il est clair que mes adversaires n'ont rien allégué d'incontestable en faveur de leur sentiment.

DISSERTATIO TERTIA.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

Quinque erunt hujusce Dissertationis capita, quorum primum erit de Prædestinatis et Reprobis; secundum de Justis et Peccatoribus; tertium de Hæreticis et Schismaticis; quartum de Excommunicatis; quintum de Catechumenis, Apostatis et Infidelibus.

CAPUT PRIMUM.

De Prædestinatis et Reprobis.

Certum est 1.° omnes prædestinatos, si non sint actu de Ecclesiâ, de eâ tamen aliquandò esse futuros, cùm, ex dictis, extra Ecclesiam nulla sit salus, quam certo certiùs consequentur omnes prædestinati.

Certum est 2.° omnes reprobos non esse de Ecclesiâ; inter eos enim infideles reperiuntur, Hæretici et Schismatici : atqui, ex dicendis, homines ejusmodi Ecclesiæ membra non sunt. Itaque agitur

1.° Utrùm prædestinati, hoc ipso quòd electi sint, ad Ecclesiam actualiter pertineant, etsi nondùm fortè crediderint, imò in hæresi aut schismate adhuc permaneant.

2.° An reprobi, hoc ipso quòd in æternum damnandi sint, extra Ecclesiam militantem removeantur, licèt profiteantur veram fidem, participent sacramentis, subjiciantur legitimis Pastoribus. Omnes prædestinatos esse de verâ Ecclesiâ, omnes verò reprobos ab ipsâ separari docuit Wiclefus, juxta Thomam Waldensem, necnon Joannes Hus, ex Conc. Constant. Sess. 15.

PROPOSITIO.

Non omnes, nec soli Prædestinati sunt de Ecclesiâ.

Prob. 1.ª *pars.* Si omnes prædestinati Ecclesiæ membra forent, jam S. Paulus, cùm in Ecclesiam desæviret, inter Ecclesiæ membra collocandus esset, jam etiam plures infideles, Mahumetani et Judæi, tempore quo ab Ecclesiâ magis abhorrebant, ad Ecclesiam pertinuissent : atqui nemo dicere potest ad societatem quamdam pertinere eos qui aut ipsam persequuntur, aut ab ipsâ vehementer abhorrent; ergo, etc.

Deindè illi non sunt de Ecclesiâ, qui ad ipsius animam certo certiùs non pertinentes, nullo vinculo corpori ejus adhærent : atqui illi prædestinati, infideles scilicet et Judæi, antequàm ad Ecclesiam convenirent, nullis cum Ecclesiâ conjungebantur vinculis; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars.* Non soli prædestinati sunt de Ecclesiâ, si quidam reprobi ad ipsam pertineant: atqui sunt quidam reprobi ad Ecclesiam perti-

nentes; illi enim sunt membra Ecclesiæ, qui tum internis, tum externis cum eâ conjunguntur vinculis : porrò quidam reprobi utrisque vinculis cum Ecclesiâ conjunguntur; et 1.° vinculis internis, sunt enim reprobi qui charitatem olim habuerunt et actualiter habent; 2.° vinculis externis, sunt enim reprobi qui veram fidem, vera sacramenta, legitimum ministerium profitentur.

Et verò Ecclesia est catholica, id est, ubique diffusa; est etiam eminenter visibilis, et consuli et audiri debet : atqui hæc omnia vera esse non possunt si Ecclesia solis constet prædestinatis, qui pauci sunt et soli Deo noti; ergo, etc.

Obj. 1.° In Arcâ Noe, quæ erat figura Ecclesiæ, omnes salvati sunt ab aquis; ergo à pari in Ecclesiâ omnes salvabuntur.

Resp. Nego consequent. et parit. Etenim comparatio Arcæ cum Ecclesiâ urgenda non est in omnibus, sed in aliquibus tantùm, juxta Scripturæ et Traditionis auctoritatem : porrò auctoritas illa vetat ne dicamus in Ecclesiâ solos esse prædestinatos, sicut in Arcâ Noe soli erant ab aquis salvandi; ergo, etc.

Obj. 2.° *Sponsa* dicitur in Cantico Canticorum, *hortus conclusus, fons signatus;* quod solis electis convenit, ut habet August., lib. 5 de Baptismo : atqui Ecclesia est illa sponsa; ergo, etc.

Resp. Si per sponsam Cant. Cantic. intelligatur Maria Virgo, vel anima fidelis, vel Ecclesia triumphans, tunc evanescit difficultas; si autem designetur Ecclesia militans, jam dicendum est ipsam vocari hortum conclusum, fontem signatum, à nobiliori ejus parte, Sanctis scilicet et prædestinatis.

Obj. 3.° Ecclesia dicitur *ovile Christi*, Joan. c. 10 : atqui ovile non complectitur nisi oves; oves autem designant prædestinatos; ergo Ecclesia solos continet prædestinatos.

Resp. Nego min. Ovile non solùm oves, sed etiam hædos continet; præthereà si nomen ovium ad prædestinatos maximè conveniat, reprobis quoque convenire potest quandiù sunt Ecclesiæ membra, ut patet ex iis Christi ad S. Petrum verbis : *Pasce oves meas ;* ergo, etc.

Obj. 4.° I Joan. c. 2, ℣. 19 : *Ex nobis prodierunt* (Antichristi), *sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utiquè nobiscum ;* ergo qui non perseverant usque in finem, non sunt de Ecclesiâ.

Resp. Nego consequent. Sic intelligendus est textus S. Joannis : *Ex nobis*, id est, ex Ecclesiâ, cujus ante suam apostasiam membra erant, exierunt, *sed non erant ex nobis*, id est, de numero prædestinatorum, ad quem pertinemus; si enim de his fuissent, *permansissent utiquè nobiscum.*

Obj. 5.° S. Aug., lib. de Corrept. et Grat., cap. 9, ait : *Quia..... non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quandò esse videbantur ;* ergo qui non perseverant, non sunt discipuli Christi, ideòque nec membra Ecclesiæ.

Resp. Juxta mentem S. Aug., *quia non habuerunt perseverantiam, non fuerunt verè discipuli Christi, nec filii Dei*, veritate finis, seu permanentiæ; at fuerunt transitoriè, seu, ut loquitur Bellarminus, veritate essentiæ. Ita semetipsum interpretatur S. August., eodem libro, cap. 9.

CAPUT II.

De Peccatoribus.

Certum est 1.° peccatores non esse de animâ Ecclesiæ, animâ, inquam, adæquatè sumptâ, cùm fidem et spem retinendo, charitatem amiserint.

Certum est 2.° peccatores cujusdam generis, scilicet aut Schismaticos aut Hæreticos, de corpore Ecclesiæ non esse, ut ex dicendis apertum fiet.

Itaque agitur de peccatoribus baptizatis, hæresi aut schismati non addictis, nec ab Ecclesiâ per excommunicationem præcisis.

PROPOSITIO.

Peccatores, etiam insignes et notorii, sunt membra Ecclesiæ mortua.

Prob. 1.° *ex figuris* et *parabolis* quibus in Scripturis adumbratur Ecclesia. Arca Noe figurabat Ecclesiam : animalia munda et immunda quæ in eâ erant, designant justos et peccatores; ergo sicut in Arcâ Noe erant animalia munda et immunda, ita pariter in Ecclesiâ sunt justi et peccatores.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprian. in Epist. 51 ad Maximum : *Non impediri debet*, inquit, *aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania*, id est, malos, *esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus.* S. Chrysostom. in Psal. 39 : *Ex perfectis universa non constat Ecclesia, sed habet eos etiam qui mollem et dissolutam vitam amplectuntur.* S. Hieronym., Dialog. contra Lu-

ciferianos : *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit... ; ut in illâ erant omnium animalium genera...., pardus et hædi, lupus et agni, ita et in hâc justi et peccatores.* S. Aug., lib. 3 contra Petil. : *Homo sum de areâ Christi, palea si malus, granum si bonus ;* et lib. de Unit. Eccles., cap. 13 : *Neque nos ita dicimus per totum orbem diffundi Ecclesiam ut in sacramentis ejus solos bonos esse dicamus, ac non etiam malos ;* et lib. 4 de Bapt. cap. 7 : *Distinguamus inter eos qui mali forìs sunt* (id est, extra Ecclesiam) *et eos qui intùs* (intra scilicet Ecclesiam) *mali sunt.*

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Ut aliquis sit de Ecclesiâ quoad corpus spectatâ, tria requiruntur et sufficiunt, ut habeat, scilicet, professionem veræ fidei, participationem sacramentorum, et subjectionem legitimis Pastoribus : atqui peccatores, etiam insignes, hæc tria habent vincula : 1.° veram fidem profitentur; peccatum enim mortale quandò directè non adversatur fidei, eam non destruit; 2.° participant sacramentis; illi enim participant sacramentis qui habent jus ad sacramenta propriè dicta, immediatum quidem ad sacramentum Pœnitentiæ, et mediatum ad alia quæ vocantur sacramenta vivorum; quique participant sacramentis impropriè dictis, id est, suffragiis, orationibus et sacrificiis : atqui peccatores etiam insignes habent jus, etc.; ergo, etc.; 3.° habent subjectionem legitimis Pastoribus; licèt enim monitis ipsorum non obtemperent, ipsorum tamen auctoritatem venerantur; ergo, etc.

Obj. 1.° Cant. c. 4 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* : hæc autem amica est ipsa Ecclesia, quæ cùm dicatur immaculata, solos includat justos necesse est.

Resp. Textus ille Cantici Cant. intelligi potest de animâ fideli, vel de Beatâ Virgine, aut de Ecclesiâ triumphante, ut habet Augustinus, lib. 1 Retractationum, cap. 10; vel etiam de Ecclesiâ militante, non quasi in omnibus membris suis sancta sit, sed propter animam ipsius, ad quam soli pertinent justi, aut propter ejus constitutionis perfectionem, quæ sancta est; nam societas cujus omnia membra vocantur ad sanctitatem, et sanctis inter se junguntur vinculis, tota pulchra et sine maculâ verè dici potest, licèt plura ex iis juxta regulas professionis suæ non vivant.

Inst. 1.° *Populus tuus,* inquit Isaias de Ecclesiâ loquens, c. 60, ℣. 21, *omnes justi;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Ibi res est de Ecclesiâ triumphante, ut constat ex antecedentibus : *Non occidet ultrà sol tuus...., quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Si, ut quibusdam placet, de Ecclesiâ militante sermo fiat, sensus erit : Populus tuus omnes complectitur justos; per oppositionem ad Synagogam, extra quam salus obtineri poterat.

Inst. 2.° Isaiæ c. 52, ℣. 1 : *Consurge....., Jerusalem, civitas sancti, quia non adjiciet ultrà ut pertranseat per te incircumcisus et immundus;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Textus ille litteraliter intelligendus est de Jerusalem terrestri, anagogicè verò de Ecclesiâ triumphante, ut docet Augustinus, allegoricè autem de Ecclesiâ militante, non quasi nisi mundos et sanctos contineat, sed hoc sensu quòd infideles et Hæretici nunquàm prævalituri sint adversùs eam.

Inst. 3.° Ad Ephes. c. 5, ℣. 25 : *Christus seipsum tradidit..., ut exhiberet ipse sibi gloriosam*

Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Christus seipsum tradidit ut exhiberet sibi Ecclesiam immaculatam, inchoatè quidem in terris, completè verò in cœlis; sufficienter aut efficaciter in præsenti seculo, at efficaciter tantùm in futuro. S. Augustinus, lib. de Perfect. Justitiæ, cap. 15, hunc Apostoli textum de Ecclesiâ triumphante intellexit: *Cùm* (Apostolus), inquit, *nòn tantùm ait, ut exhiberet sibi* (Christus) *Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed addidit gloriosam, satìs significavit quandò erit sine maculâ....; tunc utiquè quandò gloriosa.*

Obj. 2.° In Symbolo, Ecclesia dicitur sancta, ergo nihil nisi Sanctos continet.

Resp. Nego consequent. Ecclesia enim dicitur sancta ratione vocationis, professionis et plurium ex membris suis.

Inst. Si Ecclesia dicatur sancta ratione plurium ex membris suis, pari jure dici poterit mala ob plures quos habet malos; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. et paritatem. Nam denominatio rei alicujus fieri debet à meliori, præsertìm si per se ad bonum tendat, malum verò nonnisi per accidens in eâ reperiatur.

Obj. 3.° S. Aug., lib. 4 de Baptismo, cap. 3: *Peccatores*, inquit, *non sunt in Ecclesiâ;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Peccatores non sunt in Ecclesiâ quoad animam spectatâ, *conc.;* quoad corpus, *nego.* Solutio patet ex aliis ejusdem Augustini textibus: *Ubicunquè*, inquit lib. 2 Retractationum, cap. 18, *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, non sic accipiendum est*

quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quandò apparebit gloriosa.

Inst. 1.° Juxta S. Augustinum, *peccatores non magìs sunt de Ecclesiâ quàm Heretici* : atqui Hæretici nequaquàm ad corpus Ecclesiæ pertinent; ergo nec peccatores.

Resp. ad majorem. Eadem recurrit distinctio : itaque peccatores charitate defraudantur sicut Hæretici, ideòque non magìs sunt de Ecclesiæ animâ quàm Hæretici. S. Augustinus ibi disputat contra Donatistas, qui rejiciebant validitatem Baptismi ab Hæreticis collati, ex eo quòd, ut aiebant, Hæretici non possunt dare gratiam et Spiritum Sanctum quem non habent : porrò S. Augustinus argumento *ad hominem* sic eos revincebat : Si non valeat Baptismus ab Hæreticis collatus, quia Hæretici, ut potè extra Ecclesiam, non habent gratiam et Spiritum Sanctum, pariter non valebit Baptismus à peccatore collatus; gratiam enim et Spiritum Sanctum non habet, non pertinet ad Ecclesiam sub respectu membri vivi et Spiritu Sancto vivificati : atqui tamen vos Donatistæ creditis valere Baptismum datum à peccatoribus; ergo ratio propter quam dicitis invalidum esse Baptismum ab Hæreticis datum nulla est, et si alicujus ponderis sit, probat quoque nullum esse Baptismum datum à peccatoribus; cujus tamen validitatem admittitis. Itaque scopus ille S. Augustini exigit tantùm ut peccatores dicantur extra animam Ecclesiæ, non autem extra corpus.

Inst. 2.° Idem S. Doctor, lib. 7 de Baptismo : Soli, inquit, justi sunt *domus Dei quæ dicitur ædificari super petram,.... quæ... claves* regni cœlorum *accepit ac potestatem solvendi et ligandi;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent., ut series textûs propositi manifestè ostendit : *Puto*, inquit S. Aug., *me non temerè dicere alios* (justos scilicet) *ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei;.... alios autem ita dici esse in domo Dei, ut non pertineant ad compagem domûs, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ; sed sicut esse palea dicitur in frumentis : nam et istos* (peccatores scilicet) *esse in domo* Dei *negare non possumus, dicente Apostolo, II ad Tim.* c. 2, ℣. 20....... Hæretici autem et Schismatici *magìs ex domo quàm in domo esse dicendi sunt, de quibus dicitur*, ex nobis exierunt....; *separatiores enim sunt, jam etiam corporaliter segregati, quàm illi qui interiùs carnaliter.... vivunt et spiritaliter separati sunt.* Ex quo quidem prolixiori textu, patet peccatores non quidem esse domum Dei, sed in illâ tantùm permanere.

Ut autem penitùs evanescat difficultas petita ex pluribus S. Aug. textibus, et omnis ab ipso removeatur contradictionis suspicio, Nicolium audire non pigeat : *Les termes de corps de l'Eglise*, inquit de Unitate Ecclesiæ, lib. 1, cap. 1, *se peuvent prendre.... pour toutes les parties de la société de l'Eglise unies par les liens extérieurs, et en ce sens, il est très-vrai de dire que les méchans sont vraies parties et véritables membres du corps de l'Eglise..... Il est vrai encore que le corps de l'Eglise se peut aussi prendre, comme l'a pris S. Augustin, pour la société des justes, animés de l'esprit de Jésus-Christ, et unis entr'eux par les liens extérieurs d'une même communion, par lesquels ils sont aussi unis à plusieurs méchans..... Or, selon cette dé-*

finition, il est vrai que les méchans ne sont point ni du corps de l'Eglise, ni membres de l'Eglise, ni membres du corps de Jésus-Christ, ni membres de Jésus-Christ. Ce sont deux différens sens donnés à un même terme, ou deux différentes manières de regarder une même chose, qui ont des suites contradictoires en apparence;..... ainsi S. Aug..... est tout plein sur le sujet de l'Eglise de ces contradictions apparentes.

Eodem modo judicandum est de peccatoribus relativè ad Ecclesiam, ac de membris paralyticis relativè ad corpus cui uniuntur : sicut membra paralytica donec præcidantur vera sunt membra corporis, licèt mortua, ita peccatores vera sunt Ecclesiæ membra, licèt charitatem quæ vita animæ est perdiderint; deindè sunt membra paralytica non ita mortua ut nullum omninò vitalem influxum recipiant, etsi enim charitate defraudantur, fidem et spem adhuc retinent, quæ sunt inchoata animæ vita.

CAPUT III.

De Hæreticis et Schismaticis.

Hæreticus dicitur *homo christianus aliquid divinitùs revelatum, et ab Ecclesiâ propositum pertinaciter negans aut in dubium revocans.*

1.° Dicitur, *homo christianus;* qui enim Christum ipsum et missionem ejus abjiceret, infidelis vel apostatæ nomen sortiretur : *Hæresis,* inquit S. Thomas 2.â 2.æ, quæst. 11, art. 1, *est infidelitatis species, pertinens ad eos qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.*

2. Dicitur, *negans aliquid divinitùs revela-*

tum; in iis enim quæ ad fidei depositum minimè pertinent, à vero quidem deviare, non autem hæresim incurrere aliquis potest: porrò ad fidem, inquit S. Thomas, 2.^{â} 2.^{æ}, quæst. 11, art. 2, *aliquid pertinet dupliciter; uno modo directè et principaliter, sicut articulus fidei; alio modo indirectè et secundariò, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli fidei, et circa utraque potest esse hæresis eo modo quo et fides.*

Dicitur, *ab Ecclesiâ propositum*; quia auctoritas Ecclesiæ docentis, nobis à Christo data est ut revelationem et sensum ejus certò et infallibiliter assequamur: *In quibusdam ad fidem pertinentibus,* inquit S. Thomas, loco mox citato, *postquàm essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur.*

4.° Dicitur, *negans, vel in dubium revocans*, quia non tantùm negatio, sed etiam dubium adversatur fidei, quæ est assensus immobilis: hinc in Jure, c. 1, de Hæreticis dicitur: *Dubius in fide infidelis est.*

5.° Tandem dicitur, *pertinaciter*; qui enim bonâ fide negaret articulum aliquem, putans ipsum à Deo revelatum non esse, nec ab Ecclesiâ propositum, hæreticus formalis non haberetur, sed materialis duntaxat. Pertinax autem quis censetur quoties revelatio per auctoritatem Ecclesiæ ipsi sufficienter proposita est.

Hæreticus *occultus* est, aut *publicus*; notorietate *facti* aut *juris*; *nominatìm* aut *generatìm excommunicatus*; communionis Ecclesiæ *desertor,* altare contra altare erigendo, aut desertoris *sectator*.

Schismaticus, prout ab Hæretico distinguitur, ille est *qui communionem Ecclesiæ in sacramentis voluntariè disrumpit, vel Ecclesiæ legitimis Pastoribus debitam subjectionem rebellando violat.*

Fide catholicâ certum est quemlibet Hæreticum, etiam occultum, extra viam salutis esse, et ad nobiliorem Ecclesiæ partem nullo modo pertinere.

Item certum est contra Juriæum omnes omninò Schismaticorum et Hæreticorum sectas extra Ecclesiam versari, ut anteà probavimus, ubi de *Unitate Ecclesiæ.* Hæreticos verò et Schismaticos publicos, *solitariè* spectatos, de Ecclesià non esse hoc unico argumento convincitur : illi non sunt de Ecclesià qui neque ad animam, neque ad corpus ejus pertinent : atqui præfati Hæretici et Schismatici publici, *solitariè* spectati, neque ad animam, neque ad corpus Ecclesiæ pertinent; 1.° non ad ejus animam : *Hæretici* enim, ut ait S. Aug., lib. de Fide et Symbolo, cap. 10, *de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem dissicissionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus.* 2.° Non ad ejus corpus : illi enim non sunt de corpore Ecclesiæ qui saltem uno ex tribus vinculis corporis Ecclesiæ carent : atqui Hæretici et Schismatici publici carent uno ex tribus vinculis corporis Ecclesiæ, ut per se patet; ergo neque ad animam, neque ad corpus Ecclesiæ pertinent, proindèque non sunt de Ecclesià.

Obj. 1.° Matth. c. 13 : Zizania in agro unà cum tritico crescere dicitur : porrò ager ille significat Ecclesiam, triticum verò Catholicos,

et zizania Hæreticos; ergo Hæretici sunt in Ecclesiâ.

Resp. Nego min. In explicandâ agri parabolâ non consentiunt inter se Patres; alii enim per agrum intelligunt Ecclesiam, alii verò mundum. Qui primam sequuntur interpretationem, per zizaniam non Hæreticos, sed peccatores intelligunt; qui verò posteriorem amplectuntur, per zizaniam Hæreticos repræsentari volunt; in utrâque manet intacta thesis nostra.

Inst. 1.° *In magnâ domo*, inquit Apostolus, II. ad Tim. c. 2, ℣. 20, *non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam :* porrò domus illa est Ecclesia; vasa autem in contumeliam repræsentant Hæreticos; ergo Hæretici sunt de Ecclesiâ.

Resp. Nego min. Domus illa, juxta communem Interpretum sententiam, Christianismum significat, in quo videre est Hæreticos Catholicis mixtos, reprobos cum electis, peccatores cum justis.

Inst. 2.° I ad Corinth. c. 5, ℣. 12 : Ecclesia non judicat *de his qui foris sunt :* atqui judicat de Hæreticis; ergo sunt de Ecclesiâ.

Resp. In hoc Apostoli textu agitur de infidelibus, in quos Ecclesia nullam habet jurisdictionem; non autem de Hæreticis, in quos tanquam in castrorum Ecclesiæ desertores judicium exercet. Infideles, ut potè non baptizati, nec ut membra, nec ut subditi pertinent ad Ecclesiam, quæ propterea eos judicare non potest; at verò Hæretici, licèt Ecclesiæ membra non sint, ad ipsam tamen propter Baptismum tanquam rebelles subditi, pertinent, proindèque

in ipsos, sicut dominus in servum fugitivum, animadvertendi jus habet.

Obj. 2.° Validitatem Baptismi ab Hæretico collati propugnârunt olim Patres contra Donatistas; ergo Patres illi censuerunt Hæreticos ad Ecclesiam pertinere.

Resp. Nego consequent. Ut quis validè baptizet, necesse non est ut ad Ecclesiam pertineat, sed sufficit ut habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ergo licèt sancti Ecclesiæ Doctores validitatem Baptismi Hæreticorum admiserint, minimè sequitur ipsos habuisse Hæreticos ut vera Ecclesiæ membra.

Et verò etiam validitatem Baptismi ab Hæreticis in fundamentalibus articulis errantibus collati admiserunt: atqui tamen ipse Juriæus fatetur Hæreticos in articulis fundamentalibus errantes de Ecclesiâ non esse; ergo, etc.

Obj. 3.° Quisquis validè baptizat, Christo et Ecclesiæ filios generat: atqui sola sponsa, id est, Ecclesia, filios Christo et Ecclesiæ generare potest; ergo, etc.

Resp. Nego min. Nam, ut loquitur Augustinus, lib. 1 de Baptismo, Ecclesia comparatur uxoribus Patriarcharum, putà Saræ, Rachel, etc., *quæ viris suis per uterum ancillarum suarum filios genuerunt;* prætereà impropriè dicitur Hæreticos, validè baptizando, Christo et Ecclesiæ generare filios; hæc enim filiorum Dei per Baptismum generatio, non tam ministris quàm Christo, cujus partes agunt, tribuenda est, juxta illud S. Joannis Baptistæ de Christo testantis: *Hic est qui baptizat.* Joan. c. 1, ℣. 33.

Obj. 4.° Hæretici etiam publici quandoquè retinent jurisdictionem in Ecclesiâ; ergo sunt

membra illius : quis enim magis pertinet ad aliquam societatem quàm dux et moderator ipsius?

Nota antecedentis veritatem controverti inter Theologos , quorum plures partem negantem tenent ; alii verò affirmantem tuentur : suppositâ autem veritate antecedentis ,

Resp. Nego consequent. Aliud est habere jurisdictionem in Ecclesiâ , aliud est ad ipsam tanquam verum membrum pertinere. Quilibet, modò sit baptizatus , absolutè capax est recipiendæ jurisdictionis ; ut autem aliquis sit verum Ecclesiæ membrum , tribus vinculis externis suprà memoratis cum Ecclesiâ uniri debet. Et verò quilibet Hæreticus , quantumvìs in fundamentalibus erret , jurisdictionem pro articulo mortis habet , ita ut , si sit sacerdos , validè possit moribundum absolvere : atqui tamen Hæreticus ejusmodi , etiam fatente Juriæo , non est de Ecclesiâ ; ergo , etc. Quod autem additur quemlibet societatis ducem et moderatorem ad ipsam tanquam membrum pertinere , falsum est ; quot sunt enim , v. g., superiores ecclesiastici , qui jurisdictionem habent in moniales , licèt societatis earum membra non sint. Non desunt tamen Theologi qui omnes Hæreticos et Schismaticos , quantumvìs manifestos , corporis Ecclesiæ membra dicant mortua , eo sensu quòd ad ipsam pertineant ratione jurisdictionis quam in eos retinet Ecclesia , et ratione Baptismi , qui est character Christianismi distinctivus et indelebilis ; illi autem Theologi à nobis non re sed nomine tantùm dissentiunt ; negant enim Hæreticos pertinere ad Ecclesiam per tria vincula à nobis superiùs memorata. Observandum tamen modum loquendi in Ecclesiâ usitatum religiosè

servandum esse : porrò, juxta illum, Hæretici omnes et Schismatici extra Ecclesiam sunt.

Quæres utrùm Hæretici et Schismatici occulti sint de Ecclesiâ.

Resp. quæstionem illam inter Catholicos, salvâ fide, agitari solitam, non esse magni momenti; si tamen solutione indigeat, affirmantem tenemus cum Augustino, libro de Gestis cum Emerito Donatistâ : *Quidam, inquit, corde positi in parte Donati, præsentiam nobis exhibent corporalem;.... carne intùs, spiritu forìs;* ergo juxta S. Doctorem, Hæretici occulti sunt corporaliter intùs, id est, intra Ecclesiam. Et verò illi sunt de Ecclesiâ, qui tria vincula externa corporis Ecclesiæ retinent : atqui Hæretici et Schismatici occulti retinent tria vincula externa corporis Ecclesiæ, videlicet, exteriùs veram profitentur fidem, participant sacramentis, legitimis subjiciuntur Pastoribus.

Dices : Hæretici publici sunt extra Ecclesiam; ergo et occulti.

Resp. Nego consequent. Hæretici publici carent primo vinculo corporis Ecclesiæ, id est, professione externâ veræ fidei; non ita est de Hæreticis occultis, qui voce profitentur fidem quam corde negant.

Inst. Hæretici occulti à publicis non differunt, nisi per abominandam hypocrisim; ergo non magìs sunt de Ecclesiâ quàm isti.

Resp. Distinguendum est inter pravam cordis dispositionem quæ in causâ est cur Hæretici occulti nolint fidem quam intùs habent exteriùs profiteri, et effectum externum indè provenientem : non ratione prioris sed posterioris, sunt de Ecclesiâ Hæretici occulti; cæterùm ex suâ cum

Ecclesiæ corpore unione, nullum internum fructum percipiunt.

CAPUT IV.

De Excommunicatis.

Excommunicatio duplex est, *major* et *minor*. Prior dicitur *censura quâ homo baptizatus privatur Ecclesiæ bonis communibus, sacramentis scilicet, sacrificiis, suffragiis*, etc.; posterior verò est *censura quæ tantùm privat à receptione sacramentorum*. Præter hanc duplicem excommunicationis speciem, alia est Sacerdotibus propria et antiquis usitatissima, quâ Episcopi et Presbyteri aut etiam ministri inferiores ecclesiasticâ communione ipsorum ordini congruâ privantur.

Certum est excommunicatione minori vel etiam privatione communionis ecclesiasticæ neminem ab Ecclesiâ separari; ergo agitur tantummodò de excommunicatis excommunicatione majori.

PROPOSITIO.

Excommunicati sunt extra Ecclesiam.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 18, ℣. 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Qui excommunicationis pœnâ mulctatur, sicut Ethnicus et Publicanus haberi debet : porrò Ethnicus extra fidelium societatem manet; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, Epist. 62 : *Spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dùm de Ecclesiâ ejiciuntur ;* ergo excommunicatio, quæ est spiritalis ille gladius, ejicit de Ecclesiâ. S. August. lib. de Unitate Ecclesiæ : *Quis-*

que præciditur à corpore Ecclesiæ, *cùm visibiliter excommunicatur.*

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Illi non sunt de Ecclesiâ qui carent uno ex tribus vinculis corporis Ecclesiæ : atqui excommunicati carent uno ex tribus vinculis corporis Ecclesiæ, scilicet participatione iisdem sacramentis; ergo, etc.

Obj. 1.° S. Augustinus, lib. contra Donat. post collationem cum ipsis habitam, cap. 20 : *Non à populo Dei separamus quos excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus ;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Ibi S. Augustinus nomine populi Dei non Ecclesiam præcisè intelligit; sed numerum salvandorum, à quo excommunicatos separare non vult Ecclesia, cùm è contrariò nonnisi propter salutem ipsorum in eos animadvertat.

Obj. 2.° Victor Papa, secundo Ecclesiæ seculo, Polycratem, Episcopum Ephesinum, aliosque Asiaticos excommunicavit propter morem ipsorum peculiarem Paschatis celebrandi, more Judæorum, die 14.ª mensis *Nisan* : atqui tamen, non obstante illâ excommunicatione, Polycrates aliique Asiatici semper habiti sunt ut verè Ecclesiæ filii; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Summus Pontifex Victor nunquàm excommunicavit Polycratem et Asiaticos, sed tantùm pœnam excommunicationis minatus est, quam nunquàm tulit, ut habet Firmilianus in Epist. ad S. Cyprianum; deindè tametsi à communione Ecclesiæ Polycratem et sequaces ejus præcidisset Victor Papa, ut refert Eusebius, lib. 5 Historiæ suæ, cap. 24, dicendum est hanc censuram effectu suo caruisse propter

reclamationem Episcoporum; nam, ut habet idem Eusebius, *hæc non omnibus placebant Episcopis; proindè Victorem hortati sunt ut ea potiùs sentire vellet, quæ paci ac unitati congruebant.* Exstant etiam nunc eorum litteræ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt; et reverà S. Irenæus, nomine Ecclesiæ Gallicanæ, ad Victorem scripsit ne propter quæstionem disciplinæ, tot Ecclesias à communione præcideret.

Obj. 3.° S. Stephanus Papa excommunicavit S. Cyprianum et Africanos qui Baptismi ab Hæreticis collati invaliditatem tuebantur: atqui tamen S. Cyprianus et ejus asseclæ semper fuerunt in Ecclesiâ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Excommunicationis pœnam minatus est Stephanus, sed non tulit, juxta S. Augustinum, lib. 5 de Bapt. cap. 25: *Stephanus,* inquit, *abstinendos putaverat qui de suspiciendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur;..... vicit tamen pax..... in cordibus eorum, ut..... nullum inter eos schismatis malum oriretur.*

Inst. S. Meletius Antiochenus Romani Pontificis et Occidentalium communione privatus est: atqui tamen Ecclesiæ membrum erat; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Meletius privatus est communione episcopali, *conc.;* communione sacramentorum, *nego.* Itaque cùm Meletius et Paulinus de Sede Antiochenâ contenderent, Romanus Pontifex cum occidentalibus Episcopis Paulinum ut Episcopum habuit; et consequenter à communione episcopali competitorem ejus Meletium separavit; non verò à sacramentorum communione, ita ut semper habitus sit tanquam verum Ecclesiæ membrum.

CAPUT V.

De Catechumenis, Infidelibus et Apostatis.

Catechumenus ille est qui doctrinâ Christi imbuitur, et ad Baptismum se disponit.

Certum est 1.° catechumenum esse posse de animâ Ecclesiæ, si nimirùm charitate instruatur.

Certum est 2.° catechumenum ex voto pertinere ad corpus Ecclesiæ : sincerè enim desiderat Baptismo tingi et fidelium cœtui aggregari; ergo quæritur tantummodò utrùm sit actuale corporis Ecclesiæ membrum.

PROPOSITIO.

Catechumeni non sunt de corpore Ecclesiæ.

Prob. 1.° Ex Eugenii IV decreto ad Armenos, et ex Concilio Tridentino, Sess. 14, Baptismus est janua Ecclesiæ : atqui catechumeni non sunt baptizati; ergo Ecclesiam adhuc ingressi non sunt.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* inter quos afferemus tantùm S. Gregorium Nazianzenum, Orat. 40 : *Quandiù*, inquit, *in catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo es : intrare te oportet;* ergo juxta S. Doctorem, in vestibulo Ecclesiæ, non autem in Ecclesiâ sunt catechumeni.

Prob. 3.° *Ratione theologicâ;* illi enim non sunt de Ecclesiâ, qui carent duobus vinculis corporis Ecclesiæ : atqui catechumeni carent duobus vinculis corporis Ecclesiæ; namque participatio iisdem sacramentis, et subjectio legitimis Pastoribus duo sunt vincula corporis Ecclesiæ : atqui catechumeni his duobus vinculis carent;

1.° quidem non participant sacramentis : illi enim sacramentis non participant qui nullum jus habent ad sacramenta : porrò catechumeni nullum jus habent ad sacramenta, cùm nemo fiat capax sacramentorum nisi per Baptismum; 2.° non subjiciuntur Ecclesiæ Pastoribus; illi enim Pastoribus non subjiciuntur, in quos Pastores Ecclesiæ nullam habent jurisdictionem : atqui in catechumenos Pastores Ecclesiæ nullam habent jurisdictionem; ergo, etc.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo infideles non sunt de Ecclesiâ.

Prob. Catechumeni, ex dictis, defectu Baptismi sunt extra Ecclesiam; ergo à fortiori infideles, qui non solùm participatione sacramentorum et subjectione Pastoribus, sed etiam professione veræ fidei carent.

COROLLARIUM II.

Ergo Apostatæ sunt extra Ecclesiam.

Prob. Ex dictis suprà, Hæretici sunt extra Ecclesiam; ergo à fortiori Apostatæ, namque Apostatæ dicuntur ii qui postquàm Christo nomen dederunt, ipsum abjurare non sunt veriti : atqui homines ejusmodi magis ab Ecclesiâ quàm Hæretici alienantur, cùm Hæretici semper aliquos doctrinæ Christi retineant articulos, quos omnes abjiciunt Apostatæ; ergo, etc.

Quæ contrà fieri possunt objectiones, levioris sunt momenti; ideòque eas consultò prætermittimus.

DISSERTATIO QUARTA.

DE AUCTORITATE ECCLESIÆ.

Quidquid pertinet ad auctoritatem Ecclesiæ duplici viâ cognosci potest, videlicet *discussione*, si ad normam Scripturæ et Traditionis expendatur, et *auctoritate*, si ea cognitio ab ipsâ Ecclesiâ oriatur; scilicet, ope notarum jam deteximus romanam societatem esse veram Christi Ecclesiam : porrò absque ulteriori examine auctoritatis ejus, quilibet potest tutò et certò credere eam omnem ipsi competere auctoritatem quam sibi tribuit, et in ipsâ ab omnibus membris suis agnosci vult et imperat sub pœnâ anathematis : etenim quilibet sic invictè ratiocinari potest: Ecclesia Romana, quæ est vera, hanc et illam sibi tribuit auctoritatem, et ab omnibus membris suis exigit, sub pœnâ anathematis, ut illam quam sibi tribuit auctoritatem credant; ergo in rei veritate talis ipsi competit auctoritas; si enim illâ defraudaretur, jam erraret in fide, imò membra sua circa fidem errare cogeret : atqui repugnat veram Christi Ecclesiam errare in fide; ergo, etc.

Hæc via maximè compendiosa est, et simplicibus accommodata; omnemque retorquendi viam Protestantibus occludit; scilicet, cùm urgentur à Catholicis, qui ipsis objiciunt examen veræ doctrinæ esse rudibus improportionatum, eosque non discussione, sed auctoritate regendos esse, sic retorquere solent : rudes et imperiti etiam in sententiâ Catholicorum, tenentur ex Scripturâ et Traditione discutere, 1.° quæstionem de infalli-

bili judicis controversiarum auctoritate; 2.° subjectum illius auctoritatis, an si penes summum Pontificem, vel Episcopos, vel Presbyteros, vel Principes seculares, vel cujuslibet generis laicos; 3.° objectum ejusdem auctoritatis, an versetur circa fidem, mores et disciplinam; 4.° modum quo exerceri potest illa auctoritas, utrùm nempè Ecclesia congregata et dispersa, expressè et tacitè, in particulari et in globo, judicare possit: atqui examen harum quæstionum rudibus impervium est; ergo vestrum systema, inquiunt Protestantes, iisdem ac nostrum subjacet incommodis. Hæc retorsio potest multiplici modo refelli, sed omninò resolvitur *negando suppositum majoris* argumenti propositi: namque falsum est imperitos, in sententià Catholicorum, teneri omnes quæstiones ad auctoritatem Ecclesiæ pertinentes juxta normam Scripturæ et Traditionis expendere et solvere, quia, ut jam diximus, auctoritate Ecclesiæ, cujus veritas ope notarum cognita est, certò finiuntur.

Hæc compendiosa auctoritatis Ecclesiæ investigatio sufficit laicis, quos *fides salvos facit non exercitatio Scripturarum,* ait Tertullianus, lib. de Præscript., cap. 14; in Clericis autem et Pastoribus animarum major scientia requiritur. Itaque præsentem Dissertationem satis difficilem et maximi momenti quatuor capitibus absolvemus: 1.um erit de infallibilitate Ecclesiæ in docendo; 2.um de subjecto illius infallibilitatis; 3.um de ejus objecto; 4.um de vario illam exercendi modo.

CAPUT PRIMUM.

De Infallibilitate Ecclesiæ in docendo, seu de Judice controversiarum infallibili.

OBSERVANDUM 1.° Fides sine quâ, ut habet Apostolus, impossibile est placere Deo, *est assensus firmus datus rebus à Deo revelatis, propter auctoritatem ipsius;* res autem à Deo revelatæ et ab hominibus credendæ continentur in verbo Dei scripto et tradito. Protestantes quidem Traditionem rejiciunt, rati omnes fidei veritates in Scripturis contineri, sed hunc errorem confutavimus in *Theologiæ Prolegomenis*, cap. 3, *de Locis theologicis*, art. 2.

Observandum 2.° Ut homines fidem concipiant, priùs certò cognoscere debent divinitatem et sensum Scripturæ textuum, sicut judex non potest controversias dirimere nisi priùs cognoscat legis existentiam, et legitimam ejus habeat interpretationem.

Observandum 3.° Nec divinitas textuum Scripturæ, nec eorumdem sensus naturalis et legitimus, instar primorum principiorum haberi debent, id est, non sunt aliquid per se notum; illud enim dicitur per se notum sive primum principium, cujus veritas ex simplici terminorum expositione patet, quodque cognoscitur absque ope discursûs, quale est istud principium, *Totum majus est suâ parte:* porrò evidens est divinitatem et legitimum sensum textuum Scripturæ et Traditionis non esse ejusmodi; ergo non sunt aliquid per se notum.

Observandum

Observandum 4.° Cùm divinitas et legitimus sensus textuum Scripturæ et Traditionis per se non innotescant, ut certò cognoscantur indigent probatione seu medio ab ipsis distincto : atqui probatio illa, seu medium illud, examen includit; ergo status controversiæ Catholicos inter et Protestantes iste est : an examen divinitatis et sensùs textuum verbi divini pertineat ad singulos fideles, vel ad præpositos Ecclesiæ tantùm; prius tuentur Protestantes, posterius verò Catholici; utriusque autem partis sententiam fusiùs exponere juvat.

Juxta Protestantes, 1.° Scriptura sola est fidei nostræ regula; ideòque ad illam, non autem ad Traditionem, recurrendum est ut hauriantur veritates fidei ab hominibus credendæ; 2.° Christus nulli homini in particulari, nullique hominum societati promisit infallibilitatem in definiendo Scripturæ legitimo sensu; ita ut non solùm Romanus Pontifex, sed etiam omnia Concilia, quantumvìs generalia, errare possint circa fidem; undè 3.° quilibet fidelis, quantumvìs simplex et illiteratus, posthabitâ Episcoporum et Conciliorum auctoritate, tenetur per semetipsum expendere et textuum Scripturæ divinitatem, et naturalem eorumdem sensum, ut fidem, sine quâ Deo placere non potest, corde concipiat et ore profiteatur. 4.° Ut explicent Protestantes quâ ratione fieri possit ut quilibet fidelis, quantumvìs simplex et illiteratus, hæc duo expendere valeat, distinguunt inter veritates fidei necessarias ad salutem seu *fundamentales, et non fundamentales* : de posterioribus fatentur ipsas non esse imperitis obvias; de prioribus autem audacter pronuntiant nullum esse Christianum, quantum-

vis rudem, cui, modò humilis sit, obviæ non sint, mediante gratiâ Sancti Spiritûs. Gratia autem illa Sancti Spiritûs hominem adjuvans in examine divinitatis et sensûs textuum verbi divini, dicitur à Claudio *radius Spiritûs Sancti*, à Juriæo autem nuncupatur *gustus internus*. Ex quibus patet 5.° homines, non auctoritate, sed privato examine in rebus fidei regendos esse.

Juxta Catholicos, 1.° regula fidei duplex, Scriptura et Traditio; 2.° Christus in Ecclesiâ posuit Pastores et Doctores cum potestate et privilegio docendi fideles, et quidem infallibiliter; undè sequitur 3.° homines in negotio fidei, non privato examine, sed auctoritate vivente et externâ regendos esse : Pastores autem illi et Doctores quibus potestatem docendi infallibiliter Christus concessit, dicuntur Judex infallibilis controversiarum.

PROPOSITIO.

Ecclesia per suos præpositos est infallibilis controversiarum fidei Judex, seu *Ecclesia est infallibilis in docendo.*

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 28, ℣. 18, 19 et 20 : *Data est mihi,* inquit Christus Apostolos alloquens, *omnis potestas in cœlo et in terrâ. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos..... : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Undè sic : per hæc verba Christus dedit Apostolis potestatem docendi et privilegium docendi infallibiliter : atqui potestas illa docendi, et privilegium illud docendi infallibiliter, perseverant in præpositis Ecclesiæ, Apostolorum successoribus; ergo, etc.

Prob. maj. quæ sic se habet : *Christus concessit Apostolis potestatem docendi et privilegium docendi infallibiliter.* 1.° Quidem Apostolis dedit potestatem docendi, ut apertè liquet ex his textùs mox allati verbis : *Docete omnes gentes.* 2.° Christus dedit Apostolis privilegium docendi infallibiliter; illis enim Christus concessit privilegium docendi infallibiliter, quibus docentibus promisit auxilium efficax : atqui Christus Apostolis promisit auxilium efficax; namque Christus promisit se futurum cum Apostolis docentibus, *Docete.... : et ecce ego vobiscum sum :* atqui hæc verba, *ego vobiscum sum,* designant auxilium efficax, ut patet ex omnibus Scripturæ textibus in quibus similis expressio legitur; deindè Christus per hæc verba promisit Apostolis auxilium ipsis et gentibus quas edocere tenebantur necessarium : atqui auxilium efficax in docendo erat necessarium Apostolis et gentibus quas docere tenebantur; postremò Christus non in vanum præposuit hæc verba, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ,* per illa enim significare voluit auxilium quo instruendi erant Apostoli non esse auxilium commune et ordinarium, sed auxilium efficax; ergo Christus per hæc verba promisit Apostolis auxilium efficax in docendo; ergo Christus concessit Apostolis privilegium docendi infallibiliter; ergo vera major.

Prob. min. quæ sic est : *Atqui eadem potestas docendi, et illud privilegium docendi infallibiliter, perseverant in præpositis Ecclesiæ, Apostolorum successoribus.* Res ita est, modò Christus per hæc verba allocutus sit Apostolos, quatenùs unicam constituebant personam moralem cum præpositis Ecclesiæ, eorum successoribus : atqui

reverà Christus allocutus est Apostolos, quatenùs unicam constituebant personam moralem cum præpositis Ecclesiæ, eorum successoribus; namque Christus in prædicto textu alloquitur Apostolos, quatenùs usque ad finem mundi existere et docere debebant, ut patet ex his verbis, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, id est, usque ad finem mundi : atqui evidens est Apostolos non potuisse docere usque ad finem mundi, nisi in quantùm unicam personam moralem efficiunt cum præpositis Ecclesiæ, successoribus suis, ergo potestas et privilegium docendi infallibiliter concessum Apostolis perseverant in eorum successoribus, præpositis scilicet Ecclesiæ; ergo præpositi Ecclesiæ sunt infallibiles in docendo, sive Ecclesia per præpositos suos est infallibilis controversiarum judex.

Notandum autem infallibilitatem in docendo Ecclesiæ promissam, continuam esse usque ad finem mundi, ita ut Deus omnibus diebus Ecclesiæ suæ efficaciter adsit : illud enim patet ex textu mox allato, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Undè Ecclesia est semper et pro semper infallibilis.

Ad Ephes. c. 4, ℣. 11, 12, 13 et 14 : Christus *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores... in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei....; ut jam non simus parvuli fluctuantes; et circumferamur omni vento doctrinæ.* Igitur 1.° juxta institutionem Christi sunt in Ecclesiâ præpositi qui fideles edoceant; patet enim ex his verbis, *posuit in Ecclesiâ Pastores et Doctores;* 2.° futuri sunt in Ecclesiâ præpositi

facultate docendi instructi usque ad finem mundi, ut probatur ex his verbis, *donec occurramus omnes in unitatem fidei;* quod nonnisi in fine mundi compleri debet; 3.° præpositi Ecclesiæ facultate docendi instructi, infallibilitate donantur, ut satis constat ex fine quem Christus sibi proposuit in illis instituendis Pastoribus, ut nimirùm *occurramus omnes in unitatem fidei...., ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ.*

Multi sunt alii Scripturæ textus ex quibus eadem Ecclesiæ in docendo infallibilitas deducitur; Matth. c. 18, ℣. 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus:* sub pœnâ excommunicationis Ecclesia audienda est quotiescunquè docet; ergo infallibiliter docet; repugnat enim dicere Christianos sub pœnâ omnium gravissimâ teneri ad subscribendum interiùs et immobiliter judicio fallibili. I ad Timotheum c. 3, ℣. 15: *Ecclesia Dei vivi,* quæ est *columna et firmamentum veritatis;* ergo sicut ædificium columnis nixum ab eis omnem suam soliditatem habet, ita fideles habent ab Ecclesiâ suam in veritate firmitatem, ipsam proindè infallibilitatem. Matth. c. 16, ℣. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* atqui si Pastores Ecclesiæ errare possent, tunc adversùs Ecclesiam quæ Pastores audire debet, portæ inferi prævalerent; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Irenæus, lib. 3 adversùs Hæreses, cap. 4: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere:* porrò si errare posset Ecclesia circa fidem, tam facile esset ab eâ errorem sumere quàm veri-

tatem; ergo S. Irenæus supponit eam esse infallibilem. Idem S. Doctor, lib. 3 adversùs Hæreses, cap. 4 : Ibi discere oportet veritatem *apud quos ea est quæ derivat ab Apostolis Ecclesiæ successio, illi enim fidem nostram custodiunt et nobis Scripturam sine periculo exponunt.* Hæc clara sunt nullâque interpretatione indigent.

S. Basilius, Epist. 204 : *Justius est res nostras judicari,* id est, controversias dirimi, *non ex uno vel altero non rectè in veritate ambulantibus, sed ex multitudine Episcoporum;* ergo veritas fidei æstimanda est ex multitudine Episcoporum in eam conspirantium; ergo Episcoporum multitudo est infallibilis in docendo, alioquin in aliquâ doctrinâ eorum consensio non esset certum veritatis argumentum, ut habet S. Doctor.

S. Aug., lib. 1 contra Cresconium, cap. 33 : *Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illâ consulat,* etc. : porrò si Ecclesia sit fallibilis, tunc ne fallatur timere debet quisquis eam consulit. Idem S. Doctor, lib. contra Epist. *fundamenti,* cap. 5 : *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Deniquè probatur ex omnibus textibus Patrum infrà exscribendis, ubi de auctoritate Conciliorum et subjecto auctoritatis Ecclesiæ agemus.

Prob. 3.° *ex praxi veræ antiquæ Ecclesiæ.* Vera Christi antiqua Ecclesia, in omnibus exortis circa fidem disputationibus, post definitionem suam, nulli ampliùs dubitare permisit, sed ab omnibus membris suis sub pœnâ excommunicationis exegit ut firmâ fide crederent quidquid ab ipsâ definitum fuerat. Veritas hujus propositionis constat indubitatis historiæ ecclesiasticæ monu-

mentis : atqui vera Christi Ecclesia sic se gerere non potuit nisi fuerit infallibilis in docendo; absurdum enim est, injustum et crudele, exigere assensum firmum et immobilem definitionibus fallibilibus : atqui si vera Christi Ecclesia non fuisset infallibilis in docendo, jam exegisset assensum firmum et immobilem definitionibus fallibilibus; ergo absurdè, injustè et crudeliter se gessisset; quod de verâ Christi Ecclesiâ dici repugnat.

Prob. 4.° *ex fide et praxi Ecclesiæ Romanæ actualis.* Ecclesia Romana credit se esse infallibilem in docendo, et consequenter ad ejusmodi fidem exigit ab omnibus fidelibus ut eam profiteantur fidem et omnibus definitionibus suis firmiter et immobiliter assentiant; illud, inquam, exigit sub pœnâ anathematis, id est, ejectionis è suo sinu; ergo est verè infallibilis. Consequentia evidens est; ex dictis enim, ubi de Notis Ecclesiæ, romana societas vera est Christi Ecclesia : atqui evidens est veram Christi sponsam non posse credere se esse infallibilem, et sub pœnâ anathematis exigere à fidelibus ut eam profiteantur fidem et omnibus definitionibus suis firmiter et immobiliter assentiant, si reverà non sit infallibilis.

Prob. 5.° Vel Ecclesia per suos præpositos est infallibilis controversiarum judex, vel quilibet privatus tenetur per semetipsum fidei controversias expendere ad normam divini verbi : atqui posterius dici nequit; ergo, etc.

Major evidens est, quia ex unâ parte privatus quilibet tenetur credere : *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*, qui *vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire*, ut habet Apos-

tolus, Hebr. cap. 11, et I ad Timoth. c. 2; et ex alterâ parte veritates fidei in verbo Dei contentæ, non sunt ita per se notæ ut divinitas textuum eorumque sensus legitimus ex simplici lectione innotescant, absque ullo examine; undè aut auctoritas præpositorum Ecclesiæ, aut discussio uniuscujusque privati debet controversias fidei dirimere.

Prob. minor, nempè, quòd *dici nequeat quemlibet privatum teneri ad expendendas fidei controversias ad normam verbi divini;* etenim nemo ad impossibile tenetur : sed impossibile est cuilibet privato fidei controversias ad normam verbi divini expendere et solvere; maxima pars enim Christianorum constat rudibus et imperitis : atqui impossibile est hominibus hujusmodi, fidei controversias expendere et solvere; vel enim agitur de omnibus fidei controversiis, vel de aliquibus tantùm, de iis scilicet quæ versantur circa veritates *fundamentales :* porrò utrumque rudibus et imperitis improportionatum est; 1.um quidem, id est, imperiti non possunt omnes fidei veritates controversas expendere et solvere, ut fatentur ipsimet adversarii, et magìs patebit ex mox dicendis : 2.um pariter dici nequit, id est, imperiti non possunt veritates fidei ad salutem necessarias, sive articulos fidei *fundamentales* expendere et privato examine cognoscere; namque 1.° hæc distinctio articulorum *fundamentalium* et *non fundamentalium* fictitia est, recèns excogitata, nulloque auctoritatis momento nixa; 2.° nulla est regula certa, in verbo Dei contenta, ad discernendos articulos *fundamentales* à *non fundamentalibus ;* hinc ipsi Protestantes inter se nunquàm potuerunt consentire de numero illorum articulorum, ita ut alii plures, alii pauciores

fingant; 3.° ut rudes et imperiti articulos illos fidei *fundamentales* certò cognoscere valeant, duo requiruntur, ut scilicet cognoscere possint divinitatem librorum, et catholicos ab apocryphis discernere, deindè ut eorum legitimam interpretationem assequi valeant : atqui hæc duo imperitis minimè obvia sunt; quânam enim ratione viri simplices et idiotæ operibus manuum continuò vacantes, certò solvere poterunt quæstiones intricatas et inter doctissimos magno animorum æstu agitatas? Divinitas enim Scripturarum, independenter ab auctoritate Ecclesiæ, vix ac ne vix quidem à doctis agnoscitur : hinc quidam libri tanquam divini à Calvinistis habentur, nimirùm Epist. ad Hebræos, Epist. S. Jacobi, et Apocalypsis S. Joannis, qui à Lutheranis respuuntur; deindè sensus Scripturæ sacræ, etiam in rebus ad salutem necessariis, difficilis est, teste S. Petro, II Epist. c. 3, ℣. 16 : *in quibus*, inquit, sermonem faciens de Epistolis S. Pauli, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* hinc meritò Vincentius Lirinensis, Commonitorii cap. 2, ait : *Scripturam sacram, pro ipsâ suî altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt..., ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur;* ideòque *necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundùm ecclesiastici et catholici sensûs normam dirigatur.*

Nec dicatur simplices et imperitos, si humiles sint, omnes de divinitate et legitimo sensu Scripturæ quæstiones ad salutem necessarias solvere

posse, mediante *Spiritûs Sancti radio*, ut loquitur Claudius, vel mediante *gustu interno*, ut habet Juriæus : hæc est enim *radii Claudiani* proprietas, ut textuum Scripturæ qui leguntur, aut ab aliis legi audiuntur, intuitivè et absque ullo discursu divinitatem aperiat, sicut lux solis objecta sensibilia oculis immediatè exhibet; per *gustum* autem à Juriæo excogitatum, discernitur textus divinus à profano, sicut amarum à dulci : porrò non est recurrendum ad *radium* Claudii vel *gustum internum* Juriæi : 1.° quia fictitii sunt, ut quilibet cordatus et sincerus, si conscientiæ propriæ testimonio stare velit, fateri cogetur; nullus est enim Protestans qui vel minimum discrimen inter duos textus quorum alter erit verè divinus, alter verò humanus, ope radii illius vel saporis hujus, pronuntiare ausit; 2.° quia fanatismum redolent; 3.° Lutherus et Calvinus prætensæ Reformationis auctores in pluribus circa fidem articulis dissentiunt; ergo vel dicendum est fictitium esse ejusmodi radium, aut saltem ipsum eclipsim quandoquè pati; vel Luthero aut Calvino propter defectum humilitatis non affulsisse : eligant adversarii.

Prob. 6.° *ex ipsâ adversariorum agendi ratione.* Multitudo enim Protestantium, etsi speculativè credat examen controversiarum fidei ad quemlibet privatum ultimò pertinere, in praxi tamen auctoritate Pastorum regitur : hinc verè dixit Nicolius istud inter Catholicos et Protestantes in præsenti causâ esse discrimen, quòd illi propriis principiis suis in praxi adhæreant, isti verò principia sua factis negent : *L'autorité*, inquit, lib. cui titulus : *les prétendus Réformés convaincus de schisme*, part. 1, c. 14 : *l'autorité*

est la cause générale de la créance des simples dans toutes les Religions, et il n'en faut chercher d'autre de celle de tous ceux qui naissent présentement Calvinistes. Il ne faut pas même croire que ceux qui ont embrassé ce parti au commencement..., n'aient point été entraînés par la force de l'autorité. Il faut à la vérité qu'ils aient été touchés par quelques raisons apparentes sur quelque point; mais ces raisons ayant acquis créance dans leur esprit à ceux qui les leur disaient, ils ont reçu tous les autres dogmes de la Religion prétendue réformée sans examen, ils se sont laissé emporter comme les autres par l'autorité fausse et présomptueuse des auteurs du schisme.... N'est-il pas certain que tous les Calvinistes croient.... que les livres de l'Ecriture dont ils font le catalogue dans leur confession de foi sont canoniques dans toutes leurs parties ?.... Cependant quel est le principe de cette créance? est-ce qu'ils y discernent les caractères de divinité dont nous parle M. Claude? comment le pourraient-ils faire, puisque la plupart d'entr'eux ne les ont pas lus, et qu'ils n'oseraient dire au moins qu'ils les aient lus sans distraction, ni qu'ils les aient tous entendus? ils le croient néanmoins; mais ils le croient par autorité. Ils croient de même un grand nombre de dogmes dont ils ne se sont point mis en peine de chercher les preuves dans l'Ecriture, ils n'en croient pas moins plusieurs, qu'ils avouent n'être pas fondamentaux, que les plus fondamentaux, quoique M. Claude nous dise que ces points ne se font pas paraître si essentiellement divins. Qu'est-ce qui leur fait croire tout cela? l'autorité, qui est le grand principe de la

créance des hommes, et l'unique de celle des simples. Que les prétendus Réformés ne se tirent donc point du rang et de la condition commune des autres hommes.... la seule différence qu'il y a entr'eux et les Catholiques simples, à l'égard de la créance, n'est pas que les Catholiques croient par autorité, et les prétendus Réformés par des lumières particulières; mais c'est que les uns et les autres croyant par autorité, les Catholiques croient par une autorité raisonnable à laquelle ils font profession de se soumettre, et les prétendus Réformés croient par une autorité déraisonnable à laquelle ils font profession de renoncer... La voie de l'autorité est si naturelle à l'homme, que ceux même qui la rejettent et qui la combattent, ne sauraient s'empêcher de la suivre.

Confirmatur. Vel Ecclesia per suos præpositos infallibilis est controversiarum fidei judex, cui omnes parere et obsequium præstare tenentur, vel quilibet privatus tenetur per semetipsum Scripturas legere, interpretari, et sensui quem in eis detegit proprio suo judicio firmiter adhærere, atqui posterius absurdum nimis est, tum in se, tum in principiis Calvinistarum; 1.° quidem in se : namque exindè fluit tolerantismus universalis, etiam ecclesiasticus, ut probat D. *Papin*, ex Calvinistâ factus Catholicus : *Quand un Protestant,* inquit tom. 1 Operum suorum, pag. 52, *trouve de ces gens qui lui disent : nous regardons l'Ecriture comme notre unique règle; nous l'avons lue et relue avec toute l'attention possible; nous avons écouté ce qu'on nous a dit et pour et contre sur ces matières; nous avons accompagné cet examen de prières ardentes;*

et après cet examen notre conscience nous a dit que la Sainte Écriture n'enseigne pas ces articles que vous nous proposez comme des vérités essentielles; quand, dis-je, un Protestant trouve des gens qui lui tiennent ce langage, il doit se dire à lui-même : voilà des gens que nos principes nous obligent à tolérer. Comme nous, ils n'ont point d'autre règle de foi que la Sainte Écriture; comme nous, ils l'ont lue et examinée; comme nous, ils ont prié pour obtenir le secours de Dieu. Nous ne leur pouvons produire, sur les articles contestés, *des passages qui, considérés en eux-mêmes, ne soient susceptibles de quelque explication favorable aux ennemis de ces dogmes; nous ne pouvons nier que pour expliquer la Sainte Écriture nous n'employions quelquefois des figures semblables à celles qu'ils emploient pour accorder nos passages avec leur doctrine; et nous n'avons point d'autorité ni de règle certaine à leur proposer, pour montrer qu'il n'est pas permis d'appliquer ces figures à nos passages; nous n'avons donc aucun droit de prononcer que les vérités que nous voulons leur faire recevoir, soient des vérités essentielles, et que ce soit être Hérétique que de les rejeter.* 2.° Nec minùs absurdum est in principio Calvinistarum; ipsi enim ab Ecclesiâ eos rejici volunt qui eorum Synodi Nationalis judicio acquiescere noluerint; quippe sic habet eorum Disciplina Eccl. cap. 5, art. 2 : *Les débats pour la doctrine seront terminés par la parole de Dieu dans le Consistoire; sinon l'affaire sera portée au Colloque, de là au Synode provincial, et enfin au national, où l'entière et finale résolution se fera par la parole de Dieu, à laquelle si on refuse*

d'acquiescer de point en point et avec un exprès désaveu de ses erreurs, on sera retranché de l'Eglise. Quæ quidem excommunicatio exsecutioni demandata est cùm Protestantes exortam litem inter Arminianos et Gomaristas de Gratiâ et Prædestinatione dirimere tentârunt, et suo judicio contra priorum mores lato, subscribi per excommunicationem coegerunt.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.° Scriptura, saltem in rebus ad salutem necessariis, est clara; ergo inutilis est judex controversiarum infallibilis; nam, ex axiomate, sicut Deus non deest Ecclesiæ suæ in necessariis, ita non abundat in superfluis. *Antecedens prob.* 1.° Psalm. 118, ℣. 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum;* 2.° Epist. II S. Petri c. 1, ℣. 19, in quo Scriptura vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco;* 3.° II ad Corinth., c. 4, Evangelium dicitur opertum iis tantùm qui pereunt; cæteris ergo apertum est; 4.° Apocalypsis liber dicitur *apertus,* qui apud Isaiam signatus dicitur; 5.° ex SS. PP., scilicet, Chrysost. Hom. 3 de Lazaro : Hæc *Apostoli et Prophetæ,....* inquit, *prodiderunt, exposuerunt.... ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur;* ex Aug., lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 6 : Sanctus Spiritus, inquit, *Scripturas sanctas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret;* 6.° ex ratione : nimirùm, quæ in Evangelio continentur sunt totidem Christi verba ad populum judaicum directa, quæ proindè clara esse debuerunt, nisi dicatur ipsum locutum fuisse ut non intelligere-

tur; pariter quæ in Epistolis Apostolorum continentur, ea clara esse debent; illud enim exigit stylus epistolaris, et aliundè exarabantur ab Apostolis ut legerentur coram populo, qui eas nisi claræ fuissent, intelligere non potuisset.

Resp. 1.° *Nego ant.* propter rationes suprà allatas. Et verò si tam clara esset Scriptura, ut quid hùc usque cum Lutheranis de ipsius sensu legitimo in multis consentire non potuerunt Calvinistæ? cur omnes Hæretici sui erroris præsidium in Scripturà quærunt et ad ipsam vocant? certè nemo dixerit legem quam sibi vindicant omnes litigantes, claram esse et perspicuam.

Resp. 2.° *Nego consequent.* Etiamsi Scriptura esset clara, non ideò inutilis foret judex controversiarum; inserviret enim 1.° ad aperiendam librorum sacrorum divinitatem, quæ certè ita clara non est ut in eà detegendà simplices auctoritate duci non indigeant; 2.° ad coercendos pœnis spiritualibus Hæreticos, sensui legitimo Scripturarum repugnantes.

Ad 1.am *probationem resp.* verbum Dei, in allato textu, sumi debere pro præceptis divinis, quæ dicuntur lucerna pedibus, eo sensu quòd per ipsa diriguntur actiones humanæ.

Ad 2.am : S. Petrus non ex omni Scripturà dicit quòd sit lucerna lucens, sed tantùm de oraculis Prophetarum in Christo jam adimpletis : *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

Ad 3.am : Per Evangelium de quo Apostolus innuit ipsum apertum esse fidelibus, non intelligit Scripturas novi Testamenti, sed præcipuos Religionis Christianæ articulos qui, res-

pectu fidelium tunc temporis, erant aperti, propter miracula quæ in gratiam illorum ab Apostolis fiebant. Prætereà, quæstio non est utrùm Scriptura sit aperta, sed utrùm talis sit quoad nos per seipsam vel per interpretationes Ecclesiæ.

Ad 4.[am] : Liber dicitur *apertus* in novâ lege, qui in veteri figuratus erat, quia figuræ veteris Testamenti perobscuræ erant antequàm implerentur in novâ lege.

Ad 5.[am] : S. Chrysost. et S. Aug. docent verbis expressis Scripturas esse obscuras ; ne ergo sibi contradicere inveniantur, dicendum ipsos loqui de pluribus locis Scripturæ, non de omnibus, aut de omnibus respectu doctissimorum, non verò imperitorum. Hìc unum aut alterum Patrem in probationem obscuritatis Scripturarum afferre sufficiat : Orig. lib. 7 contra Celsum : *Alii...,* inquit, *Scripturam scrutando intellectum ejus invenire potuerunt, licèt reverà sit multis in locis obscura.* S. Ambr. Epist. 2, aliàs 44, ad Const. : *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos.* S. Aug., lib. 2 de Doctrinâ Christ. cap. 6 : *Multis,* inquit, *et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur qui temerè legunt* Scripturas, *aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inveniunt, ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt ; quod totum provisum divinitùs esse non dubito, ad edomandam labore superbiam et intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumquè vilescunt.* Vincentium Lirinensem in probationibus superioribus adduximus.

Ad 6.am : Expressè legitur in Evangelio Christum obscurè loqui solitum fuisse coram populo, Matth. c. 13, ℣. 11 : *Vobis* (Apostolis) *datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum... Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt neque intelligunt.* Quoad Epistolas Apostolorum, jam probavimus, ex testimonio S. Petri, in eis quædam esse loca difficilia intellectu. Reverà scriptæ erant ut legerentur coram populo, sed in locis obscuris non deerant interpretes. Prætereà, etiamsi Scriptura fuisset clara eo quo exarata est tempore, non sequitur illam à claritate suâ non excidisse; experientiâ enim constat antiquitatem temporum multùm obscuritatis Scripturæ afferre.

Obj. 2.° In novâ lege Deus ipse per gratiam hominem edocet; ergo inutilis est Judex controversiarum. *Antecedens probatur* ex multis textibus Scripturæ : Isaiæ c. 54, ℣. 12, 13 : *Ponam universos filios tuos doctos à Domino ;* Jerem. c. 31, ℣. 34 : *Non docebit ultrà vir proximum suum ;* Matth. c. 23, ℣. 10 : *Magister vester unus est Christus ;* Joan. c. 16, ℣. 13 : *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem ;* I S. Joan. c. 2, ℣. 27 : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus* (Spiritùs Sancti) *docet vos de omnibus.*

Resp. Dist. ant. Deus in novâ lege per gratiam suam docet, dependenter ab hominum ministerio, *conc. ;* independenter, *nego.* Ut aliquis credat, non sufficit gratia interior, nam fides, juxta Apostolum, *ex auditu ;* itaque Deus ut generet fidem in cordibus hominum, utitur Ecclesiæ ministerio, cui gratiam internam in-

tellectûs et voluntatis adjungit, ita ut, verbo foris sonante, gratia intùs mentem auditoris corroboret et voluntatem ejus accendat.

Ad 1.um *textum, Resp.* fideles doceri à Domino, quia certam et infallibilem verbi divini interpretationem ab Ecclesiâ, Deo intùs movente, accipiunt.

Ad 2.um *Dist.* Non docebit ultrà vir proximum suum unius veri Dei existentiam, *conc.*; legitimum verbi divini sensum, *nego.* Solutio patet ex verbis quæ immediatè sequuntur: *Non docebit*, inquit Propheta, *ultrà vir proximum suum, dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me.*

Ad 3.um: Unus est magister principalis Christus, *conc.*; ita ut excludatur magister secundarius, *nego.* Ille est magister principalis, cujus doctrina propria proponitur; minùs autem præcipuus, qui doctrinam alterius proponit: porrò Ecclesia non suam sed Christi doctrinam fidelibus exhibet.

Ad 4.um: Hæc promissio solis facta est Apostolis aut, si etiam velis, eorum successoribus.

Ad 5.um: Sic intelligi debet textus S. Joannis: *Non necesse habetis ut aliquis* ab Apostolis distinctus *vos doceat* (tunc enim erant seductores, Christianorum fidem corrumpere tentantes, ut constat ex iis quæ immediatè præcedunt: *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos*) *non necesse habetis*, inquam, etc., *quia unctio*, id est, gratia Sancti Spiritûs ministerio nostro juncta, *docet vos de omnibus.*

Obj. 3.° Quilibet privatus exhibetur in Scripturâ tanquam judex controversiarum fidei. *Prob.* Joan. c. 5, ℣. 39: *Scrutamini Scripturas*, in-

quit Christus; *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Act. c. 17, ℣. 11 : De Beroensibus dicitur quòd *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* I Corinth. c. 2, ℣. 15 : *Spiritualis* homo *judicat omnia, et ipse à nemine judicatur.* I ad Thess. c. 5, ℣. 21 : *Omnia probate : quod bonum est tenete.*

Resp. Nego ant. ad cujus 1.^am^ probat. dico 1.° verba Christi, *scrutamini Scripturas,* non diriguntur ad omnes Judæos, sed ad ipsorum Doctores. 2.° Christus non loquitur de omnibus Scripturis, sed de iis tantùm in quibus continentur Prophetarum oracula circa Messiæ characteres.

Ad 2.^am^ : Ex eo quòd Beroenses scrutarentur Scripturas, id est, vaticinia Prophetarum, ut viderent nùm circumstantiæ prædictionis mortis et resurrectionis Christi in iis continerentur, sicut ipsis dixerat D. Paulus, sequitur tantùm oracula Prophetarum circa Messiam, saltem post eventum, satis fuisse clara ut ex iis veritas Religionis Christianæ demonstrari posset, quod ultrò fatemur.

Ad 3.^am^ : Sensus Apostoli iste est : homo *spiritualis,* id est, perfectus, per oppositionem ad hominem carnalem, *judicat omnia,* id est, non solùm de terrenis sicut animalis homo, sed etiam de spiritualibus pronuntiat judicio discretionis auctoritati Ecclesiæ humiliter submisso. Sed quid indè inferri datur in gratiam Protestantium, qui privatum quemlibet controversiarum fidei judicem supremum constituunt?

Ad 4.^am^ : Dici posset illud Apostoli, *Omnia probate,* dirigi tantùm ad præfatos Ecclesiæ

Pastores; si autem omnibus dictum sit ut omnia probent, intelligendum est hoc sensu quòd quilibet fidelis doctrinam novam expendere debeat ad normam definitionum et documentorum Ecclesiæ, ut illam approbet si conformis, reprobet verò si difformis inveniatur.

Obj. 4.° Ex famoso textu S. Matth., *Euntes docete*, etc., non probatur Ecclesiam per suos præpositos infallibilem esse controversiarum fidei judicem; ergo, etc.

Resp. Nego ant. propter rationes allatas. Aliundè textûs præfati divinitas et sensus legitimus, prout primâ probatione expositus est, constant consensu omnium Christianorum et auctoritate omnium sectarum christianarum, exceptis tamen Protestantibus.

Inst. 1.° Christus per hæc verba, *Euntes*, etc., significare voluit se futurum cum Ecclesiâ suâ per suam præsentiam realem in Eucharistiâ.

Resp. Dist. ant. Christus per hæc verba significare voluit se futurum esse cum Ecclesiâ per suam præsentiam realem in Eucharistiâ, sed non per exclusionem alterius sensûs à nobis propositi, *conc.*; secùs, *nego*. Itaque Christus est cum Ecclesiâ per sui corporis in Eucharistiâ præsentiam realem, sed est insuper cum Pastoribus ejusdem Ecclesiæ, per protectionem efficacem quâ omnem ab ipsis docentibus errandi formidinem removet.

Inst. 2.° Atqui Christus per hæc verba, *Ecce ego*, nullatenùs promisit auxilium efficax ad rectè docendum; namque hæc Christi verba omnibus et singulis Apostolis et eorum successoribus dicta sunt: atqui tamen Christus non omnibus et singulis promisit auxilium efficax ad

rectè docendum, alioquin omnes et singuli Episcopi essent infallibiles.

Resp. Nego maj. Auxilium efficax in docendo non singulis Pastoribus, sed Pastorum Corpori à Christo promissum est per hæc verba, *Ecce ego*, etc. Verba quidem ista, si considerentur in se, tam possunt omnibus et singulis applicari Pastoribus quàm omnibus non autem singulis, id est, corpori Episcoporum : verùm ambiguitatem tollit 1.° experientia, quæ docuit singulos Episcopos in particulari non esse infallibiles in docendo, cùm non pauci in varias inciderint hæreses. 2.° *Sicut Deus non deest Ecclesiæ suæ in necessariis, ita non abundat in superfluis* : porrò necessarium quidem est corpus Pastorum infallibilitate donari; eadem verò infallibilitas minimè necessaria est in quolibet particulari Episcopo, ut satis evidens est.

Inst. 3.° Christus verba hæc, *Ecce ego*, dirigebat ad Apostolos et eorum successores in varias mundi partes regionesque dispergendos : atqui hæc circumstantia separationis et distributionis Apostolorum in varias mundi partes clarè indicat Christum promissionem assistentiæ suæ ad omnes et singulos direxisse Pastores.

Resp. Nego min. Ratio est quòd Pastores Ecclesiæ, etsi diversis sedibus affixi, simul tamen et unanimi voto edocere possint, sive cùm in Conciliis congregantur, sive etiam cùm per orbem dispersi, judicio Papæ dogmatico consensum præbent; ergo hæc circumstantia separationis Apostolorum non clarè indicat ad omnes et singulos Pastores assistentiæ suæ direxisse promissionem.

Inst. 4.° Si rex duodecim præfectis totidem provinciarum diceret : Euntes judicate, et vestra

habeo rata judicia, certè hæc regis promissio ad omnes et singulos præfectos dirigeretur; ergo à pari, etc.

Resp. Nego parit. Quia juxta regni usum, præfecturæ sunt totidem munia alia ab aliis separata et discreta, ita ut præfecti generalia non habeant inter se comitia, nec communibus votis agere soleant; aliundè non eædem in omnibus provinciis quandoquè vigent constitutiones; at è contrà in Ecclesiâ una omnium debet esse fides; deindè *episcopatus unus est,* ut loquitur S. Cyprianus. Itaque, ut esset paritas, Ecclesia comparanda foret Curiæ supremæ, et verba Christi ad Ecclesiæ Pastores, cum iis quibus utitur Rex in erectione curiarum; sicut enim completa judicandi potestas singulis magistratibus non convenit, sed corpori tantùm, adeò ut judicia secundùm pluralitatem suffragiorum definiantur, ita Christus promisit infallibilitatem in docendo, non singulis Pastoribus, sed corpori Pastorum.

Obj. 5.° Non valet probatio desumpta ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ ab omnibus fidelibus exigebat sub pœnâ anathematis ut ipsius definitionibus subscriberent; Ecclesia enim sic se gerere potuit absque eo quòd sibi tribueret infallibilitatem in docendo; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego ant.* Sola auctoritas infallibilis exigere potest ut ipsius testimonio fides omnimoda detur : atqui Ecclesia antiqua ab omnibus exigebat fidelibus ut suis absque ullo dubio crederent definitionibus; ergo, etc.

Resp. 2.° Testimonio fallibili assensus firmus non dari potest, certitudo enim judicii in certitudine ipsius motivi fundatur, adeò ut habenda sit tanquam effectus qui motivum pro causâ ha-

beat : atqui effectus non potest esse major suâ causâ ; ergo, etc.

Inst. 1.° Ministri Calvinistæ non dicunt se esse infallibiles in docendo, ut ipsi fatentur : atqui exigunt sub pœnâ anathematis ut omnes subscribant definitionibus Synodi nationalis, ut constat ex cap. 5 eorum disciplinæ, ubi exortus de doctrinâ et sacramentorum administratione dissensus statuitur deferendus 1.° ad Consistorium, 2.° ad Colloquium, 3.° ad Synodum provincialem, 4.° ad Synodum nationalem; cujus definitioni qui subscribere noluerint, ex Ecclesiâ jubentur excludi; ergo, etc.

1.° *Resp.* cum Theologis Catholicis Calvinistas per hujusmodi decretum suis circa fallibilitatem Pastorum Ecclesiæ contradicere principiis.

2.° *Dist. min.* Calvinistæ exigunt sub pœnâ anathematis, ut omnes subscribant, non propter Synodi nationalis auctoritatem, sed propter examen privatum ipsius definitionis ab unoquoque fideli faciendum, *conc.;* propter auctoritatem illius Synodi nationalis, *nego.* Porrò, non propter auctoritatem infallibilem Synodi nationalis, sed propter examen definitionis ipsius, obsequium præstant Protestantes; sed manifestum est Ecclesiam antiquam non sic se gessisse erga fideles; exigebat enim assensum suis definitionibus absque ullo examine, et præcisè propter auctoritatem suam.

Inst. 2.° Ut quis credat propter privatum examen, necesse non est ut sit infallibilis in examinando; ergo à pari ut quis credat Ecclesiæ definienti, necesse non est ut Ecclesia sit infallibilis in definiendo.

Resp. Nego consequent. et paritatem. Ratio disparitatis est quòd in priori casu cùm quis credit

propter examen privatum, certò scire potest, propriam scilicet interrogando conscientiam, an veritatem assecutus fuerit vel non, etsi potuerit errare; at è contrariò ubi quis credit propter auctoritatem alicujus, cùm non videat rationes quibus ad definiendum movetur, necessum est ipsum certò scire posse, eum cujus auctoritate nititur in credendo, à veritate deficere non posse.

Obj. 6.° Infallibilitas Ecclesiæ probatur *circulo vitioso;* etenim Catholici ex unâ parte contendunt Scripturas non privato examine esse interpretandas, sed recurrendum ad auctoritatem Ecclesiæ: ex alterâ autem parte, infallibilem auctoritatem Ecclesiæ per Scripturas stabilire conantur; ergo idem per idem probant.

Resp. 1.° Etiamsi totum concederemus argumentum, nihil detraheretur veritati thesis nostræ. Nam inter probationes infallibilitatis Ecclesiæ, præter Scripturæ testimonia, adduximus tum auctoritatem Traditionis constantis et universalis, quæ Ecclesiæ infallibilitatem tribuit; tum praxim antiquæ Ecclesiæ, quam veram et integram fuisse in fide concedunt ipsimet Protestantes. Insuper argumento theologico probavimus nullum aliud esse medium veritates revelatas ab humanis opinionibus secernendi, præter auctoritatem judicis infallibilis, ac proindè congruum fuisse divinæ sapientiæ medium instituere conservationi sinceræ fidei necessarium. Hæc sunt totidem invicta argumenta, quibus sufficienter, ut confidimus, propositionis nostræ veritas adstruitur. Si quid ergo roboris insit objectioni propositæ, ad summum conficiet Scripturæ testimonium in præsenti controversiâ minùs rectè à nobis produci, inconcussâ nihilominùs remanente Ecclesiæ infallibilitate.

Resp.

Resp. 2.° Sed ne hoc quidem probationis genus relinquere cogimur. Valet enim argumentum ex Scripturâ deprompturn, si divinitas seu authenticitas textuum quos hìc afferimus, simulque eorum sensus legitimus, nobis certò innotescere possint, independenter ab Ecclesiæ infallibilitate; tunc enim non erit circulus vitiosus : atqui res ita se habet.

Et 1. quidem authenticitas Scripturæ à nobis cognoscitur, independenter ab Ecclesiæ infallibilitate. Ecclesia, ut sedulò advertendum est, sub duplici respectu potest considerari : vel *naturaliter*, quatenùs est societas visibilis omnium Christo adhærentium, ab Apostolis fundata, à quibus et leges et disciplinam et constitutionem suam accepit; vel *supernaturaliter*, quatenùs est auctoritate divinâ vestita, et inerrantiæ donata privilegio ut sit judex infallibilis controversiarum. Jam verò, ut de authenticitate Scripturæ certi esse possimus, minimè recurrendum est ad judicem infallibilem; sufficit ut Ecclesia sive hæc universalis societas visibilis, nobis libros quosdam exhibeat quos ab Apostolis se tenere testatur; impossibile est enim talem societatem in ejusmodi facto aut fallere aut falli : ita ut, etiamsi infallibilitate supernaturali non gauderet Ecclesia, ipsi tamen circa Scripturæ authenticitatem omnimoda fides esset adhibenda : quemadmodùm societati Mahumetanorum credimus quandò asserit Alcoranum à Prophetâ suo fuisse conscriptum.

2. Sensum pariter prædictorum textuum attingimus, abstractione factâ infallibilitatis Ecclesiæ; primò quia hi textus sunt admodùm clari et attendentibus obvii; non enim contendunt Catholici omnem Scripturam obscuram esse et inter-

pretatione indigere; admittunt textus per se evidentes ut facta historica, etc. : atqui in his accensent textus in quibus infallibilitas Ecclesiæ promittitur. Providentiæ enim illud speciale fuit beneficium, ut dogma fundamentale absque ullâ ambiguitate in Scripturis enuntiaretur. Aliundè in interpretandis textibus tanti momenti, non sine auctoritate quâdam incedit vir catholicus; nam habet universæ societatis christianæ consensum, quæ firmiter omni tempore credidit sub his Scripturæ adductis textibus, infallibilitatem Ecclesiæ contineri : porrò societas christiana, etiam naturaliter spectata, supponi nequit ignorare quo principio inniti debeat in dignoscendâ revelatione, an privato examine, an cujusdam judicis definitione infallibili.

Obj. 7.° Via auctoritatis impervia est rudibus; ergo, etc.

Resp. Nego ant. propter rationes allatas. Et verò, ex consensu omnium Christianorum, Deus instituit aliquod medium fidei obtinendæ rudibus ipsis proportionatum; alioquin Deus vellet finem, imperitorum scilicet fidem, et non assumeret medium huic fini proportionatum, quod ejus sapientiæ repugnat; aliundè duo tantùm fingi possunt obtinendæ fidei media, auctoritas et examen; undè sic argumentamur : ex duobus mediis acquirendæ fidei quorum unum saltem debet esse facile et obvium, illud facile et obvium dici debet quod altero facilius est : atqui auctoritas et examen sunt duo media fidei acquirendæ quorum unum debet esse facile et obvium; deindè via auctoritatis facilior est viâ examinis, ut per se patet; ergo via auctoritatis facilis est et obvia.

Inst. 1.° Ut imperiti viæ auctoritatis insistant,

expendere tenentur divinitatem et sensum naturalem textuum Scripturæ in quibus exprimitur Ecclesiæ infallibilitas, subjectum illius infallibilitatis, objectum ejus, et modus quo exercetur; quæ omnia pertinent ad quæstionem juris; insuper necesse est ut quæstionem facti solvant, expendendo utrùm Ecclesia locuta sit vel non : atqui hæc omnia rudibus sunt impervia; ergo, etc.

Resp. 1.° Ergo nullum existit medium fidei obtinendæ rudibus proportionatum; etenim via examinis est longè difficilior viâ auctoritatis.

Resp. 2.° *Nego maj.* Imperiti certò cognoscere possunt homines in negotio fidei non proprio examine, sed auctoritate Ecclesiæ esse regendos, absque eo quòd expendant textus Scripturæ in quibus auctoritas illa asseritur, illud, inquam, certò cognoscere possunt, 1.° ex praxi Ecclesiæ antiquæ, 2.° ex fide et praxi veræ Ecclesiæ Romanæ actualis, 3.° argumentando ex quibusdam principiis ab omnibus Christianis admissis, hoc modo scilicet : Deus vult salutem omnium hominum, vult, inquam, ipsorum salutem per fidem in verâ Ecclesiâ : atqui sentio me esse incapacem examinis controversiarum fidei; illud idem sentiunt omnes imperiti; ergo via auctoritatis tenenda est.

Resp. 3.° *Nego min.* 1.° Rudes et imperiti possunt expendere divinitatem et sensum naturalem textuum Scripturæ in quibus asseritur Ecclesiæ infallibilitas, quia divinitas illorum textuum admittitur ab omnibus Christianis, et aliundè sensus eorum naturalis clarus est, et eò clarior apparet imperitis, quò magis suam in discutiendis et solvendis fidei controversiis incapacitatem sentiunt. 2.° Rudes et imperiti facilè cognoscere possunt an Ecclesia locuta sit vel non; definitio-

nes enim illius sunt totidem facta publica, omnibus etiam imperitis proportionata.

Inst. 2.° *probando min.* Catholici solent probare adversùs Protestantes examen controversiarum fidei non esse rudium captui obvium, quia etiam doctissimi de illis inter se disputant : atqui pariter doctissimi non conveniunt circa sensum naturalem textuum Scripturæ in quibus continetur Ecclesiæ infallibilitas ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Catholici solent probare examen controversiarum fidei non esse rudibus obvium, quia etiam doctissimi de iis disputant bonâ fide, *conc.;* præcisè quia disputant, abstrahendo à bonâ vel malâ fide, *nego.* Ex eo quòd viri doctissimi circa aliquem articulum disputent et sibi opponantur, inferre non licet quæstionem circa quam dividuntur difficilem esse et rudibus imperviam, ratio est quòd ipsorum pugna non ab obscuritate, sed à præjudiciis et passionibus oriri potest : porrò doctissimi circa multas fidei controversias privato examine discussas divisi sunt, etiam bonâ fide, ut ex pluribus disputationis eorum circumstantiis apparet ; at verò circa sensum naturalem textuum Scripturæ quibus continetur Ecclesiæ infallibilitas, nemo doctus bonâ fide disputare potest.

Obj. 8.° Via auctoritatis recidit in viam examinis; ergo posterior non potest respui quin prior simul rejiciatur ; *prob. ant.* In sententiâ Catholicorum qui viæ auctoritatis insistunt, quilibet privatus tenetur expendere, 1.° utrùm Ecclesia locuta sit, 2.° quinam sit sensus naturalis definitionis ejus; in sententiâ autem Protestantium qui viæ examinis insistunt, privatus quilibet tenetur expendere, 1.° utrùm locutus sit Deus, 2.° qui-

nam sit sensus naturalis locutionis divinæ : atqui prior methodus in posteriorem relabitur, iisdemque premitur difficultatibus; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego ant.* Ad cujus probationem, *nego maj.* In sententiâ Catholicorum, quilibet privatus non tenetur expendere omnes Ecclesiæ definitiones et sensum illarum naturalem investigare; sed sufficit ut cognoscat illas definitiones in quibus continentur veritates fidei quæ credendæ sunt necessitate medii vel præcepti.

Resp. 2.° *Nego min.* Sicut nemo dicere potest methodum juxta quam incolæ alicujus regni, in suis dirimendis litibus, essent judices et existentiæ et sensûs naturalis legum scriptarum, in alteram methodum recidere juxta quam prædictis incolis illud tantùm incumberet onus cognoscendi, utrùm judices sententiam tulerint, et quis sit illius sensus naturalis : ita nimis absonum est dicere methodum Protestantium recidere in methodum Catholicorum.

Inst. Atqui via auctoritatis iisdem premitur difficultatibus. Inter varia argumenta quibus Catholici spiritum privatum refellere solent, istud cum magno apparatu proferunt : illud medium controversias dirimendi procul amandari debet, quo semel admisso, quilibet baptizatus et rationis usu præditus, intra quoddam temporis intervallum, dubius foret circa divinitatem Evangelii, nesciens utrùm esset liber divinus, vel opus merè humanum : atqui admisso spiritu privato tanquam controversiarum fidei judice, quilibet baptizatus et rationem adeptus, intra quoddam temporis intervallum, dubius foret circa divinitatem Evangelii, nesciens utrùm esset liber divinus vel opus merè humanum : cùm enim

divinitas Evangelii non sit aliquid per se notum, homo baptizatus cui Evangelium credendum proponitur velut opus Spiritu Sancto dictante conscriptum, non statim agnoscit per spiritum privatum ipsius divinitatem, sed dubius et anceps hærere debet inter divinitatem et non divinitatem Evangelii, eo temporis spatio quod requiritur ut vim probationum circa divinitatem Evangelii percipiat; ergo, etc. : porrò simile argumentum intorqueri potest contra Catholicos pro infallibilitate Ecclesiæ pugnantes. Sic enim argumentari potest Calvinista vel Lutheranus : illa sententia non est admittenda, quâ semel admissâ, dicendum foret quemlibet baptizatum et ratione suâ utentem, aliquo temporis intervallo suspensum et dubium esse circa fundamentalia fidei nostræ capita : atqui positâ sententiâ Catholicorum, dicendum foret quemlibet baptizatum et ratione suâ utentem, aliquo temporis intervallo suspensum et dubium esse circa fundamentalia fidei nostræ capita; namque si Ecclesia sit supremus fidei nostræ judex, ab illâ quilibet privatus accipere debet primaria fidei nostræ capita : non potest autem ab Ecclesiâ ejusmodi articulorum fidem accipere, quin priùs certò cognoscat illam esse veram Ecclesiam et in doctrinâ infallibilem; jam verò ut cognoscat et veritatem et infallibilitatem Ecclesiæ, præire debet aliquod examen; veritas enim et infallibilitas Ecclesiæ non sunt aliquid per se notum : porrò omni tempore quo examinat, suspensus et dubius manet circa præcipua fidei capita; ergo, etc.

Resp. Nego min. Namque inter baptizatos, alii nati sunt in hæresi, alii verò in Ecclesiâ; isti autem vel ab infantiâ suâ veram et infallibi-

lem Ecclesiam edocti sunt vel non. Quoad illos qui nati sunt in hæresi, ordinariè loquendo, multùm temporis requiritur, ut ad professionem veræ fidei in verâ Ecclesiâ perveniant; difficilè enim præjudicium educationis superatur : verùm in istis fidei tarditas non difficultati cognoscendi Ecclesiæ infallibilitatem tribuenda est, sed perversæ eorum educationi. Quoad baptizatos in verâ Ecclesiâ qui tamen ipsius infallibilitatem, parentum et Parochorum incuriâ, ab infantiâ non sunt edocti, dico aliquod temporis intervallum ipsis necessarium esse ut veram credant Ecclesiam, et fidem adhibeant ipsius definitionibus; ratio est quòd veritas et infallibilitas Ecclesiæ, ut notatum est, non sunt aliquid per se notum, sed ad ejusmodi cognitionem acquirendam breve tempus requiritur et sufficit, quia erga veram Ecclesiam nullis laborant præjudiciis: illorum autem magìs diuturna suspensio circa veræ fidei professionem soli parentum vel Parochorum incuriæ tribuenda est. Quantùm ad baptizatos qui ab infantiâ suâ veram didicerunt Ecclesiam ejusque infallibilitatem, dico eos nullo temporis intervallo circa veræ fidei professionem suspensos manere posse : ratio est quòd motiva credibilitatis in gratiam veræ Ecclesiæ ipsiusque infallibilitatis militantia, quæ quidem motiva ipsis ab infantiâ proposita sunt, suam vim exerant eâ proportione quâ ipsorum evolvitur ratio; ita ut cùm completum rationis usum adepti sunt, ipsorum vim statìm sentiant; sicut contingit erga Dei existentiam, quæ etsi probatione et discursu aliquo indigeat, à primo tamen rationis usu cognoscitur. Enim verò sicut vox naturæ, licet auribus nostris personans, à nobis per quod-

dam tempus non auditur, quia ratio nostra non sat evoluta est; ita vox Ecclesiæ quæ nobis suas proprietates intonat, à nobis non percipitur, nisi quandò facultates sortitæ sunt illum evolutionis gradum, quem metitur scientia divina; at verò cùm illum adepti sumus, absque ullâ dubitationis morâ proprietates Ecclesiæ suscipimus: eâdem ferè ratione quâ homo qui alterius vocem audit, non eam audit nisi dùm ad justam processit distantiam; at illicò eam unico tractu accipit; ergo via auctoritatis cui insistunt Catholici non exigit ut homo baptizatus suspensus maneat circa veræ fidei professionem; ergo sententia Catholicorum non subjacet eidem incommodo.

Obj. 9.° Infallibilitas quam Ecclesiæ tribuimus inutilis est, cùm enim singuli fideles Ecclesiam per se ipsos et immediatè loquentem audire non possint, proprios interrogare Pastores et Parochos, licet fallibiles, eosque sequi tenentur.

Resp. Nego consequent. Licèt à Parochis et Catechistis fallibilibus edoceantur fideles, non ideò inutilis est infallibilitas Ecclesiæ: ratio est quia, mediante Parochorum, parentum, et cæterorum inter quos degunt documento, certò cognoscere possunt, 1.° ipsos regendos esse auctoritate majori; 2.° auctoritate donari Ecclesiam Romanam; 3.° quænam sint præcipuæ definitiones illius auctoritatis. Primum evidens est; non solùm enim instructio Pastorum, sed sensus propriæ infirmitatis ipsos efficaciter convincere debet, ut ait S. Aug., constitutam esse aliquam auctoritatem quâ veluti firmo gradu innitentes, tollantur ad Deum: *L'homme ignorant*, ait D. *de Fénélon, n'a besoin ni de livres ni de raisonnement pour trouver la vraie Eglise. Les yeux fermés,*

il sait avec certitude que toutes celles qui veulent le faire juge sont fausses, et qu'il n'y a que celle qui lui dit de croire humblement qui puisse être la véritable : au lieu de livres et de raisonnemens, il n'a besoin que de son impuissance : il ne lui faut que son ignorance bien sensée pour décider. Secundum constat pariter ; characteres enim Ecclesiæ Romanæ majorem conciliant auctoritatem ; scilicet unitas, splendor et multiplicitas miraculorum, major diffusio ipsius, absque ullà immutatione sensibili antiquitas, sunt totidem facta splendida et maximi momenti circa quæ nec fallere nec falli potest romana societas ; jam verò hos characteres sibi arrogare Romanam Ecclesiam certò testari possunt et Parochi et parentes, quia pariter impossibile est ut circa rem tam splendidam et adeò maximi momenti decipiantur aut decipiant. Et verò imperitus viris suæ parochiæ non immeritò credit dùm testantur facta quæ spectant statum politicæ societatis, scilicet Carolum X regnare, Comitia generalia haberi, etc. ; ergo à pari non immeritò credit Catholicis quibuscum vivit, dùm dicunt Ecclesiæ suæ hunc vel illum esse visibilem statum. Quoad tertium, illius auctoritatis præcipuas definitiones cognoscere possunt, quia saltem ea quæ fide explicità credenda sunt ab omnibus adeò juris publici sunt, ut nemo attentus circa illa decipi possit aut decipere velit : hinc necessarium quidem fuit ut per suos ministros verbi divini legitimum exhiberet sensum ; in hoc enim, propter materiæ obscuritatem, duce ac magistro infallibili nobis opus est ; sed minimè requiritur ut quilibet Pastor Ecclesiæ infallibilitatis privilegio donetur ad proponendas suis ovibus definitiones

Ecclesiæ, quia independenter ab eo, in re ob publicitatem suam tam clarâ, tam obviâ, et veritatem certò discere aliisque tutò communicare potest. Res illustratur exemplo : certè necessarium est in republicâ benè ordinatâ ut sint judices legum scriptarum interpretes, quamvis earum interpretationes immediatè non accipiant privati; ita inutilis dici nequit Ecclesiæ promissa infallibilitas, licèt privati Ecclesiam per semetipsos immediatè non audiant, sed decreta ipsius et doctrinam à propriis Pastoribus et Parochis accipiant. Cæterùm confer quæ diximus de Objecto formali et Resolutione fidei in *Tractatu de Fide.*

Inst. 1.° Imperiti apud Græcos, qui Ecclesiæ infallibilitatem admittunt, ideò decipiuntur quia catechistarum suorum auctoritate innitentes suam sectam credunt infallibilem ; ergo à pari qui in Romanâ Ecclesiâ ministrorum documentis confidunt, possunt errare.

Resp. Nego consequent. et paritatem. Græcorum et Catholicorum ministri eadem quidem documenta tironibus suis ingerere incipiunt, scilicet, ipsos auctoritate esse regendos, quod propriæ infirmitatis conscientia manifestat : cùm autem auctoritatem suæ Ecclesiæ ostendunt esse legitimam non eâdem procedunt ratione; in gratiam enim suæ sectæ non veras sed spurias proponunt demonstrationes : non enim sicut Catholici palàm asseverare audent suam Ecclesiam esse cæteris societatibus diffusam magis, ipsam non olìm à magis numerosâ avulsam esse Ecclesiâ, ipsam splendidissimis miraculis in omni ætate fuisse illustratam. Præter assignata credibilitatis motiva, dubitandum non est quin in verâ Romanâ Ecclesiâ, ubi solùm viget vera pietas, vera

charitas, verus cultus, ubi solùm effunditur Spiritus Sanctus, longè plura præbeantur veritatis specimina, quæ sive discursu, sive sensu percipiantur; ut enim ait Bossuetius : *De même que Dieu a mis sa marque dans le monde qui est l'ouvrage de ses mains, et que par cette marque divine il imprime avant tous les doutes le sentiment de la divinité dans les âmes; ainsi il a mis sa marque dans son Eglise, ouvrage le plus parfait de sa sagesse : à cette marque, le Saint-Esprit fait reconnaître la vraie Eglise aux enfans de Dieu.* Deindè in Romanâ Ecclesiâ Spiritûs Sancti obsequium intellectum roborat, motiva collustrat ut faciliùs veritatem ipsorum assequi possint imperiti : imò auctoritas parentum cui tantoperè confidunt, animos ipsorum præparat et inclinat ad vim veritatis percipiendam : dùm è contra apud Græcos neque unctio Spiritûs intùs edocet, parentumque institutio nedùm ipsis prosit ad veritatem agnoscendam; imò magis in errore obfirmat; ergo, etc.

Inst. Ex responsione sequitur Deum præcipere errorem invincibilem; Deus enim præcipit imperitis ut auctoritatem amplectantur majorem; atqui longo temporis intervallo, bonâ fide et invincibiliter credunt Ecclesiæ suæ auctoritatem esse majorem; ergo toto illo intervallo Deus præcipit errorem, etc.

Resp. Nego ant. In hypothesi factâ Deus errorem non præcipit, quamvis homo laborans errore invincibili circa suam sectam, falsis ipsius definitionibus, ne conscientiæ suæ desit, adhærere teneatur. Res ita est modò necessitas illa sive obligatio suam ducat originem ex conscientiâ invincibiliter erroneâ quæ Deo tanquam causæ

tribui non possit: atqui necessitas illa suam ducit originem ex conscientiâ invincibiliter erroneâ quæ Deo tanquam causæ tribui non potest; hæc enim conscientia invincibiliter erronea provenit ex perversâ instructione parentum et Pastorum, vel ex aliis hujusmodi circumstantiis quas Deus non tenetur avertere; suam enim erga homines providentiam sufficienter manifestat, instituendo medium ex se omnibus proportionatum ad veram Ecclesiam à falsis secernendam.

Obj. 10.° Si Ecclesia sit audienda Christianis, pari jure Synagoga erat audienda Judæis; porrò si à Judæis audiri debuit Synagoga, ipsi Christianismum à Synagogâ reprobatum rejicere debuerunt: impium consequens; ergo et antedecens.

Resp. 1. *Nego maj. et paritatem,* quia Synagoga non erat infallibilis sicut Ecclesia quæ in melioribus promissionibus fundata est. In lege quidem mosaicâ ad sacerdotem pertinebat ut controversias circa legem dirimeret, ipsiusque judicio sub poenâ mortis obtemperandum erat; sed privilegium hujusmodi infallibilitatem non exigit, quia ratiocinandum non est de praxi sicut de fide: in agendis major probabilitas sufficit; in credendis autem certitudo summa requiritur.

Resp. 2. *Dist. maj.* Audienda erat Synagoga quandò non aderant Prophetæ, *conc.;* secùs, *nego.* Itaque sunt quidam Theologi qui censent Synagogam errare non potuisse quandò deerant Prophetæ; alioquin, inquiunt, tunc nulla fuisset auctoritas viva et infallibilis: at verò ubi aderant Prophetæ privilegium infallibilitatis à Synagogâ discedebat, eo quòd tunc minimè necessarium fuisset.

Resp. 3.° *Dist. aliter maj.* Audienda Synagoga usque ad Messiam, *conc.*; post Messiæ adventum, *nego.* Itaque cùm Synagoga, ex Prophetis, Messiam rejicere debuit, post ipsius adventum à suâ decidit infallibilitate.

In quâlibet ex illis tribus responsionibus falsum est dicere Judæos audire debuisse Synagogam quandò Christum reprobabat. 1.° Quidem si Synagoga non erat infallibilis, ipsam audire non potuerunt Judæi quandò rejiciebat Christum; namque Christus multa splendida patrabat miracula in confirmationem missionis suæ: atqui in conflictu auctoritatis fallibilis et auctoritatis miraculis comprobatæ, secundæ adhærendum est. 2.° Si Synagoga fuit tantùm infallibilis cùm deerant Prophetæ, non erat audienda contra Christum qui miraculis suis Messiam se esse à Prophetis prænuntiatum comprobabat. 3.° Si Synagoga infallibilitatis privilegio frui non debuit nisi usque ad Messiam, non erat audienda quandò ipsum condemnabat; namque si Synagoga fallibilis erat post Messiæ adventum, eo ipso quo Christus se esse Messiam dicebat, incertum erat utrùm Synagoga esset infallibilis: atqui in illo dubio Christus audiendus erat, ut potè quòd miracula in confirmationem missionis suæ eliciebat, quibus nulla splendidiora aut æqualia opponebat Synagoga; ergo, etc.

SCHOLIUM.

In Ecclesiâ agnoscitur infallibilitas duplex, *activa* et *passiva*. Infallibilitas *activa* est privilegium non errandi in docendo, infallibilitas *passiva* est inerrantia in credendo. Prior, ex mox probatis, convenit Ecclesiæ Pastoribus,

posterior autem promissa est populo fideli, non cuilibet privato, ut experientiâ constat, sed corpori fidelium; ita ut sicut repugnat, vi promissionum Christi, corpus Pastorum errorem propinare fidelibus, ita repugnat fidelium multitudinem non assentiri rebus à Pastorum corpore definitis; non enim in vanum Christus dixit portas inferi adversùs Ecclesiam non prævalituras esse. Doctrinam catholicam circa infallibilem controversiarum fidei judicem calumniis onerare amant quidam Protestantes: 1.° juxta ipsos, Catholici constituunt Ecclesiam judicem verbi divini, quod dictu horrendum est; entis enim summè veracis eloquia non examinanda, sed fideliter credenda sunt. 2.° Si Ecclesia, inquiunt, sit controversiarum fidei judex, ergo est supra fidem; judex enim est supra eos quos judicat. 3.° In sententiâ Catholicorum, ab Ecclesiâ pendet novos condere fidei articulos ipsosque multiplicare, quod dictu absurdum est. Porrò hæc tria quæ Catholicis nonnunquàm objiciunt Protestantes, aut in eis crassam ignorantiam, aut inauditam malitiam supponunt. Nam 1.° Catholici non docent Ecclesiam esse judicem veritatis aut falsitatis verbi divini, sed volunt tantùm penes Ecclesiæ Pastores esse ut ex auctoritate pronuntient circa canonicitatem et legitimum sensum verbi divini; et sicut auctoritati Principis non derogant Curiæ cùm in dirimendis litibus judicant de authenticitate et sensu legis, ita Ecclesia non veritati divinæ præjudicat cùm pronuntiat circa authenticitatem et sensum Scripturæ. 2.° Ex eo quòd Ecclesia sit judex controversiarum fidei, sequitur ipsam esse supra fideles non autem supra fidem ipsorum, sicut judex

secularis est quidem supra litigantes, sed non supra legem; ratio est quia Ecclesia tenetur juxta fidei regulam definire, sicut judex secularis juxta legem Principis debet judicare. 3.° Ex dictis in *Tractatu de Fide*, cap. 2, art. 2, prop. 2, Ecclesia novas condendo definitiones, novos fidei non condit articulos, sed eos qui propter obscuritatem suam implicitè tantùm credebantur, per suam definitionem explicitè credendos proponit fidelibus. Præterea quidquid Protestantes Catholicis, pari, imò potiori jure Protestantibus objicere possunt Catholici; etenim si apud nos corpus Pastorum, assistente Spiritu Sancto, tanquam judex controversiarum fidei infallibilis habetur, apud ipsos quilibet privatus, etsi fallibilis, idem munus exsequitur.

CAPUT II.

De subjecto Infallibilitatis Ecclesiæ.

Subjectum infallibilitatis Ecclesiæ dicuntur ii quibus Christus concessit facultatem docendi et privilegium docendi infallibiliter. In Ecclesiâ autem cernere est laicos et clericos : inter clericos primum locum obtinent Episcopi, deindè Presbyteri, postmodùm Diaconi cæterique inferiores ministri; laici autem vel potestatem exercent civilem, quales sunt Principes et Magistratus, vel prædictæ subjacent potestati.

Distinguendum est inter facultatem docendi *ex charitate*, ab omnibus christianam doctrinam edoctis erga ignaros privatim exercendam, et potestatem docendi *ex auctoritate*, qualis exercetur

ab Episcopis, Parochis, aliisque Presbyteris ad hoc deputatis; potestas autem docendi alia *primaria,* quæ circa novas fidei condendas definitiones occupatur; alia est *secundaria,* quæ in proponendis Ecclesiæ definitionibus tantùm versatur.

Certum est 1.° facultatem privatìm docendi *ex charitate;* omnibus, etiam laicis, doctrinam christianam sufficienter edoctis competere; instructio enim ignarorum est officium charitatis omnibus, modò idoneis, permissum et quandoquè ex necessitate præcepti exercendum.

Certum est 2.° Parochis aliisque verbi divini ministris *secundariam* inesse potestatem docendi in Ecclesiâ, et quidem *ex auctoritate,* proponendo scilicet populis ipsorum curæ commissis definitiones fidei à corpore episcopali conditas.

Quibus præsuppositis, duo circa infallibilitatis subjectum, veniunt inquirenda: 1.° utrùm aliis quàm Episcopis concessa fuerit potestas docendi primaria, sive utrùm soli Episcopi sint infallibiles controversiarum fidei judices; 2.° quâ ratione infallibilitas ipsis competat, an singulis, an unanimitati absolutæ Episcoporum, an unanimitati tantùm morali.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm soli Episcopi sint infallibiles controversiarum fidei judices.

PROPOSITIO.

Soli Episcopi constituti sunt à Christo infallibiles controversiarum fidei judices.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 28, ℣ 16 et 18: *Undecim discipuli,* id est, Apostoli, *abierunt in*

Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus...; et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ; euntes ergo docete omnes gentes, etc.; undè sic: illi soli constituti sunt infallibiles controversiarum fidei judices, ad quos solos Christus direxit verba quibus continetur privilegium docendi infallibiliter: atqui Christus ad solos Episcopos direxit verba quibus continetur privilegium docendi infallibiliter, namque, juxta textum mox appellatum, Christus direxit verba quibus continetur privilegium docendi infallibiliter ad solos Apostolos et eorum successores: atqui soli Episcopi sunt Apostolorum successores, ut, sive ex consensione omnium Patrum, et omnium sectarum christianarum, sive etiam ex Conc. Tridentino comprobatur; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Traditione.* In Conc. Chalcedonensi, generali IV, actione 1.ª, Episcopi Egyptii sic loquuntur: *Superfluos foràs mittite, Synodus Episcoporum est, non Clericorum.* Patres Conc. Florentini, generalis XVIII, actione 10.ª: *Nusquàm sacri canones sanciunt ut ad Synodos Principes seculares cogantur, sed soli Episcopi;* ergo juxta illos soli Episcopi sunt fidei controversiarum judices.

S. Auxentius Abbas à Patribus Concilii Chalcedonensis ut ad Synodum veniret cùm cogeretur, sic locutus est: *Non est monachorum docere, sed potiùs doceri; hoc verò his solis convenit qui sunt honorati pontificatu;* apud Baronium, ad annum 451. Facundus Hermianensis, lib. 12 pro Defensione trium Capitulorum, cap. 3: *Sciens ille modestissimus princeps* (Marcianus) *Oziæ regi non impunè cessisse quia sacrificare præ-*

sumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis sacerdoti, multò magìs impunè sibi cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide christianâ ritè fuerant constituta discutere, quod nullatenùs licet, vel novos constituere canones, quod nonnisi multis et in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus, id est, Episcopis, *licet*. S. Bernardus, Epist. 189 ad Innoc. II: *Dicebam*, inquit, *sufficere scripta ejus* (Abælardi) *ad accusandum eum; nec meâ referre, sed Episcoporum quorum esset ministerii de dogmatibus judicare*; ergo S. Bernardus, etsi Presbyter et Abbas, censebat ipsius non esse, sed Episcoporum, de dogmatibus judicare.

Prob. 3.° *ex constanti praxi Ecclesiæ*. Etenim 1.° cùm indicta sunt Concilia, Episcopi non autem Presbyteri, aut saltem infrequenter et pauci numero convocati sunt. Hinc ex Conciliis quæ ab exordio Ecclesiæ ad nostra usque tempora Pater Labbeus, Conciliorum celebris editor, collegit; viginti circiter tantùm ab eo proferuntur in quorum actis de Prebyteris assistentibus facta fuerit mentio; hinc ista Thomassini animadversio in suâ disciplinâ Ecclesiasticâ, tom. 2, part. 3, lib. 2, cap. 37, n.° 11: *Toutes les autorités*, inquit, *qui ont été rapportées n'ont fait assister que les Evêques aux Conciles, soit universels, soit provinciaux*. 2.° In Conciliis quibus adfuêre Presbyteri, non ut judices sederunt, cùm ex tantâ Conciliorum multitudine jam memoratâ duodecim tantùm appellentur quibus subscripserint Presbyteri. *Presbyteros*, inquit Binius, alter Conciliorum editor celebris, in suis ad Conc. Eliberitanum notis, *Presbyteros cum plebe interesse Concilio solitos, non ad judicandum, suprà*

diximus. 3.° In Conciliis quibus subscripserunt, sæpè modo diverso ab Episcopis, sæpiùs more Diaconorum et cæterorum Clericorum subscripserunt. 4.° A quibusdam Conciliis generalibus, putà à Lugdunensi II, exclusi sunt Presbyteri. 5.° Nullibi tamen legitur Presbyteros reclamasse contra Episcopos, quasi ab ipsis privarentur jure sedendi et judicandi in Conciliis. Contra Hæreticos hæc, ni fallor, satis superque probant Presbyteros jure divino non esse necessarios fidei controversiarum judices, sed solos Episcopos.

Prob. 4.° auctoritate recentium summorum Pontificum ; Episcoporum, Theologorum et Canonistarum.

Clemens VII apud *Fra-Paolo,* lib. 1 Historiæ suæ Concilii Tridentini ann. 1531, translatæ à D. *Amelot de la Houssaie : Il est manifeste que, selon les canons, le droit d'opiner dans les Conciles n'appartient qu'aux Evêques, et seulement par coutume aux Abbés, et par concession du Pape à quelques autres.* Paulus IV apud eumdem, p. 381 : *Le Concile général se doit tenir seulement par les Evêques, quoique l'on y puisse admettre d'autres gens pour le Conseil.* Aliorum anteriorumque summorum Pontificum pronuntiata fusè referuntur apud D. *L'advocat,* Tractatu de Conciliis, et apud D. *Corgne,* lib. cui titulus, *Mémoires dogmatiques.*

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700 : *Maurice le Tellier :* Rhemensis Archiepiscopus, Comitiorum præses, dixit : *Qu'il croyait que toute la compagnie conviendrait que Messieurs les Députés du second ordre n'ont par eux-mêmes aucun pouvoir de décider sur les matières de doctrine et de morale... L'assemblée*

ayant entendu la proposition, a résolu que lesdits sieurs Députés du second ordre n'auront point, dans la présente assemblée, voix délibérative, mais seulement consultative.

Anno 1717, viginti octo Episcopi Gallicani sic loquuntur in 1.° libello oblato ab ipsis Duci Aurelianensium : *L'Eglise ne juge et ne décide que dans les Evêques;* et in 2.° libello : *Il n'est point permis de douter que les Evêques ne soient les seuls juges en matière de foi.*

Illustrissimus Bossuetius in celeberrimâ quam habuit Oratione ad Clerum Gallicanum de Unitate Ecclesiæ : *C'est dans le saint Siége principalement, et le corps épiscopal uni à son chef, qu'il faut chercher et trouver le dépôt sacré de la doctrine ecclésiastique, confiée aux Evêques par les Apôtres.* Vide etiam lib. 2 Variationum, cap. 15.

Illustrissimus *de Marca,* lib. 2 Concordiæ, cap. 10, n.° 8 : *Solis Episcopis datum est ut de jure cognoscant, scilicet an opinio controversa inter hæreses recensenda sit.*

Abbas *de Fleury*, lib. cui titulus, *Institutions au droit ecclésiastique,* 1 part. cap. 13 : *L'Evêque est le seul juge ordinaire et naturel de tout ce qui regarde la Religion, et c'est à lui à décider les questions de foi ou de morale, en interprétant la sainte Ecriture, et en rapportant fidèlement la tradition des saints Pères.*

Iis omnibus addenda est auctoritas eorum qui in scientiâ Conciliorum maximè versati sunt : Binii, suis in Concilium Apost. et Concilium Eliberitanum notis; Sirmundi in Conc. Arelatense; Cardinalis *d'Aguirre*, tom. 1 Conciliorum Hispaniæ, dissertatione 15.ª; Tillemontii, tom. 15

Hist. eccles., art. 52 : *Barsumas*, inquit, *fut le premier moine à qui on donna rang de juge dans un Concile général, où ce droit n'appartient qu'aux seuls Evêques.* Quibus etiam adjungere possumus auctores adversariis minimè suspectos, Baium in Epistolà ad Sablonium, Sancyranum adversùs Spongium, Quesnellum, Arnaldum, Catechismum Monspeliensem D. *de Colbert*, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.° Act. c. 15, ℣. 23, 28 : *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ...*, *visum est Spiritui Sancto et nobis*, etc. Ex quibus sequitur in Concilio Jerosolymitano, omnium sequentium formà et exemplari, seniores, id est, Presbyteros, consultos fuisse circa quæstionem legalium et de eà judicium cum Apostolis tulisse ; ergo non soli Episcopi constituti sunt à Christo infallibiles judices controversiarum.

Resp. 1.° *Nego consequent.* Voces, *Presbyter* et *Senior*, per se æquivocæ sunt et tam Episcopis quàm simplicibus Presbyteris conveniunt juxta veterem loquendi modum ; porrò sensus communis dictitat voces ambiguas ex aliis clarioribus esse determinandas : atqui clarè demonstravimus ex Script., SS. PP., et praxi Ecclesiæ, solos Episcopos esse controversiarum fidei judices ; ergo seniores hìc appellati, non sunt Presbyteri simplices sed Episcopi. Præterea si per *seniores*, in prædicto textu, intelligantur simplices Presbyteri, sequitur in Concilio Jerosolymitano Episcopos non adfuisse, cùm in Actibus Apostolorum sola fiat mentio Apostolorum et seniorum : atqui verisimile non est Epis-

copos abfuisse à Concilio Jerosolymitano, cùm in eo simplices Presbyteri sederent. Deindè per seniores, in prædicto textu, designantur Episcopi non autem simplices Presbyteri, ex hypothesi quòd ineunte Ecclesiâ, ubi nondùm accreverat numerus fidelium, soli, generaliter loquendo, ordinarentur Episcopi et Diaconi: atqui res ita fuisse videtur ex S. Clemente, S. Petri successore, Epist. ad Corinth., n.° 42; ex S. Epiphan., Hæres. 74; quos quidem Patres secuti sunt Estius, in c. 3 Epist. I ad Tim.; Nicolius, lib. cui titulus, *Les prétendus Réformés convaincus de schisme*, 3 part., cap. 16.

Resp. 2.° Nihil est in textu Actuum Apost. ex quo necessariò concludatur seniores seu Presbyteros judicium tulisse circa quæstionem legalium, ex eo quòd enim cum Apostolis *convenerint videre de verbo hoc*, non magis sequitur ipsos fuisse judices quàm simplices consultores; nam ex his verbis *placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesiâ eligere viros ex eis*, non potiori jure infertur seniores judicium tulisse cum Apostolis, quàm simplices fideles qui designantur per hæc verba, *cum omni Ecclesiâ*. Si verò decretum Apostolorum et seniorum nomine inscribatur: *Apostoli et seniores fratres, iis qui sunt Antiochiæ*, non sequitur seniores eodem modo ad illius decreti formationem concurrisse ac Apostolos; inscribitur enim nomine Apostolorum à quorum auctoritate profectum est, et nomine seniorum seu Presbyterorum à quibus humiliter susceptum est. Et verò juxta textum græcum prout nunc legitur, et etiam tempore S. Chrysostomi legebatur, decretum non modò Apostolorum et seniorum, sed etiam

fratrum, id est, fidelium nomen præfert, hoc modo : *Apostoli, seniores et fratres, iis qui sunt Antiochiæ :* porrò sicut ex eo quòd decretum referat nomen *fratrum*, id est, fidelium, non sequitur ipsos ad illius formationem ex auctoritate concurrisse; ita pariter nomen seniorum quo idem decretum inscribitur, minimè probat ab ipsis tanquam à judicibus illud fuisse editum.

Cæterùm, quidquid obscurum esse potest in objecto textu, dilucidatur ex praxi Ecclesiæ quæ Presbyteros nunquàm ut necessarios fidei judices admisit; præter jam dicta, referre sufficiat quæ in Concilio Tridentino gesta sunt, juxta Cardinalem Pallavicinum, Historiæ suæ lib. 6, cap. 2: Patres hujus Concilii primùm tribus Abbatibus Cassinensibus jus suffragii denegârunt, quam quidem gratiam pro his ut obtineret Servinus, Papæ legatus, Concilium exoravit; cùm autem Episcopi à judiciis circa doctrinam profectis Abbates constanter repellerent, Cardinalis Montanus proposuit obtinuitque ut à plerisque Patrum comprobaretur trium Cassinensium Abbatum concordem sententiam pro uno duntaxat habendam suffragio. Ex quibus constat persuasum esse Patribus solos Episcopos jure divino controversiarum fidei esse judices necessarios.

Obj. 2.° In quibusdam Conciliis subscripserunt Presbyteri, ipsorumque subscriptio vim et auctoritatem definitionibus tribuebat, ut probatur ex eo quòd in Concilio Romano, anno 465, præside Hilario Papâ, ab universis Presbyteris et Episcopis acclamatum sit : *Hæc decreta confirmamus ;* deindè Presbyteri in Conciliis sicut Episcopi sedebant, cum starent Diaconi; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. 1.° Ex eo quòd in quibusdam Conciliis subscripserint Presbyteri, inferre non licet ipsos esse controversiarum fidei judices; alioquin idem dicendum foret de Diaconis, Subdiaconis, aliisque Clericis; quinimò auctoritas eadem tribuenda foret laicis, cùm ii omnes quandoquè definitionibus fidei subscripserint, ut constat ex actis Conc. Tolet. III, VIII, IX, XV et XVII, et Arausicani II. Itaque subscriptio de se est æquivoca, et tam significare potest consensum ex obedientiâ præstitum, quàm assensum ex auctoritate datum: quoad Conc. Romanum, cujus decreta confirmârunt Presbyteri, dico 1.° in illâ Synodo non de quæstionibus fidei, sed de disciplinâ unicè actum fuisse; 2.° vocem illam, *confirmamus*, æquivocam esse, maximè juxta veterem stylum; modò enim significat consensum à quo robur rei confirmatæ accedit, modò simplicem approbationem et adhæsionem.

2.° Ex eo quòd Presbyteri sederint in Conciliis, minimè sequitur ipsos fuisse judices; in locis enim ubi exercentur judicia, alii sedent propter auctoritatem, id est, quia sunt judices, alii verò honoris gratiâ tantùm, quemadmodùm sedebat olìm Constantinus Imperator in Concilio Nicæno, et etiam nunc sedent in Conciliis Principum catholicorum legati.

Obj. 3.° S. Hieron. in Epist. ad Evagrium: *Quid facit Episcopus, exceptâ ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Undè sic: Episcopi, præter ordinandi facultatem, habent judicandi de controversiis fidei potestatem: atqui ex prædicto textu, Presbyteri, exceptâ ordinatione, omnia possunt quæ Episcopi; ergo, etc.

Resp.

Resp. 1.° *Retorqueo argum.* Episcopi habent facultatem ordinandi et confirmandi : atqui ex citato Patre, Presbyteri facere possunt ea omnia quæ agunt Episcopi, demptâ ordinatione ; ergo Presbyteri confirmare possunt sicut Episcopi : attamen Concilium Trid., Sess. 23.ª, cap. 10, anathemate percutit eos qui dixerint potestatem confirmandi quam habent Episcopi, ipsis esse cum Presbyteris communem.

Resp. 2.° verba S. Hieronymi non ad vivum esse resecanda, quasi de facto nulla omninò facultas Episcopis competat, exceptâ ordinatione, quâ simul non instruantur Presbyteri ; siquidem, ut jam annotavimus, Episcopi habent facultatem confirmandi ipsis cum Presbyteris non communem ; itaque paululùm emolliri debent verba S. Doctoris, ita ut tantùm voluerit significare multa Episcopis et Presbyteris esse communia, propriumque inter utrosque discrimen consistere in potestate ordinandi, quæ Episcoporum propria est. Et verò S. Hieron. contra Vigilantium, hunc Hæresiarcham impugnat, et lib. 10 adversùs Rufinum, Origenis defensores revincit auctoritate summi Pontificis et totius orbis Episcoporum, silendo prorsùs de Presbyteris, quos si existimasset esse unà cum Episcopis, jure divino, controversiarum judices, ipsorum sanè auctoritatem et suffragium Hæreticis opponere non omisisset ; ergo, etc.

Obj. 4.° Juxta praxim Ecclesiæ, Cardinales Abbates et Generales ordinum, quamvis non sint Episcopi, habent jus suffragii in Conciliis ; ergo jus illud ipsis tantùm jure divino competere potest, namque jus suffragii in controversiis fidei ab eo tantùm dari potest à quo dari po-

test infallibilitas : atqui infallibilitas in docendo à solo Deo concedi potest; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. antecedentis. Jus sententiam dicendi in controversiis fidei Cardinalibus non competit nisi ex consuetudine et privilegio; ita Bellarminus post Clementem VII, qui in responsione ad Carolum Imperatorem (apud *Fra-Paolo*, lib. 1 Hist. Conc. Trid.) hæc habet : *Il est manifeste*, inquit, *que selon les canons, le droit d'opiner dans les Conciles n'appartient qu'aux Evêques, et seulement par coutume aux Abbés, et par concession du Pape à quelques autres.* Cæterùm non satìs constare videtur inter Catholicos, in quo præcisè consistat jus illud suffragii Cardinalibus aliisque ab Ecclesiâ concessum. Sunt qui censent privilegium illud nihil importare præter facultatem proponendi suam sententiam in Concilio, cum certâ quâdam solemnitate et comitatu episcopali, absque eo quòd sint, strictè loquendo, judices : pro hâc sententiâ citantur Cardinalis *de Bissy* et auctor Catechismi Monspeliensis : *Le droit de juger de la foi*, inquit prior, *est tellement attaché au caractère des Evêques, qu'il est incommunicable à tout autre.* Sic habet posterior, tom. 2, edit. 1710, pag. 488 : *Quoique plusieurs assistent au Concile de droit ou de coutume, il n'y a que les Evêques qui aient voix décisive, et qui s'y trouvent principalement comme juges.* Alii verò docent Cardinales, Abbates et præpositos ordinum religiosorum Generales, veros ab Ecclesiâ institui judices.

Neque tamen, dùm sic cooptantur inter judices fidei, ullo modo participant infallibilitati soli corpori Episcoporum promissæ; definitio ad quam

efformandam concurrunt, non fit irreformabile judicium quia ipsi subscripserunt, sed quia corpus episcopale ipsi acquiescit, ipsi sigillum suum apponit, ipsamque solemniter fidelibus proponit. Presbyteri judicantes in Concilio haberi debent tanquam causæ instrumentales et minimè necessariæ, quas corpus episcopale, assistente Spiritu Sancto, ad veras definitiones dirigit.

Obj. 5.° auctoritatem trium Conciliorum œcumenicorum, Pisani scilicet, Constantiensis et Basileensis, in quibus simplices Presbyteri vocem decisivam habuerunt.

Resp. quoad 1.um, in eo non de fide actum esse, sed de exstinctione schismatis tantùm; ergo nihil contra nos exindè erui potest. 2.° Multi quidem Presbyteri sententiæ definitivæ à Concilio Pisano latæ subscripserunt, sed ex illâ subscriptione inferre non licet ipsos à concilio habitos fuisse tanquam judices, et quidem jure divino, alioquin idem foret dicendum de legatis Principum qui eidem sententiæ pariter subscripserunt; undè vel illa Presbyterorum subscriptio merum fuit approbationis signum, vel si fuerit sententia confirmatoria, jus illud non à Deo sed ab Ecclesiâ in Concilio congregatâ acceperunt.

Quoad 2.um, *dico* in Concilio Constantiensi fuisse quidem agitatum utrùm Presbyteris, et etiam quibusdam legatis laicis, jus suffragii concederetur in negotio schismatis tunc Ecclesiam vexantis, et reverà hoc jure potitos fuisse, annuente Concilio; verùm in quo hæc Concilii agendi ratio thesi nostræ præjudicare potest?

Quoad 3.um, *Observandum est* ipsum post 25.am Sessionem non ampliùs fuisse œcumenicum: porrò nonnisi 34.â et 35.â ejusdem Conci-

lii Sessione, agitatum est utrùm Presbyteri jure divino essent controversiarum fidei judices; pro sententiâ affirmante fortiter decertavit Cardinalis Arelatensis, cui obstitit Cardinalis Panormitanus; et reverà à Concilio quæstio non est definita, etsi partes judicis egerint simplices Presbyteri, qui tunc ferè soli aderant Concilio.

Obj. 6.° auctoritatem Gersonii, Cardinalis S. Marci, et Cardinalis Arelatensis.

Resp. 1.° Si auctoritate Theologorum quæstio præsens dirimatur, causam certè obtinebimus, nobis enim multitudo suffragatur. In probationibus nonnullos jam appellavimus, et multò plures adhuc exscribere possemus: Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 15: *Catholicorum*, inquit, *sententia est solos Prælatos majores eosque omnes, id est, Episcopos, in Conciliis generalibus et provincialibus, habere jus suffragii decisivi ordinariè; ex privilegio autem et consuetudine etiam Cardinales, Abbates et Generales ordinum, licèt Episcopi non sint; ex Presbyteris autem et aliis clericis minoribus, tantùm vocare aliquos viros doctos qui juvent in disputando, vel aliis ministeriis;* et Hallerium in defensione hierarchiæ ecclesiasticæ, pag. 219: *Ad Conciliorum generalium conventus,... Episcopi necessarii sunt; reliqui, vel ex consuetudine, vel ex concesso privilegio intersunt, non sunt partes essentiales;* et Jueninum, tom. 1, dissertat. 4.ª, quæstione 3.ª: *Catholici è contrà docent solos Episcopos habere in Conciliis, tum generalibus tum provincialibus, jus ferendi judicium decisivum, idque ex institutione divinâ seu vi characteris episcopalis quo insigniti sunt. Addunt idem jus, sed ex privilegio, hoc est,*

ex Ecclesiæ concessione, convenire Cardinalibus, Abbatibus et ordinum Generalibus præpositis. Itaque pauciores qui nobis in contrarium objiciuntur Theologi, aut benignam patiuntur interpretationem, ut Gersonius imprimìs, aut derelinquendi sunt.

SCHOLIUM.

Ex dictis, Presbyteri non sunt jure divino controversiarum fidei judices; addo insuper ipsos non esse necessariò ab Episcopis consulendos, priusquàm de controversiis fidei judicium ferant, illudque probatur 1.° ex eo quòd promissio Christi, *ecce ego vobiscum sum,* facta Apostolis eorumque successoribus Episcopis, non ab istâ conditione pendeat, *si consulueritis Presbyteros;* 2.° ex praxi Ecclesiæ, sæpiùs enim contigit Episcopos in Concilio congregatos de quæstionibus fidei judicasse, inconsulto priùs Presbyterio suo; v. g., pluries contigit Episcopos ex suâ urbe profectos, de aliquâ hæresi damnandâ nequidem cogitantes, adfuisse Conciliis in quibus hæc hæresis profligata est; item ab Episcopis in Concilio congregatis ob damnationem alicujus hæreseos, alias de quibus ante profectum suum non audierant, et de quibus consequenter Presbyteros suos non interrogaverant, datâ occasione, proscriptas fuisse.

COROLLARIUM.

Ergo à fortiori Diaconi, Subdiaconi, et cæteri clerici ac laici, non sunt judices controversiarum fidei.

Et verò illi soli sunt controversiarum fidei judices, quibus Christus dixit: *Euntes docete,*

etc. : atqui hæc verba Christus non ad Diaconos direxit ; ergo, etc.

ARTICULUS II.

Quâ ratione munus et privilegium docendi infallibiliter Episcopis competat.

Certum est 1.° privilegium illud docendi infallibiliter singulis non competere Episcopis, ut experientiâ constat.

Certum est 2.° infallibilitatis privilegium saltem competere omnibus omninò Episcopis collectivè sumptis, id est, unanimitati absolutæ et physicæ Episcoporum.

Status itaque quæstionis est utrùm major numerus seu unanimitas moralis Episcoporum sit semper infallibilis in docendo.

PROPOSITIO.

Notoriè major Episcoporum numerus, vi promissionum Christi, *infallibiliter docet, quantumvìs ex adverso reclament pauci Episcopi. Hinc ad infallibilem Ecclesiæ definitionem, non requiritur* physica, *sed sufficit* moralis *unanimitas Episcoporum, capiti suo, id est, Romano Pontifici adhærentium.*

Prob. 1.° ex celebri textu S. Matth. c. 28, ℣. 18, 19 et 20, pluries appellato : *Accedens Jesus locutus est undecim Apostolis, dicens : Data est mihi omnis potestas.. ; euntes ergo docete omnes gentes... ecce ego vobiscum sum.... usque ad consummationem seculi.* Ex probatis suprà, Christus per hæc verba concessit Apostolis et eorum successoribus Episcopis potestatem

docendi, et privilegium docendi infallibiliter: atqui privilegium illud majori Episcoporum numero conceditur; etenim vel Christus per hæc verba, *Ecce ego, etc.*, promisit infallibilitatem majori numero Episcoporum, vel promisit singulis, vel minori numero contra majorem militanti, vel unanimitati physicæ tantùm: atqui hæc tria posteriora dici nequeunt.

1.° Quidem Christus non promisit infallibilitatem singulis Episcopis; verba enim Christi innuunt tantummodò illud donum eximium collegio Episcoporum promitti: porrò ut promissio facta alicui societati effectum suum sortiatur, necesse non est ut in quolibet membro vim suam obtineat, sed sufficit ut in societatis corpore prævaleat; ergo, etc. Deindè experientiâ constat Christum non singulis Episcopis infallibilitatem in docendo promisisse, cùm vix aliqua fuerit hæresis quæ auctorem vel patronum non habuerit aliquem Episcopum.

2.° Non promisit Christus infallibilitatem minori numero Episcoporum contra multitudinem eorum qui Romano Pontifici adhærent; tunc enim error prævaleret et adversùs corpus episcopale, quod contradicit verbis Christi, *Ecce ego vobiscum sum,* etc.; vel enim jus illud ipsis competeret pro omnibus fidei definitionibus, vel tantùm pro aliquibus, ita ut fieri posset veritatem quandoquè penes minorem numerum, aliquandò penes majorem stare: atqui neutrum dici potest: non primum quidem, ut fatentur omnes; alioquin veritas stetisset penes Arianos, Donatistas, Pelagianos, etc., qui paucos suorum errorum habuerunt Episcopos. Secundum quoque dici nequit; tunc enim auctoritas Episcoporum inuti-

lis foret respectu fidelium; si enim modò major, modò minor Episcoporum numerus infallibilis esset in docendo, jam fideles majori vel minori Episcoporum numero non possent tutò adhærere, nisi priùs expendendo ex quânam parte staret veritas: examen autem illud ipsis impervium est, ut ex dictis abundè constat; ergo, etc.

3.° Christus non promisit infallibilitatem in docendo soli unanimitati physicæ Episcoporum, ita ut nihil de fide certum sit nisi omnes omninò consentiant, namque promissiones Christi, ùt vidimus, ad corpus seu collegium Episcoporum diriguntur: atqui corpus Episcoporum, sicut societas humana quælibet, resultat ex unanimitate morali seu ex numero eminenter et notoriè majori. Certè, ut ait Bossuetius, in 2.° Documento pastorali de promissionibus Ecclesiæ, n.° 28, dùm Deus promittebat exercitui Israelitarum plenam de Madianitis victoriam, illa victoria non promissa fuit unanimitati physicæ pugnatorum, cùm quidam cadere deberent sub ferro hostili, sed corpori illorum unanimi; ita dicas de exercitu quem Christus adversùs errores instruxit. Deindè privilegium infallibilitatis Episcopis à Christo concessum, non est inutile: atqui tamen inutile foret si ut vim obtineat necesse sit omnes Episcopos, ne exceptis etiam paucis, circa aliquam definitionem consentire; cùm enim, ex probatis, quilibet Episcopus in particulari non sit infallibilis, vix contingere poterit quosdam non repugnare definitioni omnium aliorum Episcoporum; postremò ex praxi Ecclesiæ constat privilegium infallibilitatis non fuisse datum soli unanimitati physicæ Episcoporum, cùm plures ab Ecclesiâ damnatæ fuerint hæreses, Ariana scili-

cet, Nestoriana, Pelagiana, etc., licèt quidam reclamaverint Episcopi.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Athan. Epist. ad Imp. Jovinian. sic loquitur : *Licèt pauci quidam huic fidei* (Nicænæ) *contradicant, scimus, Religiose Auguste, eos orbi terrarum præjudicare non posse.* S. Basil, Epist. 204 aliàs 75, n.° 7 : *Justius est autem res nostras judicari non ex uno aut altero non rectè in veritate ambulantibus, sed ex multitudine Episcoporum.* S. Aug. lib. 3 contra Cresconium, cap. 3 : *Si omninò jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium..... contra tot millia Episcoporum quibus hic error.......* (Donatistarum scilicet) *displicuit.* Concil. Ephes. in suâ ad Imperatorem Theodosium Juniorem Epistolâ : *Perabsurdum est ducentorum et decem Episcoporum Synodo, quibus et universa occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo... consentit, triginta tantùm numero sese opponere.*

Ex quibus sic : Illi docent unanimitatem moralem Pastorum infallibiliter docere, qui asserunt paucitatem Episcoporum sive Arianorum, sive Donatistarum, sive Nestorianorum, cæteris Episcopis aliter decernentibus præjudicare non posse : atqui ita docent Patres mox appellati; ergo, etc.

Prob. 3.° *ex absurdis consectariis.* Si enim, ut volunt adversarii, eminenter et notoriè major Episcoporum numerus, capiti suo summo Pontifici adhærens, errorem solemniter fidelibus proponere posset; ergo 1.° injusta est et crudelis Ecclesia, sive antiqua, sive actualis : praxi enim constantissimâ voluit omnes fideles suis definitionibus interiùs assentiri, imò sub pœnâ anathematis coegit, licèt pauciores contradicerent

Episcopi; ergo 2.° Ecclesia unitate suâ seu professione ejusdem fidei carebit: alii enim Romano Pontifici majorique numero Episcoporum adhærentes, quædam tanquam fide catholicâ profitebnntur dogmata, quæ alii ad fidem minimè pertinere docebunt; ergo 3.° non erit visibilis Ecclesia, ita enim debet inclarescere vera Ecclesia ut præstantiâ et splendore auctoritatis suæ, rectâ institutione informare, sanâque doctrinâ populos imbuere possit; quomodò autem id tam necessarium munus obiret, si Episcoporum major numerus, præeunte ipso Ecclesiæ capite, sub anathematis pœnâ errorem proponeret? ergo 4.° cederet in laqueum quod ipse Christus instituit ministerium; error enim qui à tantâ Episcoporum multitudine sub anathematis interminatione proponeretur, duplici tantùm viâ præcaveri posset, vel discussione, vel auctoritate: si discussione utendum sit, recurrent omnia incommoda quæ ex privato examine oriri demonstratum est; si auctoritatis viæ insistendum sit, potiori et eminentiori auctoritati procul dubio parendum est: sed potior et eminentior auctoritas, Episcoporum scilicet auctoritas Ecclesiæ capiti adhærentium, errorem qui præcavendus erat proponit; ergo necessum est ut à revelatâ veritate recedant fideles, erroremque amplectantur; ergo, etc.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1.° De sensu promissionum Christi judicandum est ex eventu: atqui jam contigit majorem multitudinem Episcoporum Romano Pontifici adhærentium à fide aberrasse; ergo, etc.

Resp. 1.° Negari potest *major* cum Bossuetio; ipse enim Ministro Claudio objicienti quædam

facta historiæ ecclesiasticæ contra promissiones Ecclesiæ circa perpetuam ipsius visibilitatem factas, sic respondet in 2.° Documento pastorali, n.° 116 : *Laissons donc là le commentaire par l'événement : j'avouerais peut-être que l'événement pourra, en second, servir d'interprète à des prophéties obscures et paraboliques; mais pour la promesse fondamentale de l'Evangile qui est conçue en termes si clairs, elle s'interprète elle-même, et pour toute interprétation, il n'y a qu'à dire : Jésus-Christ est assez puissant pour faire tout ce qu'il a promis; et la restreindre par l'événement, c'est la démentir.*

Et verò qui contra promissionem claram à Deo Pastoribus Ecclesiæ factam, objicit remota et obscura facta, peccat contra regulam Logicæ juxta quam in omni argumentatione à magis noto ad minùs notum procedendum est. Hinc si jure nostro strictiùs uti vellemus, ab ulteriori examine factorum quæ objiciuntur contra infallibilitatem multitudinis Episcoporum abstineremus; nam, ut ait Bossuetius, loco jam citato, n.° 115, *on n'est pas même obligé à savoir ces faits qu'on exagère si fort; les promesses fondamentales de l'Evangile sur la durée de l'Eglise étant, comme on l'a vu, très-intelligibles par elles-mêmes, il ne faut pour toute réponse à ceux qui cherchent des difficultés dans leur accomplissement, que l'exemple d'Abraham, qui, comme dit S. Paul, n'a point vacillé dans la foi, mais au contraire s'y est affermi, donnant gloire à Dieu et demeurant pleinement persuadé qu'il était assez puissant pour accomplir à la lettre tout ce qu'il avait promis.* Sed ad abundantiam juris, quæ ab adversariis objiciuntur facta discutere non refugimus. Itaque

Resp. 2.° *Nego min.* ut potè nullo invincibili firmatam momento.

Inst. 1.° Multitudo Episcoporum unà cum summo Pontifice, tenet ipsum esse supremum et infallibilem controversiarum fidei judicem : atqui tamen infallibilitas Papæ nedùm ad fidem cathocam pertineat, imò Scripturæ et Traditioni contraria probatur; ergo, etc.

Resp. infallibilitatem Papæ non ut dogma catholicum credi, et fidelibus credendum proponi ab Ultramontanis et eorum sequacibus; huic sententiæ tanquam opinioni privatæ adhærent, nec dissentientes ut Hæreticos à suà communione repellunt. Hinc quidquid sit de numero Episcoporum huic opinioni cum summo Pontifice adhærentium, nihil adversùs propositionem nostram erui potest, juxta quam diximus ad infallibilitatem Ecclesiæ definitionum, non physicam requiri, sed moralem sufficere unanimitatem Pastorum capiti suo adherentium; in cujus confirmationem præter dicta superiùs, exscribere non pigeat ista præclara Caroli Magni verba : *Horum,* inquit Epistolà quam post Concilium Francofordiense scripsit ad Elipandum et alios Hispaniæ Episcopos, Concil., tom. 7, Patris *Labbe, horum me sanctissimæ multitudini et probatissimæ auctoritati in veræ fidei professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in consensione hujus novæ assertionis socium admitto; sed Apostolicæ Sedi..... totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate conjungo.... Cum his quoque Doctoribus et sanctæ Ecclesiæ pastoribus veram prædico fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummatio-*

nem seculi..... Post hanc correptionem...... Apostolicæ auctoritatis et synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omninò vos pro Hæreticis haberi..... Vos igitur, quià pauci estis, undè putatis vos aliquid verius invenire potuisse quàm quod sancta, universalis, toto orbe diffusa tenet Ecclesia?

Inst. 2.° Ecclesiæ seculo IV, longè major Episcoporum numerus cum summo Pontifice in Arianismum turpiter lapsus est; scilicet Liberius Papa formulæ arianæ subscripsit; item 650 Episcopi occidentales Arimini congregati, teste Juliano apud S. Augustinum, lib. 10 *Operis imperfecti,* cap. 73, à verà fide pariter defecerunt; etiam 160 orientales Episcopi in Concilio Seleuciensi, et innumeri per Orientem dispersi, Constantii Imperatoris persecutione fidem nicænam derelinquere coacti sunt; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Etenim cùm Liberius Papa Formulæ Sirmiensi ipsi ab Arianis oblatæ subscripsit, tùm dogmati catholico firmiter adhærebat longè major Episcoporum numerus: nempè Liberius subscripsit formulæ ipsi ab Arianis oblatæ, anno 357 vel initio anni 358, secundùm omnes historicos, nec lapsus ejus ultrà differri potest, cùm de eo sermonem faciat S. Athanasius in Epistolà ad solitarios, ab ipso scriptà ineunte anno 358: atqui tunc temporis, id est, 357 exeunte vel ineunte anno 358, corpus episcopale dogmati catholico firmiter adhærebat; siquidem Concilium Ariminense in quo Episcopi occidentales, et Concilium Seleuciense in quo orientales Antistites, juxta objectionem, in hæresim arianam lapsi sunt, nonnisi anno 359 celebrata fuère. Deindè cùm plurimi per orbem Episcopi, partim

vi, partìm fraude, fuligine arianâ tincti sunt, Ariminenses scilicet et Seleucienses Episcopi, tunc Liberius Papa, facti pœnitens, dogmatis catholici firmiter partes tuebatur. *Il est certain*, inquit Bossuetius, in 2.° Document. past., n.° 106, *que le Pape Libère, après un égarement de quelques mois, rentra dans ses premiers sentimens, et acheva son Pontificat, qui fut long, lié de communion avec les plus saints Evêques de l'Eglise..... L'empereur savait si bien qu'il était rentré dans la profession publique de la foi de Nicée, qu'il ne voulut pas l'appeler au Concile de Rimini et craignit de pousser deux fois un personnage de cette autorité, et qu'il n'avait pu abattre qu'avec tant d'efforts.* His verbis Bossuetii adjungi potest testimonium doctissimorum *Tillemont* et *Fleury*.

Ad probationem Resp. 1.° Falsum est Liberium Papam subscripsisse formulæ arianæ; namque subscripsit primæ formulæ sirmiensi : atqui prima formula sirmiensis non erat ariana; illa enim non erat ariana cui S. Hilarius, dogmatis catholici propugnator acerrimus, sensum catholicum affingit : atqui S. Hilarius, lib. de Synodis, etc..... In hâc quidem primâ formulâ sirmiensi, vox *Homousion*, id est, *Consubstantialem*, reticebatur; sed dogma catholicum divinitatis Christi ipsiusque cum Deo Patre perfectæ æqualitatis, aliis verbis exprimi potest, et reverà exprimitur in prædictâ fidei professione, ex eo quem continebat anathematismo, qui sic se habet : *Eos qui dicunt ex non ente aut ex alio subsistente, et non Deum ex Deo Filium exstitisse, aut quòd tempus aut ætas fuit quandò ille non erat, alienos à se censet sancta et*

Catholica Ecclesia. Dixi Liberium subscripsisse primæ formulæ, non autem secundæ, quæ apertè hæretica est; nec etiam tertiæ, quæ nonnisi post lapsum ejus fuit conscripta. Itaque triplex distinguitur hujus nominis fidei professio : 1.ª edita fuit in Concilio Sirmiensi, anno 351, contra Photinum habito; 2.ª apud Sirmium edita est anno 357; 3.ª verò pariter Sirmii conscripta est anno 359.

2.° Falsum est 650 Episcopos occidentales in Concilio Ariminensi congregatos, à fide catholicâ defecisse et Arianismum fuisse amplexos; namque 1.° in Concilio Ariminensi 400 tantùm circiter numerari debent, non autem 600, ut voluit Julianus, apud S. Augustinum; quod quidem probatur auctoritate S. Athanasii, lib. de Synodis; Sulpitii Severi, lib. 2 Historiæ sacræ; Sozomenis, lib. 4 Historiæ ecclesiasticæ : quos quidem historici recentiores et melioris notæ unanimiter sequuntur.

3.° Falsum est Patres ariminenses in hæresim arianam fuisse lapsos. Antequàm autem illud probetur, observandum est duplicem fuisse Concilii Ariminensis statum, primum libertatis, alterum oppressionis et violentiæ. Quandiù Patres ariminenses fuère liberi, nicænam fidem strenuè propugnârunt, Ursacium et Valentem arianos Episcopos deposuerunt, ut constat ex S. Athanasio, Epist. ad Afros, ex Theodoreto, lib. 2 Historiæ suæ, ex Socrate, ex Sozomeno, ex Sulpitio Severo, etc. Verùm subindè in multis vexati diuturnâque morâ fatigati (prohibuerat enim Constantius Imperator ne Episcopi ab Arimino discederent donec formulæ ipsis ab Arianis oblatæ subscripsissent), violentiæ ce-

dunt, et formulam fidei ab Ursacio et Valente ipsis oblatam calculo suo comprobant.

Itaque eò recidit quæstio, utrùm Patres ariminenses huic subscribendo formulæ, arianam hæresim approbaverint : porrò negativè respondemus, et confirmamus, 1.° ex sensu naturali verborum quibus illa constat formula : *Credimus in unigenitum Dei filium, ante omnia secula et ante omne principium genitum ex Deo : natum autem unigenitum, solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem ei qui ipsum genuit Patri, secundùm Scripturas* (apud S. Athanas. de Synodis Arimini et Seleuc.) : atqui hæc verba divinitatem Christi ipsiusque cum Patre perfectam æqualitatem naturaliter repræsentant ; ex his enim verbis, *unigenitus, similis Patri, Deus ex Deo*, etc., concludebant Catholici adversùs Arianos Filium esse consubstantialem Patri. 2.° Auctoritate Patrum et Theologorum. S. Hieronym., Dialog. contra Lucifer. : *Perfecta fides est Deum de Deo credere ; et natum aiebant unigenitum, solum ex solo patre ; quid est natum ? certè non factum ; nativitas suspicionem auferebat creaturæ ;..... sonabant verba pietatem, et inter illa tantá præconia, nemo venenum insertum putabat. De* Usiæ *verò nomine abjiciendo verisimilis ratio præbebatur ; quia in Scripturis, aiebant, non invenitur, et multos simpliciores novitate suâ scandalizat, placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto.* Ipsimet Patres ariminenses : *Putavimus*, aiebant, *sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesiâ Dei, ubi simplicitas,..... aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus.* Idem

habent Sulpitius Severus et Hilarius. Cardinalis Perronius, lib. cui titulus, *Réplique aux Ministres touchant leur vocation*, pag. 24 : *Ils méritaient censure* (les Pères de Rimini), *non pour l'impiété de leur créance, mais par leur imprudence de s'être laissé circonvenir et fléchir par des hommes frauduleux, à leur accorder la paix sous une formule de foi encore qu'équivalente, à l'interpréter fidèlement, à celle du Concile de Nicée, néanmoins plus sujette aux gloses et subterfuges de ceux qui voudraient s'en envelopper sous l'ambiguité des paroles.* Illustrissimus Bossuetius dùm, in suâ cum Ministro Claudio collatione, Concilii Ariminensis definitionem erroneam vocasset, in ejus editione hanc notam marginalem apposuit : *Je devais dire équivoque et imparfaite plutôt qu'erronée.* Idem censuit D. *Fleury*, *Tillemont*, Jansenius ipse. 3.° Tandem ratione theologicà. Etenim si formula ariminensis fuisset erronea, vel propter suppressam vocem *Homousion*, vel annexum ipsi anathema : *Si quis creaturam filium Dei dixerit, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit :* atqui neutrum dici potest; non 1.um, quia antequàm consecrata fuisset hæc vox *Homousios* à Concilio Nicæno, catholicum dogma exprimi poterat; deindè in Symbolo Apostolorum et S. Athanasii, dogma de divinitate Verbi exprimitur, omisso tamen *Consubstantialis* vocabulo; postremò S. Athanasius, lib. de Synodis, et S. Hilarius pariter lib. de Synodis, ut fratres agnoscunt eos qui rejecto nomine *Consubstantialis*, rem verbo significatam admittebant; ergo, etc.; 2.um quoque dici nequit; formula enim dici non potest hæretica propter anathema

quo percutitur propositio hæretica : atqui anathemate formulæ annexo percutitur propositio hæretica ; ergo , etc.

4.° Falsum est Episcopos in Concilio Seleuciensi congregatos , in arianam hæresim lapsos fuisse ; namque inter illos , 19 tantùm erant Ariani , 105 verò rejiciebant vocem *Homousion* seu *Consubstantialem*, licèt Filium Patri quoad substantiam similem admitterent ; deniquè cæteri 36, inter quos S. Hilarius , pro *Consubstantialis* vocabulo fortiter decertabant.

Postremò , etiamsi concederemus Episcopos ariminenses et seleucienses hæresi arianæ subscripsisse , minimè sequeretur majorem Episcoporum numerum errorem docuisse ; etenim si 400 Episcopis Arimini congregatis addantur 160 Patres seleucienses , exsurget numerus totalis 560 : atqui 560 Episcopi non constituebant majorem partem Episcoporum ; si quidem P. Labbæus , Conciliorum editor celeberrimus , ideòque in historiâ Sedium episcopalium versatissimus , in Occidente cathedras episcopales circiter mille numerat (quarum sexcentas primorum Ecclesiæ seculorum historia notissimas facit), in Oriente autem octingentas. Sed quàm multæ ad ipsius notitiam pervenire non poterant !

Inst. 3.° contra catholicitatem Patrum ariminensium. 1.° Ex auctoritate SS. PP. demonstratur Patres ariminenses in Arianismum fuisse prolapsos ; nam juxta Liberium, Epist. ad Orientales, *Episcopi ariminenses à fide exciderunt ;* juxta S. Hilarium , fragmento 8.° , *prævaricati sunt à verâ fide ;* juxta S. Aug. , Epist. 185 , *veneno perierunt ariano ;* juxta S. Ambrosium,

Epist. 21, *docuerunt filium Dei esse creaturam.* 2.° Patres ariminenses, quandiù fuerunt liberi, subscribere noluerunt formulæ cui per vim posteà subscripserunt; ergo anteà censebant illam formulam esse hæreticam. 3.° Ecclesia quidquid in Concilio Ariminensi actum fuerat, rescindi voluit; ergo, etc.

Ad 1.um *Resp.* 1.° Si verum sit argumentum ab adversariis ex quibusdam Patribus desumptum, ergo SS. PP. circa præsentem quæstionem dividuntur, siquidem in medium protulimus Patres nostræ sententiæ faventes: porrò si Patres circa hanc quæstionem dividantur inter se, non ex auctoritate, sed ex tenore et sensu naturali formulæ quæstio dirimenda est: atqui suprà probavimus professionem fidei ab Ariminensibus subscriptam, sensu naturali orthodoxam esse.

Resp. 2.° Patres per hæc verba quibus fidem Ariminensium carpere videntur, significare tantùm voluerunt Ariminenses imprudenter rejiciendo vocem *Homousion*, id est, *Consubstantialem*, quam tota in Concilio Nicæno consecraverat Ecclesia ad exprimendum dogma catholicum et ad occurrendum omnibus tricis et perversis interpretationibus Arianorum, magnum attulisse præjudicium, Arianisque causam præbuisse palàm, licèt immeritò, jactandi fidem nicænam abolitam fuisse.

Ad 2.um *Nego consequent.* Ex eo quòd enim Ariminenses, quandiù liberi fuerunt, subscribere noluerunt formulæ ipsis ab Arianis oblatæ, non sequitur illam in ipsorum mente ariano veneno infectam fuisse. Nam professio fidei ob duplicem causam rejici potest; vel quia insufficiens

est, vel quia hæresim exprimit; et reverà Ariminenses professionem fidei ab Ursacio et Valente oblatam, primùm non rejecerunt nisi tanquam insufficientem, non verò tanquam hæreticam, saltem in sensu naturali et expresso.

Ad 3.um *Nego consequent.* Quidquid in Concilio Ariminensi per vim et fraudem actum fuerat, posteà rescissum est ab Ecclesiâ, non quia hæresim docuerant Ariminenses, sed quia doctrinam catholicam insufficienter proposuerant, reticendo scilicet vocem *Homousion*, quæ in Concilio Nicæno velut tessera fidei consecrata fuerat.

Inst. 4.° Quidam Patres asserunt omnes fermè Episcopos in hæresim arianam fuisse prolapsos; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Illa enim generalis Episcoporum defectio, vel contigisset ante Concilium Ariminense et Seleuciense, vel ipsomet tempore Conc. Arimin. et Seuleuc., vel post utrumque prædictum Concilium : atqui nihil horum dici potest.

1.° Quidem Episcoporum multitudo in Arianismum lapsa non est ante Concil. Arimin. et Seleuc., id est, ante annum 359; et illud probatur disjunctivè de Episcopis orientalibus et occidentalibus. Quantùm ad occidentales, ipsos constat fuisse fidei nicænæ addictos usque ad utrumque Concilium, paucissimis tantùm exceptis; namque legimus apud Sulpitium Severum, lib. 20 Historiæ suæ, S. Hilarium in Concil. Seleuc., expositâ fide suâ juxta ea quæ Nicææ fuerant statuta, occidentalibus Episcopis, hoc est, ipsorum catholicitati, præbuisse testimonium. Deindè, ex jam dictis, Concil. Ariminense ad

quod Episcopi occidentales convocati fuerant, quandiù fuit liberum, nicænæ fidei constanter adhæsit, Ursacium et Valentem Arianos deposuit.

De orientalibus autem Episcopis, etsi inter eos non defuerint Ariani, nihilominùs constat longè majorem ipsorum partem usque ad Concil. Ariminense et Seleuciense dogma catholicum tenuisse; siquidem, ut jam vidimus, ex 160 Episcopis quibus constabat Seleuciense Concilium, ex illis, inquam, 19 tantùm erant Ariani.

2.° Nec Arianismus prævaluit adversùs corpus Episcoporum tempore Concilii Ariminensis et Seleuciensis; jam enim probavimus nec Patres ariminenses, nec seleucienses, quoad ipsorum partem majorem, hæresim docuisse.

3.° Nec post utrumque prædictum Concilium in Ecclesià prævaluit hæresis ariana; siquidem ipsimet occidentales Episcopi qui imprudenter subscripserant formulæ ipsis ab Arianis oblatæ in Concil. Arimin., statìm reclamàrunt contra vim et fraudem. *Statìm,* inquit S. Ambr., Epist. 21, *statìm revocavêre sententiam.* Hinc Lucifer Calaritanus, lib. *Quòd moriendum sit pro filio Dei,* sic Constantium Imperatorem alloquebatur, paulò post Concil. Arimin., id est, anno 360: *Omnes momento si posses peragrare gentes, invenisses ubique Christianos sicuti nos credere*, etc.; hinc sub ipso Valente Constantii successore, quantumvis efferbuerit persecutio, semper tamen prævaluit dogma catholicum, ut ex his S. Basilii constat, Epist. 72: *Ipsum orbem circumspicite, et videte quàm modica sit ea portio quæ hoc morbo laborat; reliqua verò universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recipit, sanam hanc et incor-*

ruptam consubstantialitatis doctrinam fatetur.

Inst. 5.° Post Concilium Ariminense, statìm habita est anno 360, Constantinopoli Synodus 50 Episcoporum, à quibus confirmata est formula ariminensis, cui cæteros per orbem dispersos jussit subscribere, imò coegit Imperator Constantius; ergo adversùs Episcoporum corpus error prævaluit.

Resp. Nego ant. quoad ultimam partem; scilicet, hæc postrema Constantii persecutio in Occidente grassata non est, sed tantùm in Oriente cui plurimi, fateor, cesserunt Episcopi, subscribendo formulæ juxta verborum corticem, ut jam diximus, catholicæ quidem, sed insufficienti propter recentiam vocis *Homousion* à Concilio Nicæno consecratæ; ratio autem cur dicimus hanc persecutionem Occidentem non pervasisse, triplex est:

1.ª Sumitur ex silentio historicorum, si tamen excipias Socratem, lib. 2.° Historiæ, qui deceptus est eo quòd parùm gnarus eorum quæ gesta sunt in Concilio Ariminensi, vim quam Patres hujus Concilii passi sunt confundat cum prætensâ persecutione, quam post Concilium citatum per totum Occidentem efferbuisse supponit.

2.ª Petitur ex promptissimâ reclamatione Episcoporum ariminensium: *Inflexam statìm,* inquit Ambrosius, Epist. 13, *revocavêré sententiam. Diù scelera non latent,* inquit Hieronymus, Dial. contra Luciferianos; itaque *concurrebant Episcopi, qui ariminensibus dolis irretiti, sine conscientiâ hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini et quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali in suâ fide suspicatos,..... flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam et omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

3.ª Ratio sumitur ex eo quòd Julianus imperator declaratus sit Parisiis anno 360; ipse autem à Constantio defendebat Catholicos, nedùm persequeretur.

Inst. 6.° Juxta Vincentium Lirinensem in Commonitorio suo 1.°, cap. 6, *Arianorum venenum non jam portiunculam quamdam, sed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut, propè cunctis latini sermonis Episcopis, partìm vi, partìm fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Juxta Vinc. Lirin. hæresis ariana penè totum orbem contaminaverat, hoc sensu quòd tunc nulla penè fuerit in orbe regio in quà Ariani et fideles aliquos et Episcopos quosdam non seduxissent; nullatenùs autem significare voluit hæresim arianam adversùs Episcoporum corpus in Ecclesià prævaluisse: sicut quotidiè dicitur regnum Franciæ errore Calvini infectum fuisse, ut intelligatur in plerisque regni hujus provinciis plures fuisse Calvinistas, etsi longè major pars incolarum regni prædicti in dogmate catholico constans fuerit. Et verò, cùm Vincentius asserit omnes penè latinos Episcopos partìm vi, partìm fraude deceptos fuisse, loquitur de Episcopis ariminensibus, qui certo certiùs minorem numerum Episcoporum occidentalium efformabant, ut ex dictis constat; aliundè in hæresim arianam verè prolapsi non sunt, ut anteà demonstravimus; ergo Vincentius Lirinensis doctrinæ nostræ non præjudicat, imò quæ passìm in Commonitorio 1, cap. 3, ponit principia, apertè nobis favent: *Omnium,* inquit, *vel penè omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.... Hanc veram fidem*

fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia...... Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est verè proprièque catholicum.

Inst. 7.° Idem Vincentius, Commonit. cap. 4, præscribens regulas quarum ope Catholicus in verâ fide semper stare poterit, hæc habet : *Quid faciet Catholicus si novella aliqua contagio, non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc providebit ut antiquitati inhæreat;* ergo doctor ille censuit universalitatem aliquandò deficere posse, adeò ut ad antiquitatem recurrendum sit, ut veritas teneatur.

Resp. Nego consequent. Ut intelligatur textus propositus, observandum est 1.° ex antiquitate, sicut ex universalitate alicujus doctrinæ, argumentum efficax in gratiam veritatis illius duci; ex antiquitate, quia fieri non potest ut doctrina cujus nullum aliud quàm ipsiusmet Ecclesiæ initium assignari potest, sit falsa : at è contrà novitas alicujus doctrinæ manifestum est ejus falsitatis signum, ex dictis ubi de *Apostolicitate.* Pariter ex universalitate argumentum efficax ducitur, quia vera doctrina seu fides catholica, sicuti vera Ecclesia, ubique diffundi debet. 2.° Etsi antiquitas et universalitas doctrinæ sint duo characteres fidei catholicæ ab ipsâ inseparabiles, tamen fieri potest ut, in quibusdam circumstantiis, unus ex illis magìs præfulgeat et aptior sit ad revincendam hæresim : sic, v. g., quandò Arianismus longè latèque disseminabatur, tunc universalitas fidei catholicæ minùs erat nota et apparens quàm ipsius antiquitas; faciliùs enim cognosci poterat dogma consubstantialitatis Verbi antiquius esse opinione

opinione contrariâ ab Ario excogitatâ seculo IV, et statìm in Concilio Nicæno unanimiter damnatâ, quàm hanc eamdem de divinitate Christi sententiam, tempore persecutionis Constantii, ubique diffundi et ab omnibus teneri. È contrà, tempore schismatis Donatistarum, facilius erat cognoscere dogmatis catholici universalitatem, quàm ipsius antiquitatem. 3.° Ex duobus mediis veritatis cognoscendæ æquè infallibilibus, illud seligi debet quod est facilius; et ex eo quòd facilius præponatur, non ideò negatur alterum quod est difficilius. His præmissis, evanescit difficultas petita ex textu in objectione proposito; cùm enim dicit Vincentius antiquitati esse inhærendum, quoties hæresis aliqua totam commaculare conatur Ecclesiam, significare tantùm voluit universalitatem doctrinæ catholicæ identidem obscurari posse, etsi nunquàm deficere possit, et tunc ad antiquitatem tanquam ad characterem notiorem remittit. Et verò sicut Vincentius non excludit antiquitatem, cùm vult ex universalitate veram doctrinam cognosci et discerni : sic, vice versâ, non excludit universalitatem, cùm ex antiquitate veritatem evinci contendit.

Inst. 8.° Greg. Nazianz. Orat. 21.â : *Si perpaucos exceperis,* inquit, sermonem faciens de persecutione Constantii, *qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti sunt, vel ob virtutem restiterunt,....... omnes tempori obsecuti sunt....; alii citiùs, alii seriùs, in eam fraudem inciderunt;* ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Namque 1.° S. Greg. loquitur tantùm de Episcopis orientalibus Imperio Romano subditis, non autem de occidentalibus. Etenim sermonem habet de Episcopis qui

post Concilium Constantinopolitanum, anno 360 habitum, coacti sunt subscribere formulæ ariminensi : atqui soli orientales Romano subditi Imperio vim illam experti sunt, non autem alii orientales non subditi Imperio Romano, qui tamen erant valdè numerosi; neque occidentales, ut anteà probavimus. 2.° Episcopi de quibus loquitur S. Doctor, peccârunt quidem subscribendo formulæ in quâ reticebatur vox *Homousion,* sed in hæresim lapsi non sunt, nec subscribendo fideles eam edocuerunt, cùm, ex probatis, consubstantialitatem Verbi sensu proprio et naturali contineret, ita ut nonnisi per vim sensum perversum ipsi tribuerint Ariani, quem nullatenùs combibebant rectè sentientes Catholici. Aliundè non tam munere historici res adamussim referentis, quàm oratoris ipsas exaggerantis, defungitur hoc loco S. Gregorius.

SCHOLIUM.

Corpus episcopale quotiescunquè docet, docet infallibiliter; infallibilitas enim ipsi à Christo *generaliter* et *absolutè* promissa est.

1.° Quidem *generaliter,* id est, absque ullâ restrictione, vel *temporis,* ita ut singulis diebus usque ad finem mundi Christus futurus sit cum Ecclesiâ docente; vel *doctrinæ,* ita ut non solùm ad aliquas veritates fideï primarias et magìs præcipuas, sed ad integram christianarum veritatum plenitudinem extendatur. *Voici comme le Sauveur envoie ses Apôtres,* inquit Bossuetius in suo Colloquio, *et ce qu'il leur dit en montant aux cieux : Allez et enseignez toutes les nations, les baptisant au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit..... Et voici je suis*

toujours avec vous, avec vous enseignant, avec vous baptisant, avec vous apprenant à mes fidèles à garder tout ce que je vous ai commandé, avec vous par conséquent exerçant en mon Eglise un ministère extérieur. C'est avec vous, c'est avec ceux qui vous succéderont, c'est avec la société assemblée sous leur conduite que je serai dès maintenant jusqu'à ce que le monde finisse, toujours, sans interruption; car il n'y aura pas un seul moment où je vous délaisse; et quoique absent de corps, je serai toujours présent par mon Saint-Esprit. Les promesses de cette assistance, Je suis avec vous, inquit idem, Monit. 3 ad Protestantes, n.° 19, *n'ont point de restriction; car Jésus-Christ n'en apporte aucune quand il dit: Je suis avec vous; et quand il dit: Les portes de l'enfer ne prévaudront point; il ne dit pas: Je suis avec vous dans certains articles, et je vous abandonne dans les autres; il ne dit pas: L'enfer prévaudra dans quelques points, et dans les autres je rendrai ses efforts inutiles; il dit sans restriction: L'enfer ne prévaudra pas; il n'y a point là d'exception, ni aucun endroit de sa doctrine que Jésus-Christ veuille abandonner au démon ou à l'erreur. Au contraire, il a dit que l'Esprit qu'il enverrait à ses Apôtres leur enseignerait, non pas quelques vérités, mais toute vérité.*

2.° Infallibilitas Ecclesiæ Pastoribus promissa est *absolutè*, non quidem eo sensu quòd nullæ ex parte Pastorum in docendo requirantur conditiones, sed quia conditiones necessariæ certissimè positæ sunt quotiescunquè docent; ita ut præjudicia, passiones, ignorantia, defectus examinis, et similia ejusmodi, quæ naturaliter

hominem errori obnoxium faciunt, nunquàm corpus Pastorum docentium in errorem inducere valeant, ob promissiones Christi. Hæc enim veritati detegendæ et fidelibus proponendæ obstacula Deus, potens et fidelis in omnibus verbis suis, à Pastoribus docentibus benignus avertit; aut saltem eos providus dirigit : *Nous sommes bien éloignés*, inquiunt Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi, Parisiis anno 1728 congregati, in suâ ad Regem Epistolâ, *nous sommes bien éloignés de penser et de dire que pour porter ou pour accepter un jugement sur la foi, nous n'avons besoin ni d'examen, ni de discussion, ni de liberté ; mais nous disons, et nous le disons en nous appuyant sur les promesses de Jésus-Christ, que quand le corps des Pasteurs a prononcé, il n'est jamais permis aux fidèles de refuser leur soumission ou d'hésiter à la donner, parce qu'il est promis que les portes de l'enfer ne prévaudront point ; par conséquent, elles ne prévaudront ni par la violence, ni par la négligence, ni par la séduction. En vain alléguera-t-on qu'on n'a pas examiné, ou qu'on n'a pas assez examiné, ou qu'on a manqué de liberté, ou qu'on a été entraîné par des intérêts humains. Jésus-Christ est avec le corps des Pasteurs. Il est la sagesse du Père, comme il est la vérité éternelle. Il est donc avec eux en tant que sagesse, pour leur faire prendre les moyens assurés de connaître ce qu'il leur a enseigné, en même temps qu'il est avec eux en tant que vérité, pour empêcher qu'ils ne s'égarent. Dès que le vrai fidèle voit le corps des Pasteurs, uni au chef, former une décision qui intéresse la foi, dès qu'il voit ce corps res-*

pectable, qui parle au nom de Dieu et qui est inspiré d'en haut, exiger la soumission et prescrire l'obéissance, il ne balance point. On a beau lui dire, une partie de ces Pasteurs n'a pas prononcé par voie de jugement, les autres ne sont pas immobiles dans le motif de leur décision; c'est l'infaillibilité du Pape qui a déterminé uniquement ceux-ci, l'examen de ceux-là n'a pas été suffisant ou il n'a pas été juridique; il est à craindre que leur décision, par l'obscurité des propositions qu'ils censurent, ne donne lieu de confondre la vérité avec l'erreur: tous ces discours n'ébranlent pas sa foi et n'affaiblissent pas la confiance qu'il a dans la promesse de Jésus-Christ. Quæ quidem omnia, quoad substantiam, ex Bossuetio deducta sunt, et præsertim ex libro cui titulus, *Réflexions sur un écrit de M. Claude: Afin de pouvoir faire sans témérité le sermon dont il s'agit*, inquit Præsul doctissimus, *il faut être fondé sur une promesse absolue de Dieu, sur une promesse qui nous rassure même contre l'infidélité des hommes, enfin sur une promesse telle que Jésus-Christ l'a faite à son église, lorsqu'il l'assure* INDÉFINIMENT *et* ABSOLUMENT *que les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle.*

Hæc autem Christi promissio, etsi ad Pastores directè pertineat et immediatè dirigatur, tamen propter populum facta est, ut habet idem Præsul illustrissimus in suo Documento pastorali, n.° 6: *Quand j'ai dit que la promesse de Jésus-Christ s'adressait directement aux Pasteurs, j'ai pour garant Jésus-Christ qui leur dit lui-même: Enseignez et baptisez, etc.; il parla donc directement à ceux qu'il a préposés à la prédication*

et à l'administration des sacremens. Mais tout cela est fait pour le peuple; tout est à vous, dit S. Paul, soit Paul, soit Céphas, soit Apollon, nous ne sommes que les ministres de votre salut dont la dispensation nous est commise. Jésus-Christ est avec les Apôtres pour le profit des fidèles; les fidèles sont donc compris dans la promesse: Je vous prie, dit-il, mon Père, non-seulement pour ceux-ci, c'est-à-dire, pour mes Apôtres, mais encore pour tous ceux qui croiront en moi par leur parole. On voit qu'il prie pour les fidèles en les attachant aux Apôtres. La chose parle d'elle-même; et le profit des fidèles sous le ministère, marque clairement la part qu'ils ont à la promesse, encore qu'elle se trouve directement adressée à leurs Pasteurs, comme il le fallait pour établir l'autorité aussi-bien que l'éternité de leur ministère.

CAPUT III.

De Objecto infallibilitatis Ecclesiæ.

Objectum infallibilitatis Ecclesiæ dicitur illud omne de quo Ecclesia, vi promissionum, infallibiliter judicare potest.

Jam verò certum est infallibilitatem Ecclesiæ non extendi ad omnes omninò veritates cujusvis sint generis, putà philosophicas. Itaque controversia movetur de fide, disciplinâ et factis dogmaticis, an hæc tria sint objectum infallibilitatis Ecclesiæ. De fide jam actum est suprà, ubi demonstravimus Ecclesiam, per suos præpositos, infallibilem esse controversiarum fidei judicem.

Duobus igitur articulis de disciplinâ et factis dogmaticis tractandum superest.

ARTICULUS PRIMUS.

De infallibilitate Ecclesiæ circa disciplinam.

Disciplina circa res agendas, sicut fides circa res credendas versatur. Hìc supponimus, quod alibi demonstratur, Ecclesiam habere potestatem condendi leges, et refractores spiritualibus pœnis coercendi; sed quæritur utrùm sit infallibilis in ejusmodi condendis disciplinæ legibus, sive in tradendis morum regulis, ita ut nihil præcipere possit juri naturali et divino contrarium, aut saluti fidelium per se nocivum.

PROPOSITIO.

Ecclesia est infallibilis circa disciplinam, sensu mox exposito.

Prob. 1.° *ex Script.* Act. c. 15, ℣. 28, 29: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, inquiebant Apostoli et seniores in Concilio Hierosolymitano congregati, *nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Ex quibus sic: illa est infallibilis circa disciplinam, quæ in eâ statuendâ habet Spiritum Sanctum assistentem: atqui, ex textu allato, Ecclesia in disciplinâ statuendâ habet Spiritum Sanctum assistentem: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* ergo, etc. Et verò Ecclesia in suis fidei definitionibus se infallibilem esse testatur per hæc verba quæ usurpat: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* ergo cùm Ecclesia in Concilio

Hierosolymitano congregata, in proponendis morum legibus eâdem usa sit formulâ, virtualiter definivit se in statuendâ disciplinâ esse infallibilem.

2.° *Ex SS. PP.* quorum instar in re tam clarâ sufficiat S. Augustinus, Ep. 54 aliàs 118 : *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est;* et Epist. 55 aliàs 119, cap. 19, ad Januarium : *Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit* Ecclesia.

3.° *Ratione Theologicâ.* Ecclesia est infallibilis circa disciplinam, sensu mox exposito, si nihil præcipere possit juri divino et bonis moribus contrarium : atqui Ecclesia nihil potest præcipere juri divino vel bonis moribus contrarium; si enim juri divino contradiceret, jam erraret in fide, quod fieri non posse demonstravimus; si bonis moribus repugnaret, sancta non esset, quod pariter contingere non posse effecimus, agendo de *Notis Ecclesiæ;* ergo, etc.

Obj. 1.° Disciplina Ecclesiæ mutationi obnoxia est; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Nam disciplina Ecclesiæ mutari potest, vel quia mala erat, vel quia, mutatis circumstantiis, desiit esse bona vel minùs utilis facta est : in priori casu, ex mutatione legum disciplinæ meritò colligitur fallibilitas earum auctoris; non autem in posteriori casu, ut patet : porrò Ecclesia disciplinam suam non mutat, nisi quia, mutatis circumstantiis, vel desiit esse bona vel minùs utilis evasit.

Obj. 2.° Licitum est Ecclesiis particularibus, v. g., Ecclesiæ Gallicanæ, disciplinam ab Eccle-

siâ in Concilio generali constitutam non observare; sic inter ea quæ à Concilio Tridentino circa disciplinam statuta fuerunt, quædam à Gallis servantur, cætera verò non ita : atqui si Ecclesia esset infallibilis circa disciplinam, tunc licitum non esset Ecclesiis particularibus non servare disciplinam ab universali Ecclesiâ statutam; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ecclesiæ enim particulares non ideò non obtemperant disciplinæ ab universâ Ecclesiâ constitutæ, quòd ipsam habeant tanquam juri naturali aut divino contrariam, vel saluti fidelium nocivam, ut supponit objectio; ejus è contrà sanctitatem agnoscunt et venerantur : sed, attentis rerum adjunctis, judicant sibi aptiorem et utiliorem esse disciplinam suis moribus et consuetudinibus congruentem; quo posito, nihil deperit nostræ thesi. Sic, v. g., nonnullos disciplinæ canones Synodi VIII et plures à Concilio Tridentino conditos, tanquam moribus nostris seu usibus contrarios, Galli non observant : at verò credunt Ecclesiam fuisse in ejusmodi condendis disciplinæ canonibus infallibilem. Cæterùm fatentur quòd si Ecclesia illorum canonum observantiam urgeret, ipsis procul dubio esset adhærendum.

Quæres 1.° utrùm Ecclesia sit infallibilis in religiosorum ordinum approbatione.

Resp affirm. Namque talis approbatio pertinet ad disciplinam generalem; dùm enim ordinem aliquem approbat Ecclesia, definit et declarat nihil eum complecti quod evangelicis præceptis aut conciliis apprimè non congruat, ac consequenter proponit ipsum fidelibus ut viam securam non solùm ad salutem, sed etiam ad perfec-

tionem : atqui, ex dictis, Ecclesia est infallibilis circa disciplinam; ergo, etc. Ita post S. Thomam Theologi.

Quæres 2.° utrùm Ecclesia infallibilis sit in canonizatione Sanctorum.

Resp. affirm. Nam 1.° illa sententia est communis Theologorum et Jurisconsultorum, ut videre est apud Benedictum XIV, lib. 1, cap. 43 eximii ipsius operis de Beatificatione et Canonizatione servorum Dei. 2.° Auctoritas quæ, assistente Spiritu Sancto, mores nostros ad sanctitatem dirigit, sicut nulla præcepta, ita nulla exempla pietati et sanctitati contraria, nostræ imitationi proponere potest : atqui si Ecclesia fallibilis esset in canonizandis Sanctis, saltem quædam exempla pietati et sanctitati contraria nostræ imitationi proponere posset; fieri enim posset ut hominis peccatoris et damnati, quem nobis ad imitandum proponeret, imperfectiones et peccata, si non notoriè, saltem à quibusdam agnoscerentur. *Multùm refert*, inquit Melchior Canus, lib. 5.° de Locis Theologicis, cap. 5, quæst. 5, propos. 3, *ad communes Ecclesiæ mores scire quos debeat Religio colere, quia si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur; ne igitur tantus error in Ecclesiâ sit, Deus peculiariter providere credendus est, ne Ecclesia Sanctorum in canonizatione erret.*

Et verò, si Ecclesia erraret in canonizatione Sanctorum, hæc duo absurda sequerentur : 1.° Sancta et pura Christi sponsa de damnato et Dæmonibus mancipato homine solemniter et publicè enuntiaret, ipsum sanctitate floruisse et nunc æternâ gloriâ potiri; imò sub pœnis gravioribus juberet ut, in ejus honorem, festa, officia publica,

sacrosancta sacrificia devoverentur, et ad ipsum honorandum curvaretur omne genu. 2.° Ministerium quod Spiritus Sanctus dirigit ad consummationem Sanctorum posset ipsis errorem suggerere; ipsorum pietati scandalum, hostibus religionis derisum, invocationique Sanctorum maximum præjudicium afferret : atqui hæc duo consectaria nemo sincerè catholicus admittere potest. Deindè confirmatur auctoritate S. Thomæ, Quodlibeto 9, art. 16; hanc enim sibi proponit objectionem : *Videtur quòd aliqui possunt esse in inferno de illis qui sunt ab Ecclesiâ canonizati; quicunque enim in judicando utitur medio fallibili, potest errare : sed Ecclesia in canonizando Sanctos nititur testimonio humano fallibili, cùm inquirat per testes de vitâ et miraculis.* Sic autem argumentum solvit : *Dicendum est quòd divina providentia præservat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium hominum decipiatur.* Quam verò notam mereretur aliquis infallibilitatem Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum negans pertinaciter, disputant Theologi. Ne autem temerè inter litigantes pronuntiare videamur, dicere sufficiat ex Melchiore Cano et Benedicto XIV, locis modò citatis, ejusmodi homini saltem *temeritatis* notam inurendam esse.

ARTICULUS II.

De Infallibilitate Ecclesiæ circa facta dogmatica.

Textus librorum determinari solent à rebus quas exprimunt; hinc qui de factis historicis tractant, historici, qui de dogmate, dogmatici nuncupantur. In textibus dogmaticis multiplex

distingui potest sensus, *expressus* scilicet, *mentalis*, *naturalis* et *extraneus*. Sensus *expressus* ille est quem verba per se et independenter ab intentione loquentis exprimunt; sensus *mentalis* dicitur ille quem auctor textûs seu libri in mente habuit, quemque per suum textum exprimi voluit; sensus *naturalis* ille est quem verba in nativâ et propriâ significatione intellecta præ se ferunt; sensus verò *extraneus* seu *distortus*, ille est qui nonnisi per vim textui affingitur.

Circa quemlibet textum dogmaticum duæ potissimùm quæstiones institui possunt : juxta primam, quæ dicitur quæstio *facti* dogmatici, quæritur quis sit sensus expressus et naturalis textûs dogmatici; juxta secundam, quæ vocatur questio *juris*, quæritur qualis sit sensus ille, verus an falsus, catholicus an hæreticus; scilicet, factum dogmaticum nihil aliud est quàm sensus expressus et naturalis textûs dogmatici; jus verò est ipsa qualitas, id est, orthodoxia, vel heterodoxia textûs dogmatici. Jam verò quæritur an Ecclesia sit infallibilis circa facta dogmatica, hoc est, in detegendo sensu naturali et expresso textuum dogmaticorum quos vel approbando proponit fidelibus, vel improbando ab eorumdem manibus avellit. Priusquàm illa quæstio solvatur,

Observandum 1.° Textus dogmatici vel sunt clari vel obscuri; deindè inter textus dogmaticos, alii *fidei nostræ regula* sunt, v. g., textus sacri; alii verò nedùm fidei nostræ sint regula; ad ipsius normam judicari debent.

Observandum 2.° Latum est discrimen inter judicium Ecclesiæ circa sensum naturalem textuum dogmaticorum qui fidei nostræ regula

sunt, et judicium ejus circa sensum expressum et naturalem aliorum textuum dogmaticorum qui non sunt fidei nostræ regula; ideò primum judicium exercet Ecclesia, ut sensum quem esse naturalem et proprium judicaverit, prona veneretur, et fidelibus credendum proponat; secundum verò judicium exercet eo fine ut sensum quem textu naturaliter exprimi judicat, ad examen revocet, cum regulà fidei comparet : illum unà cum textu in quo continetur, approbatura, si conformis prædictæ regulæ; improbatura, si deformis ipsi inveniatur.

Observandum 3.° Duplex distingui potest infallibilitas circa facta dogmatica : *naturalis* una, quæ vel etiam privatis competere potest circa textus claros, et *supernaturalis* altera, quæ in divinis promissionibus fundatur. His præmissis, concessa à controversis secernenda sunt, ut pateat quæstionis status.

Certum est 1.° Ecclesiam esse infallibilem circa jus, in declarandà scilicet veritate aut falsitate, orthodoxià vel heterodoxià doctrinæ alicujus.

Certum est 2.° *naturaliter* Ecclesiam infallibilem esse, id est, etiam independenter à promissionibus divinis, circa facta dogmatica admodùm *clara*, cùm vix cuilibet doctiori Theologo abnegari possit ejusmodi naturalis infallibilitas.

Certum est 3.° Ecclesiam, *vi promissionum*, infallibilem esse in detegendo sensu *naturali* et proprio textuum dogmaticorum, etiam *obscurorum*, qui *nostræ fidei regula* sunt, v. g., textuum Scripturæ et Traditionis; ratio est quòd Ecclesia, vi promissionum, non possit errorem docere : atqui tamen docere posset errorem, si non esset infallibilis in detegendo sensu naturali et

expresso textuum dogmaticorum qui sunt fidei nostræ regula : cùm Ecclesia suis in definitionibus hanc fidei credendam proponat doctrinam, quam ipsa per ejusmodi textus dogmaticos propriè ac naturaliter exprimi judicavit. Itaque status quæstionis est utrùm Ecclesia, *vi promissionum*, sit infallibilis in detegendo sensu expresso et *naturali* textuum dogmaticorum, etiam *obscurorum*, à privatis scriptorum, quos quidem textus approbando proponit fidelibus, vel improbando ab ipsorum manibus aufert. Nunc exponendæ sunt sententiæ.

1.a Sententia eorum est qui docent Ecclesiam, vi promissionum, infallibilem esse circa facta dogmatica, omnesque teneri fideles ad præstandum mentis obsequium ipsius circa hujusmodi facta judiciis.

2.a Eorum est qui tenent Ecclesiam esse tantummodò *moraliter* infallibilem in suis circa facta dogmatica judiciis, ita ut *absolutè* errare possit, quamvis eam aliquandò sic errasse nullus demonstrare queat. Hæc autem, inquiunt, moralis infallibilitas sufficit, ut à fidelibus assensum internum seu mentis obsequium suis circa facta dogmatica judiciis exigat, ipsique præcipienti fideles sub gravi obedire teneantur.

3.a Eorum est qui non tantùm existimant Ecclesiam absolutê fallibilem esse, sed etiam contendunt jus ipsi non competere cogendi fideles ad assentiendum interiùs suis circa facta dogmatica judiciis, fidelesque non teneri ad præstandum mentis obsequium prædictis circa facta dogmatica judiciis, sed sufficere, ut aiunt, *religiosum silentium*.

Hæc quæstio de infallibilitate Ecclesiæ circa

facta dogmatica, magno animorum æstu agitata est occasione damnationis quinque famosarum propositionum in sensu Jansenii; scilicet, cùm Innocentius X, accedente corporis episcopalis consensu, damnasset quinque prædictas propositiones è libro Jansenii cui titulus, *Augustinus*, quoad sensum excerptas, quidam ejus libri defensores dixerunt has propositiones non exstare in libro prædicti auctoris, nec in ipsius sensu ab Ecclesiâ fuisse damnatas; quod quidem effugium ut præcluderet Alexander VII, cui jam præiverat Innocentius X, in suo ad Præsules Gallicanos Brevi, Alexander, inquam, solemni constitutione declaravit et definivit *quinque propositiones ex libro auctoris excerptas et in sensu à Jansenio intento fuisse damnatas, et iterùm damnari.* Post factam ejusmodi à Summis Pontificibus declarationem, defensores libri hujus fateri quidem coacti sunt quinque propositiones damnatas fuisse in sensu Jansenii : sed non ideò huic definitioni paruerunt, rati scilicet Papam et Episcopos ipsi adhærentes circa factum Jansenii dogmaticum errasse. Hinc origo distinctionis *juris à facto*, juxta quam prædicti libri defensores quinque propositiones ut hæreticas damnabant interiùs; quantùm verò ad attributionem earum libro Jansenii, *religiosum*, duntaxat promittebant *silentium.* Alexander verò judicans religiosum silentium circa factum Jansenii dogmaticum insufficiens esse, *formularium* edidit juxta quod subscribens jurat *se sincero animo damnare et rejicere quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen*, Augustinus, *excerptas, et in sensu ab eo intento.* Cùm autem, eo non obstante, quidam adhuc dicerent circa factum Jansenii dogmati-

cum, *religiosum* sufficere *silentium,* Clemens XI edidit Bullam quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth,* cuique accessit consensio episcopalis, in quâ quidem Bullâ dicitur *obedientiæ quæ apostolicis constitutionibus* Innocentii X et Alexandri VII *debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri, sed damnatum, in quinque propositionibus Janseniani libri sensum..... ab omnibus fidelibus ut hæreticum, non ore solùm, sed et corde rejici ac damnari debere....; nec aliâ mente, animo aut credulitate, supradictæ formulæ subscribi licitè posse, nisi damnatus in quinque propositionibus libri Jansenii sensus, non solùm ore, sed et corde, rejiciatur et damnetur.*

PROPOSITIO.

Ecclesia jus habet libros et textus dogmaticos, prout ipsius judicio sanam aut perversam exhibent doctrinam, approbandi aut damnandi, suisque ejusmodi judiciis fidele mentis obsequium ab omnibus exigendi; ipsaque in iis errare non potest.

Tres sunt propositionis partes.

Prob. 1.ª *pars,* nempè quòd *Ecclesia jus habeat libros et textus dogmaticos, prout ipsius judicio sanam aut perversam exhibent doctrinam, approbandi aut damnandi.* 1.° *Ex Script.,* Act. c. 20, ℣. 28: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Undè sic: boni Pastoris est salubria pascua discernere à nocuis, ovesque suas à posterioribus arcendo in priora deducere: sed Ecclesia, ex citatis verbis, animas regere et pascere debet; aliundè textus dogma-

tici, prout naturali vel proprio sensu veram aut falsam, sanam aut perversam exhibent doctrinam, salubria vel noxia sunt animarum pascua; ergo Pastorum Ecclesiæ munus est et ipsis jus competit ut textus et libros dogmaticos expendant, et prout ipsis sanam aut perversam naturali et proprio sensu doctrinam referre videbuntur, approbent vel condemnent, fidelibus proponant vel ab eorum manibus eripiant : *C'est une chose appartenante à l'office de l'Eglise*, inquit Bossuetius in suâ ad Moniales Portûs-Regii Epistolâ, n.° 8*, quam suam fecit et vulgari curavit Cardinalis Noallius, anno 1709, *d'examiner non-seulement si une doctrine est bonne ou mauvaise en soi, mais encore s'il est véritable qu'elle ait été enseignée par tel et tel, et qu'elle soit contenue dans tel et tel livre, et ensuite, en prononçant sur ce doute, de juger définitivement sur ce fait, et de noter et condamner publiquement cet Evêque, ou ce Docteur, ou ce livre, comme enseignant une mauvaise doctrine, même en désignant en particulier telle et telle mauvaise doctrine. Cette vérité est constante, et il n'y a personne qui ne voie que ravir à l'Eglise cette autorité, c'est l'exposer nue et désarmée aux faux Docteurs.*

Prob. 2.° *ex constantissimâ Ecclesiæ praxi.* Ipsa enim sive per orbem dispersa, sive in Conciliis congregata, non solùm recta fidei dogmata approbavit et ipsis contraria proscripsit, sed etiam textus et libros in quibus sanam aut perversam

---

* Vide in hanc Epist. notam Edit. Versal., tom. 37, pag. 126; et Hist. Bossuet. à D. D. *de Bausset* conscript., ad calcem tom. 1, pag. 456, n.° 2.

naturaliter exprimi doctrinam judicavit, pro diversâ eorum conditione, probavit vel damnavit. Sic, v. g., Patres Concilii Nicæni, generalis I, non modò hæresim arianam, sed etiam lib. *Thalia* inscriptum, tanquam ariano infectum veneno, damnârunt; similiter Patres Concilii Ephesini, generalis III, et dogma catholicum unius in Christo personæ stabilierunt, simulque scripta Nestorii tanquam hæresim contrariam exprimentia reprobârunt; item Ecclesia in Concilio Constantinopolitano II, generali V, congregata, tria damnavit Capitula tanquam nestoriana, etsi plures perversæ hæresis sensum præfatis Capitulis abjudicarent: *L'antiquité,* inquit Bossuetius, loco citato, *est pleine de pareils exemples.*

Prob. 2.ª *pars*, videlicet, *Ecclesiam habere jus suis ejusmodi judiciis fidele mentis obsequium exigendi, omnesque ad illud præstandum teneri.* 1.° *Ex Script.* in quibus, ex unâ parte, omnis data est Episcopis potestas ab bonum Ecclesiarum regimen necessaria; Matth. c. 28, ℣. 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ, etc.;* Act., c. 20, ℣. 28: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos,* etc.; et ex alterâ parte, commendatur necessitas audiendi Ecclesiam et præceptis ipsius obediendi; Matth. c. 18, ℣. 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus;* et ad Hebræos c. 13, ℣. 17: *Obedite præpositis vestris.*

Prob. 2.° *ex praxi Ecclesiæ,* quæ tantò efficacius nobis in hoc præbet argumentum, quantò certius est ipsam sibi jus quo careat tribuere non posse.

Primum exemplum sumitur ex Concilio Chalcedonensi, cujus Patres, Actione 8.ª, sic Theodo-

retum Cyrensem Episcopum allocuti sunt : *Clarè dic anathema Nestorio et dogmatibus ejus... Theodoretus... respondens dixit : Verè non dico nisi quomodò novi Deo placere; Nestorium et omnem hominem dicentem..... duos* esse in Christo *filios anathematizo.* Sed cùm illa damnatio tantùm esset conditionata, iterùm *Episcopi clamaverunt : dic apertè anathema Nestorio.* Cùm adhuc hæsitaret, Patres Concilii dixerunt : *Iste hæreticus est, iste Nestorianus est, hæreticum foràs mittite ;* quibus tandem clamoribus cessit Theodoretus, dicens anathema Nestorio. Ex quibus patet Concilium Chalcedonense non solùm exegisse ut hæresis duarum in Christo personarum damnaretur, sed insuper coegisse Theodoretum, sub pœnâ anathematis, ut facto Nestorii subscriberet.

Alterum sumitur ex Conc. Generali V : *Factâ autem à nobis,* inquiunt Patres hujus Concilii, *factâ condemnatione contra Hæreticos.* (Nestorianos scilicet), *et eorum impietatem necnon etiam contra eos qui defendunt tria prædicta Capitula,* etc., ipsis nimirùm, post condemnationem Ecclesiæ, catholicum tribuentes sensum. Hinc ipse Facundus, Hermianensis Episcopus, etsi hæresi Nestorii totis rèpugnaret viribus, se tamen ab hoc Concilio damnatum fuisse testatus est, lib. 2, ob hanc causam quòd tria Capitula velut ab errore nestoriano pura defenderet : *Vous voyez,* inquit Bossuetius in opere jam citato, n.° 14, *que l'Eglise ayant rendu de tels jugemens, savoir, que telle doctrine est enseignée par tel et tel, ou qu'elle est contenue dans tel et tel livre, elle les croit si importans, si bien fondés et si certains, qu'elle ne craint point de les*

insérer dans ses professions de foi publiques et d'en exiger la souscription comme une condition nécessaire pour recevoir sa communion et sa paix. Or, il n'y a personne qui ne voie qu'elle ne pourrait faire ces choses, si elle ne tenait pour maxime certaine et indubitable, qu'il y a une autorité suffisante dans de tels décrets pour obliger ses enfans à y souscrire sans peine; de sorte que c'est aller directement contre son esprit et sa conduite, que de craindre de mentir ou de rendre un faux témoignage en souscrivant sur la foi de ces jugemens canoniques. Et n.° 12: *Je n'ignore pas qu'on répond que les faits sur lesquels intervenaient de tels jugemens étaient constans et notoires par l'aveu des parties; mais il n'y a rien de plus vain et de plus mal fondé que cette réponse.* Quod quidem exemplis demonstrat idem auctor; ex quo patet ipsius judicio, non præcisè ob evidentiam facti, sed propter summam judicantis Ecclesiæ auctoritatem suis ejusmodi decretis adhærendum esse.

Prob. 3.ª *pars*, videlicet, *Ecclesiam errare non posse in judicando de factis dogmaticis.* 1.° *Ex Script.* Matth. c. 28, ℣. 19. *Euntes... docete omnes gentes*, etc. Ecclesia infallibilis est in docendo; doctor autem infallibilis non potest tradere documenta quorum sensus expressus et naturalis erroneus sit: atqui si Ecclesia errare possit in detegendo sensu naturali et expresso textuum dogmaticorum, jam potest tradere fidelibus documenta quorum sensus naturalis et expressus erroneus erit; etenim si Ecclesia possit errare circa sensum naturalem textuum dogmaticorum quos approbando fidelibus proponit, vel improbando ab iisdem avertit, jam

fieri potest ut judicet aliquem sensum verè catholicum naturaliter exprimi per textum dogmaticum qui reverà sensum hæreticum naturaliter exhibeat : atqui in hâc hypothesi Ecclesia proponeret fidelibus documentum cujus sensus naturalis hæreticus foret ; ergo, etc.

I ad Timoth. c. 6, ℣. 20 : *Depositum custodi,* inquit Apostolus, Timotheum alloquens, *devitans profanas vocum novitates ;* et II c. 1, ℣. 13 : *Formam habe sanorum verborum ;* undè sic : Ecclesia, quæ non potest deesse officio suo propter assistentem Spiritum Sanctum, profanas vocum novitates devitare, sanamque verborum formam conservare tenetur, ex Apostolo : atqui si errare posset circa facta dogmatica, jam posset deesse officio suo, non devitando profanas vocum novitates, sanamque verborum formam non conservando ; ille enim docendo non devitat profanas vocum novitates, nec sanam verborum formam conservat, qui per textus vel libros docet, quorum sensus naturalis est erroneus : atqui si Ecclesia errare possit circa facta dogmatica, jam ipsa poterit docere fideles per textus seu libros hæreticos quorum sensus naturalis erit erroneus.

2.° *Ex consensu omnium Catholicorum VI seculi.* Tunc enim temporis Catholici duas in partes scindebantur : ex unâ parte multitudo Episcoporum capiti suo adhærentium tria Capitula, id est, libros hæreticos Theodori Mopsuesteni, scripta Theodoreti contra S. Cyrillum, et Epistolam Ibæ ad Marim Persam, velut nestoriana reprobabat. Ex alterâ parte, non pauci Episcopi ex Africâ, Hispaniâ, Galliâ et Istriâ, eadem Capitula ut rectæ fidei consona et veneno nestoriano minimè infecta recipiebant ; atqui tum

defensores, tum impugnatores trium Capitulorum consentiebant Ecclesiam infallibilem esse circa facta dogmatica ; ergo ex consensu omnium Catholicorum VI seculi probatur Ecclesiam esse infallibilem in judicando de factis dogmaticis.

Ut *minor* aperta fiat duo probanda sunt : 1.[um] inter defensores et impugnatores trium Capitulorum dissentionem fuisse de *facto dogmatico ;* alterum, ipsos tamen inter se de hoc consensisse, controversiam quæ ipsos dividebat dirimi potuisse, et quidem infallibilitèr, ab Ecclesiâ : atqui hæc duo verissima sunt ; 1.° quidem defensores et impugnatores trium Capitulorum de *facto dogmatico* disputabant, an scilicet hæresis nestoriana, quam utraque pars contendentium respuebat, tribus Capitulis naturaliter exprimeretur. Sic enim loquitur Facundus Hermianensis, lib. 5, cap. 1, sermonem faciens de trium Capitulorum impugnatoribus : *Epistolam Ibæ quasi nestorianam culpare et abjicere præsumpserunt ;* et cap. 4 ejusdem libri referens sententiam propugnatorum eorumdem Capitulorum : *Epistola* (Ibæ), inquit, *duas naturas et unam personam unius Filii Domini Jesu Christi prædicat ;* ergo inter defensores et impugnatores trium Capitulorum, dissentio erat de facto dogmatico, an, scilicet, hæresis nestoriana in eis exprimeretur vel non. 2.° Defensores et impugnatores trium Capitulorum inter se de hoc consentiebant, controversiam, quæ ipsos dividebat, ab Ecclesiâ infallibiliter dirimi posse ; quantùm ad defensores, constat ex Facundo Hermianensi, lib. 5, cap. 5 : *Sufficit nobis*, inquit, *ad defensionem ipsius Epistolæ* (Ibæ) *quòd eam Synodus* (Chalcedonensis) *approbavit. Hæc est prima et im-*

mobilis ratio quæ nos tuetur adversùs omnes contradicentium quæstiones, ut... citò non moveamur à nostro sensu, vel si minùs dare possumus rationem cur Synodus eam orthodoxam judicavit; neque enim alia est Conciliorum faciendorum utilitas quàm ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus. De impugnatoribus verò trium Capitulorum res non minùs certa est: ultrò enim concedebant adversariis suis tria Capitula non potuisse damnari, si comprobata fuissent à Concilio Chalcedonensi œcumenico. Hinc idem Facundus de iis sic loquitur, lib. 5, cap. 1: *Sciebant pietatem ferre non posse, si condemnanda diceretur Epistola quam Synodus* (œcumenica Chalcedonensis) *approbavit...; ideò jactaverunt quòd à magno concilio suscepta non fuerit.* Hinc Pelagius II Papa, ut averteret Episcopos Istrienses à defensione trium Capitulorum, quæ à Concilio Chalcedonensi comprobata fuisse falsò putabant, ipsis non opponit Concilia œcumenica errare posse in factis dogmaticis, sed negat ejusmodi approbationem à Concilio datam fuisse.

3.° Tam Ecclesia est infallibilis in dignoscendo sensu naturali textûs vel libri dogmatici, v. g., libri Jansenii, ut damnetur, quàm in detegendo sensu naturali textûs vel libri dogmatici, v. g., operum S. Augustini, circa gratiam, ut approbetur: atqui juxta adversarios, Ecclesia in approbandis S. Augustini operibus circa gratiam, sensum eorum naturalem et legitimum certissimè assecuta est, cùm hâc præsertim de causâ quinque propositiones in sensu Jansenii damnare nolunt, quia ipse est S. Augustini sensus quem approbavit Ecclesia; ergo pari jure dicendum

est ipsam certò assecutam fuisse sensum naturalem libri Jansenii. Nec dicatur disparitatem adesse in eo quòd forsitan textus S. Augustini sit clarus, secùs verò de Jansenii textu; namque absurdum est dicere Jansenium viginti annis laborasse ut textum S. Augustini, quem repræsentare voluit in opere suo, obscurum efficeret; prætereà si adeò clarus sit S. Augustini textus, cur tot olim motæ sunt et etiam nunc moventur de sensu ipsius legitimo controversiæ?

4.° *Ratione theologicâ.* Ecclesia infallibiliter assequitur sensum naturalem et expressum propositionum quas approbat vel improbat, ut confiteri coguntur adversarii; igitur nulla est propositio in textu dogmatico, cujus sensum expressum et naturalem infallibiliter assequi nequeat: sed, ut evidens est, Ecclesia non potest assequi infallibiliter sensum omnium propositionum textûs dogmatici, quin assequatur sensum libri qui ex iis propositionibus resultat. Et verò, ideò Ecclesia non est infallibilis, quia non revelatum est quid usu recepto, et habitâ ratione grammaticæ legum, significetur per contextum verborum ex quibus exsurgit textus dogmaticus: sed pariter revelatum non est quid usu recepto, et habitâ ratione grammaticæ legum, significetur per contextum verborum ex quibus coalescunt propositiones; ergo pariter dicendum erit Ecclesiam non infallibiliter percipere sensum propositionum vel Symbolorum quæ approbat. Præterea Ecclesia fideles cogere non potest sub pœnâ anathematis ejurare fidem catholicam: atqui si Ecclesia erraret in factis dogmaticis, posset fideles cogere sub pœnâ anathematis ejurare fidem catholicam; tunc enim Ecclesia censeri debet nos cogere ad ejurandam

randam fidem catholicam, cùm sub anathemate nos cogit ejurare propositiones in sensu expresso et naturali libri qui fidem catholicam clarissimè prædicat : atqui positâ fallibilitate Ecclesiæ, jam illud posset contingere ; imò hâcce ætate contigisset, si adversariis fides sit ; certum est enim corpus episcopale, capiti suo conjunctum, nos cogere sub pœnâ anathematis ejurare quinque propositiones in sensu naturali et expresso libri Jansenii ; aliundè non minùs certum est, ut volunt adversarii, librum Jansenii fidem catholicam ita continere, ut damnari nequeat quin renoventur errores Pelagianorum aut Semipelagianorum ; ergo, etc.

Obj. 1.° *contra* 2.am *partem.* Nemo potest cogi ad assentiendum interiùs judicio fallibili : atqui judicium Ecclesiæ circa facta dogmatica fallibile est ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. in hypothesi minoris, et minorem in hypothesi majoris : itaque cùm, ex probatis suprà, constet homines teneri ad interiùs assentiendum judicio Ecclesiæ circa facta dogmatica, disjunctivè sequitur aliquem ex hypothesi fallibilitatis Ecclesiæ in suis circa facta dogmatica judiciis, cogi posse ad interiùs assentiendum judicio moraliter certo, etsi absolutè fallibili, et proindè falsam esse majorem argumenti propositi in hypothesi minoris ; vel ex hypothesi quòd nemo cogi possit ad interiùs assentiendum judicio absolutè fallibili, quantumvis moraliter certo, tunc Ecclesiam in suis circa facta dogmatica judiciis errare non posse, et proindè falsam esse minorem argumenti in hypothesi majoris ; scilicet, ex probatis, Ecclesia exegit olìm, et etiamnùm exigit, ut suis circa

facta dogmatica judiciis mentis obsequium præstent fideles, ipsosque ad illud teneri solemniter declaravit in Bullâ, *Vineam Domini Sabaoth;* ergo sufficienti ad hoc potestate gaudet. *Consequentia* evidens est: undè ulteriùs sequitur Ecclesiam esse infallibilem in factis dogmaticis, si prædicta infallibilitas necessaria sit ut mentis obsequium præstare teneantur fideles; vel si infallibilitas illa ad hoc minùs necessaria sit, tunc contra præfati mentis obsequii necessitatem ex hoc infallibilitatis defectu pessimè arguitur: *Si vous donnez pour réponse,* inquit Bossuetius in opere citato, n.° 20, *que les sentences de l'Eglise, en ce qui touche les faits, ne sont pas tenues infaillibles, et que vous vous laissiez encore troubler par ceux qui ramassent avec tant de soin les jugemens de cette nature dont il y a eu quelque plainte ou quelque soupçon, trouvez bon que, sans vous engager à une longue discussion de ces faits, par laquelle vous verriez peut-être qu'on ne peut en tirer aucun avantage, je vous demande si vous pouvez dire ou penser, et si quelqu'un est capable de vous persuader que vous ne pouvez rien croire sur l'autorité de l'Eglise et de vos supérieurs que lorsqu'ils vous parlent avec une autorité infaillible, et si vous ne demeurez pas d'accord au contraire... que c'est une vertu chrétienne et religieuse de soumettre et d'anéantir son jugement propre, même hors des cas des vérités révélées, sur-tout dans les choses qu'on ne sait pas...; enfin s'il n'est pas certain et indubitable qu'au dessous de la Foi théologale, il y a un second degré de soumission et de créance pieuse, laquelle peut être souvent appuyée sur une si*

grande autorité, qu'on ne peut la refuser sans une rebellion manifeste.

Resp. 2.° *Nego min.* propter rationes in probatione allatas.

Obj. 2.° Ecclesia tantùm exegit subscriptionem suis judiciis circa facta dogmatica quæ clara sunt, ergo, etc.

Resp. Nego ant. Namque 1.° suis ejusmodi judiciis assensum, auctoritate suâ, et non præcisè rei evidentiâ innixum exegit; 2.° exegit illum ab iis qui, repugnando Ecclesiæ definitioni circa factum dogmaticum, claritatem ejus ex consequenti negabant; 3.° subscriptionem exegit suo judicio circa facta dogmatica Nestorii et trium Capitulorum, quæ obscuritate non carebant, ut ex numero et qualitate dissidentium apparet: *Sans m'arrêter ici,* inquit Bossuetius ibidem, n.° 12, *à une longue discussion de faits infinis, je demanderai seulement si quelqu'un peut assurer que les chefs des Hérésies et leurs sectateurs convinssent qu'on eût bien pris leur pensée, et qu'ils demeurassent toujours d'accord d'avoir enseigné les dogmes qui leur étaient attribués. Au contraire, n'est-il pas véritable qu'ils affectaient ordinairement de les cacher, et de parler comme les Orthodoxes, sur-tout quand leur parti était faible, qu'ils ne cessaient jamais de se plaindre qu'on les avait calomniés, et qu'encore même qu'ils convinssent d'avoir dit les paroles qu'on leur reprochait, ils ne convenaient pas toujours qu'on eût bien entendu leur sens ?.... Parmi tous ces artifices, vous voyez bien à quelles séductions l'Eglise serait exposée, si elle accordait cette maxime, que les jugemens qu'elle rend sur les ouvrages héréti-*

ques n'ont point de force jusqu'à ce que les faits soient avérés par le consentement des parties.

Obj. 3.° Definitionibus Ecclesiæ circa fidem adhærere sufficit; quoad facta verò, præsertim obscura, quæ simplices expendere nec tenentur nec possunt, satis est religiosum de his servare silentium.

Respondet Bossuetius in eâdem Epistolâ, n.° 19 : *Vous croyez avoir satisfait à tout, quand vous déclarez que vous soumettez votre jugement à toutes les décisions de foi de l'Eglise de Rome; et elle vous répond par la bouche du Pape Saint Hormisdas : Si vous embrassez ma foi, suivez aussi mes jugemens. Vous croyez qu'il n'y a plus rien à vous demander, quand vous avez dit que vous ne prenez point de part aux contestations; à la bonne heure, ne prenez jamais de part aux contestations; mais n'est-ce pas trop d'indifférence de n'en vouloir point prendre aux décisions?*

Obj. 4.° Inter addictissimos Ecclesiæ auctoritati Christianos, quosdam videre est qui auctores justificare non dubitant, etsi opera ipsorum ab Ecclesiâ proscripta fuerint : v. g., Honorius Papa, licèt à Concilio generali VI damnatus sit ut hæreticus, tamen, juxta plures, ab hæresi vindicatur; ergo et à pari, etc.

Resp. Post damnationem operum alicujus auctoris defendi adhuc potest ipsius persona, dicendo scilicet ipsum linguâ, non mente lapsum fuisse, vel ipsum in errore non fuisse pertinacem; etiam defendi potest sensus mentalis ejusmodi operum, ille scilicet quem in mente auctor habuit, cùm illa scriberet : sed auctoritas quâ in damnandis, vel approbandis operibus

dogmaticis gaudet Ecclesia, non patitur ut ea quæ tanquam sanæ doctrinæ contraria damnavit, neglecto ipsius judicio, velut catholica defendantur, sub eo pretextu quòd Ecclesia sensum eorum naturalem assecuta non fuerit. Itaque auctores quorum Ecclesia damnavit libros, defenduntur à multis primo vel secundo sensu, aut etiam altero non multùm dissimili; non autem posteriori sensu. Si tamen ejusmodi quidam inveniantur, derelinquimus eos, nec auctoritas eorum prævalere potest adversùs momenta quæ in nostræ assertionis gratiam protulimus, quibus ipsi, ut opinor, cessissent, si post controversias postremis hisce temporibus agitatas vixissent. Hinc ipse Baronius, quem velut contrarium nobis opponunt adversarii, sic loquitur tom. 2 Annalium suorum : *Miratus sum vehementer post damnationem ejus* (Origenis) *ab Anastasio Papâ factam, post ejusdem reprobationem in VI Synodo, post tot antiquorum Patrum in idipsum conspirantes sententias, adhuc recentiores quosdam ausos esse, pro eodem novas edere apologias, et auctoritate totius Catholicæ Ecclesiæ judicatas sæpiùs controversias denuò temerè excitare.*

Ad confirmationem ex Honorio sumptam, *resp.* Theologos qui Honorium et epistolas ejus ab hæreseos labe purgant, non eo niti principio, quòd Ecclesiæ circa facta dogmatica judiciis obedire non teneamur : sed alii volunt Acta Concilii generalis VI fuisse postmodùm corrupta; quidam contendunt Honorii damnationem non à toto Concilio generali, sed à solis Græcis factam fuisse; aliqui volunt judicium hujus Synodi cadere in epistolas Honorii in græcam linguam

infideliter translatas, non in latinum exemplar; multos etiam reperire est qui docent Honorium à VI Synodo fuisse damnatum, non ut hæreticum, sed ut fautorem hæreseos. Dantur et aliæ solutiones, quas videris apud Theologos; apud P. *Berti,* tom. 2, pag. 238, qui post recensionem earum concludit, ex facto Honorii nihil contra infallibilitatem Ecclesiæ circa facta dogmatica erui posse.

Obj. 5.° Epistola Ibæ damnata fuit ut hæretica in Concilio generali V, ut omnes fatentur; tamen ipsa approbata fuerat à Concilio Chalcedonensi, generali IV: *Relectâ,* inquiunt legati Papæ, actione 10.ª, Ibæ *epistolâ, agnovimus eum esse orthodoxum;* ergo alterutrum ex his erravit.

Resp. Nego ant., quoad secundam partem. Namque falsum est epistolam Ibæ comprobatam fuisse à Concilio Chalcedonensi; contrarium enim probatur, 1.° ex Patribus Concilii V, Collatione 8.ª, etc.; 2.° ex ipsismet actibus Synodi Chalcedonensis, generalis IV, juxta quos Ibæ tantùm, non autem epistolæ ipsius orthodoxia declarata est, postquàm Nestorio et Eutycheti anathema clarè dixisset.

Ad textum in objectione propositum *respondeo* 1.° ex eo tantùm inferri posse Ibæ epistolam à legatis Papæ, aut à quibusdam aliis fuisse approbatam, ut annotat ipsa V Synodus: *Non unius vel duorum interlocutionem attendere oportet, sed hæc quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.* 2.° Patres illi qui probare videntur Ibæ epistolam, non ex relectâ epistolâ Ibam agnoscunt orthodoxum, eo sensu quòd omnes voces ipsius epistolæ juxta accura-

tas orthodoxiæ leges essent castigatæ, sed eo sensu quòd epistola illa erat instrumentum sufficiens orthodoxiæ illius personalis; instrumentum enim sufficiens orthodoxiæ personalis erat tunc temporis merum obsequium conditionibus pacis inter S. Cyrillum et Joannem Antiochenum compositæ, ut omnibus historicis monumentis hujus seculi constat: porrò epistola Ibæ luculenter asserebat Ibam hisce conditionibus pacis obsequium præstitisse.

Obj. 6.° Recens est opinio de infallibilitate Ecclesiæ circa facta dogmatica, Patribus et Theologis ignota ante damnationem quinque propositionum in sensu Jansenii; imò à non paucis expressè rejecta; à S. Thomâ, Quodlibeto 9: *In sententiis*, inquit, *quæ ad facta particularia spectant, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes;* à Cardinali Bellarmino, lib. 4 de Romano Pontifice, cap. 11: *Tutò*, inquit, *dicere possumus hos Patres* (Concilii generalis VI) *deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum Hæreticis connumerasse Honorium;* à Cardinali Baronio, ad annum 681: *In iis*, inquit, *quæ ad personas pertinent, et scripta ipsarum, non ita rigidè reperitur custodita censura.* Undè concludit Honorium posse defendi, etiamsi à Concilio generali VI fuisset damnatus.

Resp. Nego ant. Sententia infallibilitatis Ecclesiæ circa facta dogmatica non est nova; illa enim sententia non est nova, quæ fundatur in verbis quibus Christus Ecclesiæ promisit infallibilitatem in docendo, de quâ omnes consentiebant tempore Concilii V generalis, et quam suadet constans Ecclesiæ praxis: atqui talis est sententia

infallibilitatis Ecclesiæ circa facta dogmatica; ergo, etc. In hâc sententiâ nihil novi, præter nomen *facti dogmatici;* quod recentiùs excogitatum est, perspicuitatis et brevitatis causâ. Cæterùm ante disputationem exortam occasione damnationis quinque propositionum, vix de illâ infallibilitate controversia mota fuerat, quia non separabatur ab inerrantiâ ejusdem Ecclesiæ circa jus seu doctrinam, propter connexionem quæ reperitur inter jus et factum dogmaticum. Quoad S. Thomam, *resp.* illum non loqui de factis dogmaticis, sed de factis personalibus, ut patet ex iis quæ immediatè sequuntur, *propter falsos testes :* porrò fatemur Ecclesiam errare posse circa facta naturalia et particularia, utilitati et bono Ecclesiæ minimè necessaria.

Quoad Bellarminum, sic ille loquitur, lib. 3, de Ecclesiâ militante, cap. 14 : *Iniquum esset sub tam gravi pœnâ* (anathematis scilicet) fideles *obligari ad assentiendum rebus incertis et interdùm falsis :* atqui Ecclesia sæpiùs exegit et etiamnùm exigit, sub pœnâ anathematis, ut suis circa facta dogmatica judiciis fideles mentis obsequium omnes præstent; ergo, juxta principium Bellarmini, infallibilis est Ecclesia circa facta dogmatica : hinc si ex textu hujus auctoris in objectione allato aliquid contrarium colligatur, tunc sibi contradicit, et proindè nullius ponderis in præsenti causâ videri debet ipsius auctoritas, cæterùm explicari potest, et ad sensum nostræ thesi minimè contrarium adduci : nimirùm de sensu alicujus libri dogmatici judicari potest, vel è solo contextu, habitâ ratione antecedentium et consequentium, vel ex circumstantiis externis auctoris libri; in priori casu, agitur de facto dogmatico;

in posteriori autem, de facto personali : porrò cùm Bellarminus asserit Concilium generale VI errare potuisse damnando Honorium, non benè intellectis ipsius epistolis, supponit de iis à Concilio generali VI pronunciatum fuisse, non ex solo contextu epistolarum, qui de se erat æquivocus et insufficiens, sed ex circumstantiis externis auctoris illarum, Honorii scilicet; quòd autem sic intelligendus sit Bellarminus, probari potest ex eo quòd, in textu citato, dicat Patres Concilii generalis VI *deceptos fuisse falsis rumoribus*.

Quoad Baronium, si eamdem explicationem pati non potest, omninò deserendus videtur, maximè cùm alibi videatur tueri Ecclesiam in detegendo sensu textuum dogmaticorum infallibilem esse. Sic enim loquitur : *Miratus sum vehementer*, etc., ut suprà.

Obj. 7.° Si Ecclesia esset infallibilis in suis circa facta dogmatica judiciis, jam post definitionem ejus facta dogmatica fide divinâ credenda forent : atqui absurdum est dicere facta dogmatica, etc.; etenim quod fide divinâ creditur, verbo Dei fundari debet : atqui facta dogmatica, ut potè divino verbo recentiora, in ipso fundari non possunt; ergo, etc.

Resp. 1.° Fateri coguntur adversarii saltem Deum potuisse largiri Ecclesiæ suæ infallibilitatem circa facta dogmatica : porrò in illâ hypothesi, quæro ab adversariis ad quam fidem pertinerent facta dogmatica : si dicant, ad fidem divinam, tunc falsa est minor argumenti propositi; si ad fidem ecclesiasticam respondeant, falsa est major argumenti propositi; ergo quidquid dicant, nullum est argumentum.

Resp. 2.° *Nego maj.* Ut alicui Ecclesiæ judicio fide divinâ adhæreamus, necessum est ut objectum illius judicii revelatum sit : atqui facta dogmatica, quamtumvìs ab Ecclesiâ definita, non sunt revelata, ut evidens est; ergo fide divinâ credenda non sunt, sed tantùm *fide ecclesiasticâ;* id est, propter auctoritatem Ecclesiæ definientis.

Nota hâc verborum formulâ, *in sensu ab auctòre intento,* quâ nonnunquàm est usa Ecclesia in damnandis libris, non mentalem seu internum auctoris sensum designari, sed externum, quem scilicet verba libri naturaliter intellecta præ se ferunt, quique meritò dici potest sensus ab auctore intentus, quia auctor meritò præsumitur sensum naturalem sui operis intendisse, etsi contrarium absolutè contingere possit. Quòd talis sit vel talis sensus mentalis, factum est personale, circa quod absolutè errare potest Ecclesia; quòd autem talis vel talis sit externus ac naturalis libri vel textûs dogmatici sensus, factum est dogmaticum, in quo Ecclesia errare nequit, ex probatis. Hinc ista Cardinalis Norisii animadversio, in suâ Monachorum Scythiæ apologiâ : *Quo judicio* (Constantinopolitani Concilii, in causâ trium Capitulorum) *demonstratur in damnandis propositionibus in sensu ab auctoribus intento non errare Ecclesiam, neque licitum retractare judicium ab eâ latum.*

CAPUT IV.

De variis modis quibus Ecclesia suam infallibilitatem exercere potest.

Tres erunt hujus capitis articuli. Agemus 1.° de infallibilitate Ecclesiæ per orbem dispersæ ; 2.° de ejusdem infallibilitate in Conciliis congregatæ; 3.° de ipsius auctoritate in damnandis propositionibus *in globo*.

ARTICULUS PRIMUS.

De infallibilitate Ecclesiæ per orbem dispersæ.

Duo hìc quæruntur 1.° an Ecclesia per orbem dispersa sit infallibilis in docendo; 2.° an etiam infallibilis sit cùm definitioni dogmaticæ Summi Pontificis, Episcopi tacitè consentiunt.

§ I.

An Ecclesia per orbem dispersa sit infallibilis in docendo.

Quæstio præcisè non est an Ecclesia per orbem dispersa ita sit infallibilis in docendo ut ipsam ad docendum in Conciliis congregari nunquàm opus sit, Concilia enim aliquandò necessaria esse possunt; sed quæritur an etiam Ecclesia per orbem dispersa docere et fidei controversias dirimere possit, ita ut, quotiescunquè sic docet, infallibiliter doceat.

PROPOSITIO.

Ecclesia, etiam per orbem dispersa, infallibilis est in docendo.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 28, ℣. 19: *Euntes*

docete omnes gentes, etc. Ut Ecclesiæ dispersæ data sit infallibilitas, duo requiruntur et sufficiunt : 1.° ut per hæc verba, *Euntes docete*, etc., Christus Ecclesiæ dispersæ docendi potestatem contulerit; 2.° ut Ecclesiæ quotiescunquè docet, infallibilitatem promiserit : atqui hæc duo certa sunt; 1.um quidem : verba enim Christi generalia sunt, nullamque includunt restrictionem juxta quam illa docendi potestas Ecclesiæ in aliquo tantùm, et non in omni statu competat; 2.um quoque certum est; nam Christus indefinitè promisit infallibilitatem Ecclesiæ docenti : atqui Christus indefinitè promittendo, ipsi promisit infallibilitatem quotiescunquè docebit; etenim ut fert vulgare axioma, *indefinita promissio æquivalet universali;* ergo, etc. Hìc proferri possent omnes textus SS. PP. in quibus de infallibilitate Ecclesiæ loquuntur; etenim nullibi eam restringunt, ut soli Ecclesiæ congregatæ tribuant; ergo censebant Ecclesiam dispersam, æquè ac congregatam, infallibilem esse in docendo. Deindè Hæreticos traducunt multos qui ab Ecclesià dispersâ tantùm condemnati fuerunt; ergo Ecclesiam dispersam credebant infallibilem esse fidei controversiarum judicem : *Quasi*, inquit S. Aug., lib. 4 ad Bonifacium, *quasi nulla hæresis aliquandò, nisi Synodi congregatione damnata sit ; cùm potiùs rarissimè inveniantur propter quas damnandas necessitas talis exstiterit.*

Prob. 2.° *ex constanti Ecclesiæ praxi.* Sic hæresis pelagiana, et semipelagiana pluresque aliæ, absque Concilio generali irreformabiliter damnatæ sunt.

Prob. 3.° *ex auctoritate Theologorum.* Sacra Facultas Parisiensis de duabus ex libro cui titulus,

le Pacifique véritable, excerptis propositionibus, sic habet : *Hæ propositiones in quantùm infallibilitatem Ecclesiæ universali in nullo alio statu quàm in solo Concilio œcumenico congregatæ tribuunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ, et* HÆRETICÆ.

Illustrissimus *Bossuet,* libro 15 Variat. n.° 99 : *On ne peut nier,* inquit, *que sans que toute l'Eglise fût assemblée, elle n'ait suffisamment condamné Novatien, Paul de Samosate, les Manichéens, les Pélagiens, et une infinité d'autres sectes; ainsi, quelque secte qui s'élève, on pourra toujours la condamner, comme on a fait celles-là, et l'Eglise sera infaillible dans cette condamnation, puisque son consentement servira de règle.*

Hæc adeò sunt clara et nota omnibus Catholicis, ut D. *Talon* in supremâ Parisiensi Curiâ regiarum causarum patronus, sic dissereret anno 1665 : *Il faut avouer que ce serait semer un poison fort dangereux que d'enseigner que rien ne peut être déterminé touchant la foi, que dans un Concile général. Les amateurs de la nouveauté ne manqueraient pas de prendre les difficultés et les obstacles qui se rencontrent dans leur convocation pour des occasions de schisme, et des prétextes d'enseigner impunément tout ce que le caprice pourrait leur suggérer.*

Obj. 1.° Eodem modo judicandum est de Episcopis ac de Senatoribus, qui in Curiâ regiâ congregati tantùm judicant; ergo, etc.

Resp. Nego ant. In his quæ sunt juris positivi, argumentum à pari non valet. Juxta regni statuta, congregati tantùm judicant Senatores; non ita est de Episcopis, Deo sic volente et insti-

tuente, cujus quidem institutio probatur, tum ex verbis Christi, *Euntes docete*, etc., quæ generalia sunt, et tam Ecclesiæ dispersæ quàm congregatæ conveniunt; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ non minùs dispersa quàm congregata, hæreses damnavit, ex sensu omnium Catholicorum. Ratio autem cur Christus non tantùm Ecclesiæ congregatæ, sed etiam dispersæ, privilegium infallibilitatis donaverit, hæc est, quòd sæpiùs impossibilis, aut saltem nimiùm difficilis sit Conciliorum generalium congregatio, ita ut si nullum aliud hæreses damnandi medium suppeteret, non raró per longum tempus longè latèque grassarentur.

Inst. Sæpè in Conciliis generalibus ad examen revocata sunt quæ ab Ecclesiâ dispersâ fuerant definita; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Controversiæ ab Ecclesiâ dispersâ definitæ, pluries in Conciliis generalibus iterùm agitatæ sunt, non propter fallibilitatem prioris judicii, sed ut faciliùs ad dogma catholicum revocarentur Hæretici, quibus in Synodis datur facultas objectiones proponendi et solutionem difficultatum suarum accipiendi.

Obj. 2.° S. Aug., lib. 4 ad Bonifacium, asserit quasdam esse hæreses propter quas damnandas necessaria sunt Concilia; ergo saltem Ecclesia dispersa non est infallibilis circa omnes fidei vel disciplinæ controversias.

Resp. Quidquid sit de legitimo sensu textûs S. Augustini, quem alii de absolutâ, alii verò de necessitate secundùm quid intelligunt, *dist. cons.* Ecclesia dispersa non est infallibilis circa omnes fidei vel disciplinæ controversias, eo sensu quòd de illis aliquandò judicare non debeat, *conc.;* eo sensu quòd in iis de quibus dispersa judicat,

errare possit, *nego*. Igitur fide divinâ certum est Ecclesiam dispersam ex hypothesi quòd doceat, toties infallibiliter docere, ratio est quòd promissio Christi generalis sit et absoluta. Hinc si congregatio Episcoporum alicui controversiæ dirimendæ foret necessaria, tunc Ecclesia dispersa non eam judicaret, sed in Concilio generali ad ferendam definitionem congregaretur.

§ II.

An Ecclesia sit infallibilis cùm definitioni dogmaticæ summi Pontificis Episcopi tacitè consentiunt.

Duplici modo Episcopi suum præbere possunt assensum definitioni à Summo Pontifice prolatæ, *expressè et solemniter*, cùm scilicet illorum consensus pastoralibus documentis aut aliis actibus publicis manifestatur; et *tacitè*, cùm eidem definitioni adhærere censentur, licèt ab eâ expressè approbandâ variis de causis abstineant. De consensu expresso et solemni nulla occurrit difficultas; fatentur enim ii cum quibus rem habemus, definitionem dogmaticam Summi Pontificis vim infallibilem obtinere ubi Episcopi expressè et solemniter ipsi adhærent. Multi etiam concedunt tacitum consensum Episcoporum aliquandò consensioni expressæ æquivalere, præsertìm cùm consensus hujusmodi factis et usu palàm innotescit. Igitur in eo præcisè versatur quæstio, an silentium Episcoporum circa Summi Pontificis definitionem dogmaticam, nonnullis in casibus, sufficiens sit indicium taciti illorum consensùs; seu, an Episcopi eam definitionem approbare censendi sint, quia tacent.

PROPOSITIO.

Definitio dogmatica à Summo Pontifice ad universas Ecclesias directa, et modo sufficienti promulgata, ab Episcopis verè approbatur eo ipso quòd non reclamant; et illa tunc tanquam irreformabile judicium habenda est.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 28, ℣. 19 et 20: *Docete.... ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem seculi;* Christus ita Apostolis et eorum successoribus se adfuturum promisit, ut non solùm semper rectè docerent, sed etiam ut docerent quotiescunquè ad servandum fidei depositum eos docere necessarium foret, alioquin Christus suæ Ecclesiæ non satis providisset, ut evidens est: atqui in hypothesi definitionis erroneæ à Summo Pontifice ad omnes Ecclesias directæ, Episcopos docere foret necessarium, tum ad propulsandum periculum fidei, quod ex definitione erroneâ Summi Pontificis immineret, non reclamantibus Episcopis; tum quia eorum silentium in hâc hypothesi, ab omnibus haberetur velut approbatio doctrinæ quæ à Summo Pontifice proponeretur; *Error* enim, juxta effatum Felicis III, quod ut axioma in Jure obtinuit, *error cui non resistitur, approbatur; et veritas, cùm non defensatur, opprimitur.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Augustinus, Epist. 55 ad Januarium, cap. 19: *Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec* TACET, *nec facit* Ecclesia: porrò si corpus episcopale non reclamaret in prædictâ hypothesi, tunc Ecclesia taceret in iis quæ sunt contra fidem vel bonam vitam; ergo, etc.

Prob. 3.° *ex praxi Ecclesiæ.* Notum est, et omnes fatentur, legitimè proscriptos esse à Sum. Pontificibus errores Pelagianorum, Baii, Molinosi, etc. : atqui tamen nulla accedit expressa acceptatio ex parte Episcoporum; de Pelagianorum damnatione audiamus ipsum Quesnellum, *Tradition de l'Eglise Romaine*, 3.e partie, pag. 330 : *Le reste des Eglises du monde s'étant contentées de voir entrer en lice les Africains et les Gaulois, et d'attendre ce que le S. Siége jugerait de leurs différens, leur silence,* QUAND IL N'Y AURAIT RIEN DE PLUS, *doit tenir lieu d'un consentement général, lequel, joint au jugement du S. Siége, forme une décision qu'il n'est pas permis de ne pas suivre.* Præiverat Petrus Aurelius *(l'Abbé de S. Cyran)*, acerrimus Jansenii defensor, pag. 127 : *Consentiunt* (Episcopi) *dùm publicè laboranti atque oppressæ veritati non succurrunt; cùm quiescunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant....* SATIS CONSENSU TACITO CLAMAT ECCLESIA, *cùm reclamare deberet, si dissentiret : officio enim deesse et veritatem prodere universa non potest.*

Hinc meritò Bossuetius : QUOCUNQUE MODO FIAT *ut Ecclesia consentiat*, TRANSACTA PLANÈ RES EST; *neque enim fieri potest unquàm ut Ecclesia spiritu veritatis instructa, non repugnet errori;* Append. ad Defens. Declar. Cleri Gall. lib. 3, cap. 2.

Diximus in propositione 1.°, *definitio dogmatica*, etc., id est, constitutio seu decretum quod fidem aut mores vel disciplinam generalem spectet, et tanquam norma et regula ad omnes Ecclesias dirigatur. Hinc facilè solvuntur quæ objici solent ex facto Honorii, ex Bullis Grego-

rii VII et aliorum Summ. Pontificum circa Regum temporalia, et ex celebri censurâ Cleri Gallicani, anni 1700, de silentio Episcoporum.

Diximus 2.°, *modo sufficienti promulgata;* si enim decretum Summi Pontificis, Episcopis non innotuerit, evidens est quòd censendi non sint illud approbare; undè necessum est à latâ definitione satis effluxisse temporis ut meritò præsumi possit ipsam ad notitiam Episcoporum pervenisse: illud autem temporis spatium non mathematicè, sed moraliter definiendum est.

Hic tandem ne longiores moras protrahamus, hæc subjiciantur solutionum principia: 1.um plurima à Jansenianis objici quæ applicari possunt Conciliorum generalium definitionibus, quorum ipsi infallibilitatem agnoscunt; 2.um ita absolutas esse Christi promissiones de Ecclesiæ infallibilitate, ut, quâcunque factâ hypothesi, error in Ecclesiâ prævalere non possit; 3.um non viâ examinis, quæ præsertìm rudibus impossibilis est, sed auctoritate homines in Religionis negotio esse regendos, ut toties dictum est: hinc sponte concidunt quæ tam confidenter exaggerant adversarii, de prætenso defectu examinis ex parte Episcoporum, de pravis illorum silentii motivis, etc., nempè, *quocunque modo fiat,* ut modò dicebat Bossuetius, *ut Ecclesia consentiat,* TRANSACTA PLANÈ RES EST.

ARTICULUS II.

De infallibilitate Ecclesiæ in Conciliis congregatæ.

Concilium est legitimus Præsulum Ecclesiæ conventus ut judicium ferant de rebus ad fidem, mores et disciplinam pertinentibus.

Tria sunt Conciliorum genera, nimirùm universalia, nationalia et provincialia, prout totam Ecclesiam, vel Nationem aut Provinciam Catholicam repræsentant. Synodi diœcesanæ, in quibus Presbyteri unius diœcesis sub Episcopo suo congregantur, vix Concilia dici possunt, inquit Bellarminus; *Concilium* enim, ut dictum est ab Ægyptiis in concilio Chalcedonensi, *Concilium Episcoporum est, non clericorum.*

Plura de Conciliis hìc pertractare solent Theologi; sed quia longiùs excurrere non sinunt præscripti nobis limites, et jam nonnulla de Conciliis diximus in Prolegomenis, cap. 3, art. 4, hìc disseremus de solà eorum in docendo infallibilitate.

Certum est Concilia particularia in docendo non esse infallibilia; siquidem, ex jam dictis, non unius vel alterius provinciæ vel nationis Episcopis, sed corpori episcopali, infallibilitas promissa est; omnimodam ergo non merentur fidem, nisi consensus Ecclesiæ ipsis accesserit. *Omnimodam* dixi *fidem*, non leve enim ex iis pro fide vel moribus argumentum deducitur, nisi tamen decretis eorum cæteri per orbem repugnent Episcopi. Hìc ergo de Conciliis generalibus tantùm quæritur utrùm sint infallibilia.

Sed priusquàm solvatur quæstio, observandum est ad Concilium generale tria requiri; 1.um ut ad illud vocentur orbis totius catholici Episcopi à Summo Pontifice, vel saltem de ejus consensu, et nullus eorum excludatur; omnes enim jure divino sunt naturales controversiarum fidei judices; nullus proindè à Concilio arceri debet, nisi censurâ ecclesiasticâ impeditus; 2.um ut ipsi præsit summus Pontifex vel per se vel per suos

legatos, et ex variis Ecclesiæ partibus conveniant Episcopi numero sufficientes ad repræsentandam Ecclesiam, quod moraliter æstimandum est; 3.um ut sit libertas suffragiorum; cæteri enim Episcopi per orbem dispersi, quosque congregatis numero longè superiores esse supponimus, nullatenùs velle censentur ut ipsorum nomine et personâ judicent ii à quibus suffragium per vim extorquetur, Concilium hisce tribus conditionibus donatum, generale seu œcumenicum dicitur, *convocatione, congregatione*, et *exitu.*

PROPOSITIO.

Concilia generalia sunt infallibilia.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 18, ℣. 20: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo,* inquit Christus, *ibi sum in medio eorum.* Illi sunt infallibiles in docendo, quibus docentibus Christus adest: atqui Conciliis generalibus docentibus Christus adest; nullus enim inficiabitur Concilia generalia congregari in nomine Christi; ergo, etc. Istud argumentum, quod primâ fronte nimis probare videtur, nostrum non est, sed Patrum, S. Cœlestini Papæ in Epistolâ ad Ephesinam Synodum, Concilii Chalcedonensis, et Constantinopolitani III, generalis VI. Si quis autem dicat eodem argumento confici Synodis particularibus infallibilitatem competere, respondendum est hanc esse disparitatem, quòd de Conciliis generalibus, non autem de particularibus, certum omninò sit ipsa congregari in nomine Christi.

Act. c. 15, ℣. 28: *Visum est Spiritui Sancto et nobis,* inquiunt Apostoli et seniores in Concilio

Jerosolymitano congregati; ex quo sic arguimus : idem ferri debet judicium de omnibus Conciliis generalibus ac de Concilio Jerosolymitano, quod consequentium forma et exemplar haberi debet : atqui Concilium Jerosolymitanum sibi tribuit infallibilitatem, ut patet ex verbis jam relatis, *Visum est*, etc.; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Ambrosius, lib. 3 de Fide, Conciliorum œcumenicorum edicta vocat *hæreditaria signacula, nullius temeritate violanda.* S. Augustinus, lib. 1 de Baptismo, ait : Validitas Baptismi ab Hæreticis collati, *salvâ pace* ab aliquibus fuit negata, *donec plenario totius orbis Concilio* veritas, *etiam remotis dubitationibus, firmaretur* : atqui, sublatâ infallibilitate Conciliorum, res ab eis definitæ omni remoto dubio non firmarentur; ergo, etc. S. Gregorius Papa, Epist. ad Joannem Constantinopolitanum : *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere ac venerari me fateor.*

Prob. 3.° *ratione theologicâ.* Martinus V Papa, in Concilio Constantiensi voluit suspectos in fide interrogari *an non credant Concilia generalia universam Ecclesiam repræsentare* (et reverà repræsentabunt, si adsint conditiones à nobis requisitæ). Undè sic : cœtus repræsentans auctoritatem infallibilem, infallibilis esse debet : atqui Concilium generale repræsentat auctoritatem infallibilem, nempè Ecclesiæ auctoritatem; ergo, etc. Ex quibus meritò concluditur cum Concilio Senonensi, anno 1528 : *Sancta igitur et infallibilis est Concilii generalis auctoritas, cui quisquis pertinaciùs refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.*

Prob. 4.° *ex confessione celeberrimorum Protestantium,* quorum verba legere est in Tractatu de Ecclesiâ D. *Hooke,* pag. 148. Unum inter Anglicanos appellare sufficiat, eruditissimum Bullum, in Defensione fidei nicænæ, procemii pag. 1.â et 2.â : *Si in hâc maximi momenti quæstione* (de consubstantialitate Verbi divini), *toto cœlo errasse universos Ecclesiæ rectores fingamus, quo pacto constabit fides Christi Domini promittentis se ad consummationem seculi Apostolis, ideòque eorum successoribus adfuturum? Nam cùm promissio Christi ad consummationem seculi se extendat, Apostoli autem tandiù victuri non essent, omninò Christus in Apostolorum personâ censendus est etiam successores ejus muneris compellasse.* Hinc Bossuetius, citatis his Bulli verbis, sic pergit : *Voilà donc manifestement l'Eglise infaillible, et son infaillibilité établie sur la promesse de Jésus-Christ, par un habile Protestant. Il ne reste qu'à lui demander si ces divines paroles n'avaient de force que jusqu'au quatrième siècle, et si la succession des Apôtres s'est éteinte alors.* 6. Avertissement contre Jurieu, 3.e partie, n.o 69.

Obj. 1.° S. August. lib. 2 aliàs 3 contra Maximinum Arianum, cap. 14 : *Nec ego Nicænum,* inquit, *nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.* Undè sic : quilibet Christianus auctoritate infallibili detinetur : atqui, juxta S. Augustinum, Maximinus non detinebatur auctoritate Concilii œcumenici, nempè Nicæni, generalis I; ergo, etc.

Resp. Ut legitima S. Augustini habeatur interpretatio, observandum est ipsum, in loco

nobis objecto, disputare cum Maximino, qui in gratiam suæ hæresis, Concilium Ariminense objiciebat et Nicæno opponebat; timens autem S. Doctor ne multùm temporis insumeret in demonstrandâ Concilii Nicæni auctoritate, et in elevandâ Concilii Ariminensis auctoritate, ad Scripturas et Traditionem Maximinum unicè revocat, ita ut vera textûs objecti interpretatio ista sit : in disputatione præsenti, per me non detineris auctoritate Concilii Nicæni, id est, argumentum ex Concilio Nicæno desumptum non adversùs te premam. Hinc sic distingui potest minor juxta S. Augustinum : Maximinus auctoritate Concilii Nicæni non detinebatur à S. Doctore, in disputatione de quâ agitur, *conc.*; in rei veritate, *nego*. Solutio patet.

Inst. S. Augustinus, lib. 2 de Bapt. dicit : *Concilia plenaria priora à posterioribus emendari* : atqui quod est infallibile non debet emendari; ergo, etc.

Resp. 1.° Fortè ibi loquitur S. Aug. de Conciliis minùs strictè plenariis, iis scilicet ad quæ plurimi conveniunt, non tamen orbis totius Episcopi; hoc enim sensu Concilii plenarii nomen ab Augustino nonnunquàm usurpatum fuisse videtur; hinc multi contendunt Concilium Arelatense I, etsi nationale tantùm, esse plenarium, in quo, juxta S. Doctorem, quæstio de validitate Baptismi ab Hæretico collati finita est.

Resp. 2.° *Dist. maj.* Concilia etiam plenaria emendari possunt in iis quæ ad facta personalia et particularia vel ad disciplinam pertinent, *conc.*; in doctrinâ fidei vel morum, *nego*. Itaque cùm in factis personalibus errare possit Ecclesia, propter testes fallibiles, quorum depositione in

judicando nititur, cùm insuper canones disciplinæ, mutatis circumstantiis, sæpiùs mutationem exspostulent, hinc fit ut Concilia, etiam generalia, in his duobus emendari possint; hunc verò esse S. Augustini sensum probatur ex his quæ immediatè subjicit: *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat;* experimento enim aperiuntur quæstiones ad facta vel ad disciplinam pertinentes; non autem quæstiones fidei et morum, de quibus ad normam fidei et Traditionis judicandum est.

Obj. 2.° S. Gregorius Nazianzenus, Epist. ad Procopium 55 aliàs 42: *Ita*, inquit, *animo affectus sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii lætum faustumque vidi exitum*: atqui in sententià infallibilitatis Conciliorum, non ita loqui potuisset S. Gregorius; ergo, etc.

Resp. Nego min. Hæc enim dixit S. Gregorius non ut Conciliis legitimè congregatis detraheret auctoritatem, et generalium infallibilitatem negaret, cùm ipse fidei nicænæ strenuus assertor fuerit, et Concilio Constantinopolitano, generali II, adfuerit, sed quia ætas ipsius incidit in tempus medium inter Concilium I et II generale: quo quidem temporis intervallo, multa sed particularia fuerunt Concilia infausti admodùm exitûs, tum propter Arianorum fraudes, tum propter Imperatorum persecutiones.

Quæres an Concilia sint aliquandò necessaria.

Resp. De Conciliis in genere, prout à generalibus vel particularibus abstrahunt, vix in quæstionem revocari posse, ut ait Bellarminus, lib. 1, cap. 11 de Conciliis; de generalibus autem in specie, non una est omnium sententia: affirmantem

mantem tenemus, post S. Augustinum, lib. 4 ad Bonifacium : *Quasi nulla hæresis nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimè inveniantur propter quas damnandas* NECESSITAS *talis exstiterit.* Quidquid sit, ad Pastores Ecclesiæ pertinet judicare an Concilium generale necessarium sit, ita ut quoties per orbem dispersi in aliquâ re fidelibus proponendâ omnes moraliter consentiunt, nullus ipsorum definitioni ob prætensum Concilii defectum repugnare debeat.

ARTICULUS III.

De Auctoritate Ecclesiæ in damnandis propositionibus in globo.

Notæ variæ à Theologis excogitatæ, et ab Ecclesiâ usurpatæ sunt, quibus malitiæ propositionum gradus exprimantur . ejusmodi sunt notæ *hæreseos, erroris, temeritatis,* etc. (Vide Appendicem ad Locos theol. tom. 1.)

Jam verò propositionibus damnandis duplici modo applicari possunt notæ, vel *in particulari,* determinando scilicet quænam in specie nota inuratur unicuique propositioni; vel *in communi* seu *in globo,* cùm multæ simul propositiones sub variis *respectivè* notis damnantur, non suam cuilibet in particulari affigendo notam. Adverbium istud *respectivè,* in hâc ultimâ damnationis propositionum formâ usitatum, duo significat : 1.° nullam inter expressas in censurâ esse notam quæ non cadat in aliquam è propositionibus damnatis; 2.° nullam inter istas esse quæ non mereatur saltem aliquam ex illis notis.

Quòd legitima sit prima damnandi propositiones forma, nullus negavit, de secundâ tantùm movetur quæstio, ad cujus solutionem sit

PROPOSITIO.

Modus damnandi propositiones in globo *legitimus est.*

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. cap. ultimo : *Euntes docete omnes gentes*, etc. Hæc verba generalia sunt, et potestatem docendi Ecclesiæ factam, ad aliquem modum nullatenùs restringunt ; ipsa igitur omni modo ex se non vitioso docere potest, non vitiosus est autem modus damnandi plures in globo propositiones ; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex praxi Ecclesiæ*, tum dispersæ, tum in Conciliis congregatæ. 1.° Quidem dispersa per orbem Ecclesia modum damnandi propositiones in globo sæpiùs adhibuit ; illustria censurarum hujusmodi exempla nobis suppeditant Bullæ à Summis Pontificibus datæ : Bulla Leonis X, Lutheri 34 articulos in globo proscribens ; Bulla Urbani VIII, Baii 80 propositiones eodem censuræ genere notans ; Bulla Innocentii XI, in quâ 68 Molinosi propositiones similiter damnantur, etc. : hæc autem Summ. Pontificum diplomata, ab Episcopis per orbem dispersis acceptata fuerunt. 2.° Ecclesia in Conciliis congregata plures in globo propositiones damnavit : sic Concilium generale Constantiense 45 Wiclefi articulos et 30 Joannis Hus propositiones sub variis respectivè notis confixit, singulis propositionibus suam peculiarem non affigendo notam : atqui modus damnandi propositiones, tum ab Ecclesiâ dispersâ, tum ab Ecclesiâ congregatâ usurpatus, nonnisi legitimus et infallibilis esse potest ; quod enim inquit S. Augustinus in Epist. 118, *tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Et verò, modus damnandi propositiones adhibitus in Bullis quibus nulla ex necessariis ad obligandam totam Ecclesiam deest conditio, talis, inquam, modus nonnisi legitimus et infallibilis dici debet: atqui damnatio propositionum in globo continetur in Bullis quibus nulla ex necessariis, etc., v. g., in Bullis contra Baium et Molinosum, quibus nulla ex necessariis deest conditio, ut habetur in declaratione quam nomine undecim tam Episcoporum quàm Archiepiscoporum emisit Cardinalis Noallius, anno 1710; ergo, etc.

Obj. 1.° Nihil probatur in gratiam damnationis propositionum in globo ex Concilio Constantiensi, quia Patres Constantienses Wiclefi et Joannis Hus propositiones non damnaverunt, nisi relativè ad judicium Theologorum qui prædictas propositiones sigillatìm discusserant, et cuilibet particulari suam notam affixerant.

Resp. Nego ant. Itaque 1.° judicium Theologorum quod nobis opponitur, 45 Wiclefi articulos solummodò attingit, nullatenùs verò 30 propositiones Joannis Hus, quæ, licèt in multis Wiclefi erroribus consonæ, non tamen in omnibus similes sunt, ut observat Bossuetius in Historià Variationum. 2.° Falsum est 45 articulos Wiclefi à Concilio non fuisse damnatos nisi relativè ad censuram Theologorum in particulari factam; namque de illà nulla fit mentio in decretis Concilii, nullibi legitur eam à Patribus Concilii fuisse probatam; deniquè in omnibus actibus hujus Concilii editis vel manuscriptis omittitur.

Obj. 2.° Censuræ perobscuræ et penitùs indeterminatæ dici non possunt legitimæ et infallibiles: atqui tales sunt damnationes propositionum in globo; ergo, etc.

Resp. Nego min. 1.° Censuræ propositionum in globo non ita sunt indeterminatæ ut nihil in particulari credendum proponant; ex ipsis enim constat omnes et singulas propositiones in globo damnatas, aliquo modo plus vel minùs cum sanâ doctrinâ opponi; constat inter damnatas in globo propositiones nullam esse quæ non mereatur saltem aliquam ex notis in decreto expressis, et vice versâ, nullam esse in decreto notam quæ non cadat in aliquam è damnatis propositionibus. 2.° Censuræ propositionum in globo obscuræ dici non debent; illud enim judicium obscurum dici non debet, per quod fideles clarè edocentur id omne de quo ipsos certos fieri judicat Ecclesia : atqui per censuras in globo propositionum, clarè docentur fideles, etc., omnes scilicet et singulas propositiones fidei deposito et sanæ doctrinæ aliquo modo esse contrarias. Remanet quidem in censuris ejusmodi aliquìd obscurum, nempè attributio particularis notarum singulis propositionibus; sed minùs necessarium est ut tollatur illa obscuritas : sic, v. g., medicus ægrotantis sanitati sufficienter invigilat, si de pluribus escis pronuntiat in genere quòd ipsi noxiæ sint, non determinando in particulari gradum malignitatis cujuslibet; ergo à pari, etc.

Obj. 3.° Damnatio in globo injusta est, quemadmadùm injustus esset Judex qui in reos criminum inæqualia sic pronuntiaret : omnes isti patibulo, cruci, exilio, respectivè damnentur; ergo, etc.

Resp. Nego ant. et parit. Disparitas est quòd, in exemplo allato, tortor non indeterminatè, sed in particulari cuilibet reo supplicium infligere teneatur, ita ut, in hypothesi sententiæ in reos

in globo latæ, contingere possit minoris criminis reum, majori tamen affici supplicio; Ecclesia verò non exigit à fidelibus ut cuilibet propositioni damnatæ in globo suam peculiarem notam assignent.

Obj. 4.° Censura propositionum in globo à Summo Pontifice lata, non potest fieri judicium irreformabile; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Irreformabile judicium erit, modò accedat ipsi corporis episcopalis consensus vel expressus vel tacitus.

Inst. 1.° Nunquàm certi esse possumus quòd ejusmodi consensus Episcoporum accesserit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. 1.° Certi esse possumus ex facto seu experientiâ; 2.° tam consensus Episcoporum censuris in globo datus, respectu nostrî certus fieri potest, quàm ubi agitur de condemnationibus propositionum in particulari : atqui in posteriori casu, certi esse possumus de consensu Episcoporum, ut omnes fatentur; ergo et in priori.

Inst. 2.° In censuris ejusmodi nunquàm certi esse possumus an Episcopi inter se et cum Papâ consentiant in eâdem tribuendâ singulis propositionibus qualificatione; ergo, etc.

Resp. Quidquid sit de antecedente, falsa est consequentia; nam ut damnatio propositionum in globo sit judicium irreformabile, requiritur et sufficit ut Episcopi inter se et cum Papâ consentiant circa judicium generale in Bullâ expressum, quo pronuntiatur omnes propositiones sub variis notis in Bullâ expressis respectivè damnari : atqui certi esse possumus, etc. Dicendum igitur cum Bossuetio, *second Ecrit contre M. de Cambrai : Elles sont utilement pratiquées* (*les censures des*

propositions in globo) *dans l'Eglise, pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent même le dernier, suivant l'exigence du cas et le degré d'obstination qu'on trouve dans les esprits.*

DISSERTATIO QUINTA.

DE CAPITE ECCLESIÆ.

Ecclesiæ caput aliud est *primarium* et *invisibile*, quod omnes Christiani agnoscunt, *Christus*, nempè, *qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, ad Coloss. c. 1, ℣. 18. Aliud verò, juxta Catholicos, existit *secundarium* et *visibile*, nempè Romanus Episcopus, ideòque appellatus Summus Pontifex, propter primatum quo creditur potiri in universâ Ecclesiâ, supra cæteros omnes Episcopos.

Duplex autem distinguitur primatus, alter honoris, alter jurisdictionis. Primatus honoris ille est quo aliquis inter alios primum locum ita obtinet, ut nullam in eos auctoritatem habeat; de simili primatu in Romano Episcopo admittendo, vix aliqua foret contentio. Primatus jurisdictionis ille est quo aliquis auctoritate et potestate aliis superior constituitur.

His præmissis, duo circa caput visibile Ecclesiæ hìc tractanda veniunt : 1.um de primatu Romani Pontificis; 2.um de juribus et appendicibus illius primatui annexis.

CAPUT PRIMUM.

De primatu Romani Pontificis.

QUÆRITUR an successor S. Petri, Romanus Pontifex, primatum honoris et jurisdictionis in totâ Ecclesiâ divino jure obtineat. Negant Protestantes et Græci Schismatici, contra quos cum omnibus Catholicis sit

PROPOSITIO.

Successor S. Petri, Romanus Pontifex, primatum honoris et jurisdictionis in totâ Ecclesiâ jure divino *obtinet.*

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 16, ℣. 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex quibus sic argumentor : ille primatum honoris et jurisdictionis in totâ Ecclesiâ divino jure obtinet, supra quem à Christo ædificata est Ecclesia : atqui super Romanum Pontificem, Petri successorem, à Christo ædificata est Ecclesia; ergo, etc. *Major* certa est; quod enim est in domo fundamentum, super quod ædificatur ipsa et cui tota recumbit, illud est in corpore politico vel ecclesiastico caput seu primatum honoris et jurisdictionis tenens; nam, in ordine morali, in tantùm sustentantur homines, in quantùm à capite reguntur. Itaque *probat. min.* Profectò super Romanum Pontificem, S. Petri successorem, ædificata est à Christo Ecclesia, modò Petrus Ecclesiæ fundamentum à Christo fuerit constitutus, prout unam eamdemque cum successoribus suis personam moralem

gerebat : atqui S. Petrus Ecclesiæ fundamentum, etc. 1.° Quidem S. Petrus Ecclesiæ fundamentum à Christo positus est, ut patet ex his verbis, *Tu es Petrus*, etc.; in hoc enim contextu videre est petram super quam Christus ædificandam pronuntiat Ecclesiam ipsum esse Petrum, tum quia pronominis *hanc* ea vis est, ut ad Petrum immediatè præcedentem referatur, tum quia in textu primigenio S. Matthæi, necnon in præcipuis versionibus, nempè syriacâ, arabicâ, persicâ, armenianâ, ægyptiacâ, æthiopicâ et ruthenâ, Petri et petræ nomina unum idemque sunt. 2.° S. Petrus Ecclesiæ fundamentum à Christo positus est, prout unam eamdemque cum successoribus suis personam moralem gerebat; qui enim, licèt brevì moriturus, Ecclesiæ perpetuò duraturæ constans statuitur fundamentum, iste tantum privilegium non sibi soli, sed etiam successoribus suis in quibus ad finem usque victurus est, acquisivit : atqui per hæc Christi verba *Tu es Petrus*, etc., Petrus ille, licèt brevì moriturus, tamen Ecclesiæ perpetuò duraturæ et constans et stabile fundamentum positus est; ergo, etc. Hinc Bossuetius : *Qu'on ne dise point, qu'on ne pense point que ce ministère de S. Pierre finisse avec lui : ce qui doit servir de soutien à une Eglise éternelle ne peut jamais avoir de fin. Pierre vivra dans ses successeurs; Pierre parlera toujours dans sa chaire*. Sermon sur l'Unité de l'Eglise.

Joann. c. 21, ℣. 15, 17, sic Petrum allocutus est Christus : *Simon Joannis, diligis me plus his?.... pasce agnos meos,.... pasce oves meas.* Undè sic : ille primatu honoris et jurisdictionis donatus est, qui singula Ecclesiæ membra pascendi et regendi potestatem à Christo accepit :

atqui Romanus Pontifex in personâ S. Petri accepit potestatem, etc.; singula enim Ecclesiæ membra vel ad agnos, quibus simplices designantur fideles, vel ad oves, quibus adumbrantur Pastores, necessariò pertinent; *quia*, ut habet S. Eucherius, Serm. de Nat. SS. Petri et Pauli, *præter agnos et oves in Ecclesiâ nihil est. C'est à Pierre,* pergit Bossuetius, *c'est à Pierre qu'il est ordonné premièrement d'aimer plus que tous les autres Apôtres, et ensuite de paître et de gouverner tout, et les agneaux et les brebis, et les petits et les mères, et les pasteurs même: pasteurs à l'égard des peuples, et brebis à l'égard de Pierre, ils honorent en lui Jésus-Christ.* Sermon sur l'Unité de l'Eglise.

Prob 2.° ex Traditione.

1.° *Ex SS. PP.* S. Irenæus, lib. 3 contra Hæreses: *Ad hanc Ecclesiam, propter potiorem* PRINCIPALITATEM *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiquè fideles.* S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ: *Super* UNUM PETRUM *ædificat Ecclesiam suam.... Ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit et unitatis originem ab* UNO *incipientem suâ auctoritate disposuit.* S. Athanasius, Epist. ad Felicem Papam: *Ob id vos prædecessoresque vestros.... in summitatis arce constituit Christus* OMNIUMQUE ECCLESIARUM *curam habere præcepit, ut nobis succurratis.* S. Augustinus, Epist. 43 aliàs 162, n. 7: *In Ecclesiâ Romanâ*, inquit, *semper apostolicæ cathedræ viguit* PRINCIPATUS. S. Optatus, lib. 2 contra Parmen.: *Igitur de dotibus supradictis cathedra (romana) est* PRIMA, *quam probavimus per* PETRUM *nostram esse.* S. Hieron., Epist. ad Damasum Papam: *Ego*

beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. SUPER ILLAM PETRAM ÆDIFICATAM ECCLESIAM SCIO. *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est;... quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* S. Leo Papa ad Anastasium Thessalonicensem, Epist. 84, § 1: *Ego dilectioni tuæ...... vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam* UNIVERSIS ECCLESIIS PRINCIPALITER EX DIVINA INSTITUTIONE *debemus, imitator nostræ mansuetudinis adjuvares.* Pelagius II Papa, Epistola ad Episcopos Orientis: *Romana sedes....., instituente Domino,* CAPUT EST OMNIUM ECCLESIARUM. Philippus Presbyter, S. Cœlestini Papæ legatus, in Concilio Ephesino, nullo reclamante, sic locutus est: *Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quòd* SANCTUS PETRUS, *Apostolorum princeps et caput,* FIDEIQUE COLUMNA *et* ECCLESIÆ CATHOLICÆ FUNDAMENTUM, *à Domino nostro Jesu Christo claves regni cœlorum accepit......; qui ad hoc usque tempus et semper in successoribus suis vivit et judicia exercet.* Sanctus Prosper in Carmine de ingratis, cap. 2, sic habet:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

In quæ S. Doctoris verba exclamat *Bossuet: Que volontiers nous répétons ce sacré cantique d'un Père de l'Eglise Gallicane! c'est le cantique de la paix, où dans la grandeur de Rome, l'unité de toute l'Eglise est célébrée;* ibidem.

2.° *Ex Conciliis,* nempè, Nicæno I, Constantinopolitano I, Ephesino, Chalcedonensi, quorum omnium instar sit Concilium Florentinum

generale : *Definimus*, inquiunt Patres hujus Concilii, *sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et sacris canonibus continetur.*

Traditionis hujus vestigiis insistentem audiamus illustrissimum Præsulem nunquàm satìs laudandum : *C'est cette Chaire Romaine, tant célébrée par les Pères, où ils ont exalté, comme à l'envi, la principauté de la Chaire Apostolique, la principauté principale, la source de l'unité; et dans la place de Pierre, l'éminent degré de la chaire sacerdotale; l'Eglise Mère, qui tient en sa main la conduite de toutes les autres Eglises; le chef de l'Episcopat, d'où part le rayon du gouvernement; la Chaire principale, la Chaire unique, en laquelle seule tous gardent l'unité; vous entendez dans ces mots, S. Optat, S. Augustin, S. Cyprien, S. Irénée, S. Prosper, S. Avite, Théodoret, le Concile de Chalcédoine, et les autres; l'Afrique, les Gaules, la Grèce, l'Asie; l'Orient et l'Occident unis ensemble.* Sermon sur l'Unité de l'Eglise.

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* A primis Ecclesiæ seculis, primatum honoris et jurisdictionis in totâ Ecclesiâ verè obtinuit Romanus Pontifex, functiones hujus constanter obiit, necnon juribus

L 6

ipsi annexis tranquillè potitus est, usque ad tempus quo Græci ab Ecclesiâ Catholico-Romanâ lugendo schismate discesserunt; hæc propositio tam evidens est, tamque inconcussis historiæ ecclesiasticæ monumentis nititur, ut de eâ ipsi consentiant Græci Schismatici : atqui jure divino, non autem ecclesiastico, huncce primatum gessit Romanus Pontifex, cùm nullum, vel etiam levissimum, in totâ retrò antiquitate appareat vestigium concessionis hujus ab Ecclesiâ factæ; ergo, etc.

Prob. 4.° *ex celeberrimorum Protestantium confessione*, nempè Grotii, in Responsione ad Rivetum, art. 7; Leibnitzii, in suâ ad Fabricium Epistolâ 8.ª; Melanchthonis verba referre sufficiat, in epist. quam citat *Bossuet, lib.* 8, Variat., n.° 24 : *Nos gens demeurent d'accord que la police ecclésiastique, où on reconnaît des Evêques supérieurs de plusieurs Eglises, et l'Evêque de Rome supérieur à tous les Evêques, est permise.... ; car il faut à l'Eglise des conducteurs pour maintenir l'ordre, pour avoir l'œil sur ceux qui sont appelés au ministère ecclésiastique, et sur la doctrine des Prêtres, et pour exercer les jugemens ecclésiastiques; de sorte que s'il n'y avait point de tels Evêques, il en faudait faire. La monarchie du Pape servirait aussi beaucoup à conserver entre plusieurs nations le consentement dans la doctrine; ainsi on s'accorderait facilement sur la supériorité du Pape, si on était d'accord sur tout le reste.* Reverà cùm istud Melanchthonis placitum ferre non posset Lutherus, ut ei aliquid indulgeret, respondet Melanchthon *se superioritatem Romano Pontifici ex jure tantùm humano attri-*

buere ; at regerit Bossuetius : *Malheureux de ne pas voir qu'une primauté que l'expérience lui montrait si nécessaire à l'Eglise , méritait bien d'être instituée par Jésus-Christ , et que d'ailleurs une chose qu'on trouve établie dans tous les siècles , ne pouvait venir que de lui.* Ibid., n.° 27.

Obj. 1.° S. Petrus nullum honoris et jurisdictionis primatum in cæteros Apostolos accepit ; ergo nec Papa successor ipsius.

Resp. Nego ant. cujus falsitas constat 1.° ex probationibus allatis ; 2.° ex eo quòd S. Petrus semper primus in Evangelio appellatur, in Concilio Jerosolymitano primus loquitur, *os enim erat Apostolorum , et princeps et vertex ipsius cœtûs ,* inquit S. Chrys. ; *primus quæstionem definivit et omnes sententiam ejus secuti sunt ,* ut habet S. Hieron., Epist. ad Augustinum. 3.° Ex SS. PP. quorum omnium instar sit S. Leo, Serm. 3 de assumpt. suâ ad Pontif., cap. 2 : *Unus ,* inquit, *Petrus eligitur qui.... omnibus Apostolis , cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur , ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint , omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.*

Inst. 1.° Christus excludit primatum ab Apostolis suis, Marc. c. 9, ℣. 34 : *Si quis ,* inquit, *vult primus esse , erit omnium novissimus et omnium minister ;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Excludit primatum fastu et ambitione plenum, *conc. ;* primatum spiritalem cum humilitate exercendum, *nego.* Solutio patet ex contextu.

Inst. 2.° Cæteri Apostoli eamdem omninò ac Petrus potestatem acceperunt ; ipsis enim sicut

et S. Petro, sine restrictione, dixit Christus, Matth. c. 18, ℣. 18 : *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo;* et Joan. c. 20, ℣. 23, in omnes Apostolos æquè insufflans, iisdem verbis eos allocutus est : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;* ergo nullam præ cæteris Apostolis Petrus sortitus est potestatem; ac proindè Romanus Pontifex ejus successor nullum, jure divino, primatum jurisdictionis in totâ Ecclesiâ obtinet.

Resp. Nego ant. ad cujus probationem, dicendum cum illust. Bossuetio : *C'était manifestement le dessein de Jésus-Christ de mettre premièrement dans un seul ce que dans la suite il voulait mettre dans plusieurs; mais la suite ne renverse pas le commencement, et le premier ne perd pas sa place. Cette première parole, « tout ce que tu lieras », dite à un seul, a déjà rangé sous sa puissance chacun de ceux à qui on dira, « tout ce que vous remettrez » : car les promesses de Jésus-Christ, aussi-bien que ses dons, sont sans repentance; et ce qui est une fois donné indéfiniment et universellement, est irrévocable; outre que la puissance donnée à plusieurs porte sa restriction dans son partage; au lieu que la puissance donnée à un seul, et sur tous, et sans exception, emporte la plénitude... Ainsi le mystère est entendu : tous reçoivent la même puissance, et tous de la même source; mais non pas tous en même degré, ni avec la même étendue : car Jésus-Christ se communique en telle mesure qu'il lui plaît, et toujours de la manière convenable à établir*

l'unité de son Eglise. C'est pourquoi il commence par le premier, et dans ce premier il forme le tout, et lui-même il développe avec ordre ce qu'il a mis dans un seul; « et Pierre, dit Saint Augustin, qui dans l'honneur de sa primauté, représentait toute l'Eglise, reçoit aussi le premier et le seul d'abord, les clefs qui dans la suite devaient être communiquées à tous les autres », afin que nous apprenions, selon la doctrine du saint Evêque de l'Eglise Gallicane, que l'autorité ecclésiastique, premièrement établie en la personne d'un seul, ne s'est répandue qu'à condition d'être toujours ramenée au principe de son unité; et que tous ceux qui auront à l'exercer, se doivent tenir inséparablement unis à la même chaire. Sermon sur l'Unité de l'Eglise.

Inst. 3.° S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ: *Hoc erant utiquè et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis.*

Resp. Dist. ant. Æquales fuerunt Apostoli in apostolicâ dignitate, et relativè ad fideles quos regebant, *conc.;* relativè ad se invicem, *nego.* Itaque omnes Apostoli eamdem à Christo Ecclesiam regendi potestatem immediatè acceperant; omnes ubiquè Evangelium prædicare, Ecclesias ædificare, Episcopos constituere, sacramenta ministrare, controversias definire, leges condere poterant; adeòque, relativè ad fideles quos regebant, eadem erat eorum potestas; at non ita erat relativè ad se invicem; nam solus Petrus in alios Apostolos jurisdictionem acceperat; adeòque, ex hâc parte, inter eos aderat inæqualitas, quam minimè negare voluit Cyprianus, ut patet ex aliis S. Doctoris textibus.

Nota potestatem quâ Apostoli in totâ Ecclesiâ instructi erant, extraordinariam fuisse, non autem ordinariam : ea autem extraordinaria potestas dicitur quæ in successores non transit, ordinaria verò dicitur ea quæ successoribus communicatur.

Inst. 4.° S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ: *Episcopatus*, inquit, *unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur;* ergo omnes Episcopi eâdem gaudent auctoritate.

Resp. Dist. ant. Episcopatus unus est quoad essentiam, id est, quoad potestatem ordinis et jurisdictionis in subditos à Christo acceptam, *conc. ant.;* quoad jurisdictionis extensionem *nego.*

Inst. 5.° S. Cyprianus in 3.° Concilio Carthaginensi negat *aliquem esse Episcopum Episcoporum.* S. Gregorius in Epistolâ ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, ait Romanum Pontificem non posse dici *Episcopum universalem :* atqui tamen si Romanus Pontifex primatum haberet jurisdictionis, hoc utrumque meritò diceretur; ergo, etc.

Resp. ad primum textum : S. Cyprianus absolutè non negat in Ecclesiâ dari Episcopum Episcoporum, sed unicè asserit nullum ejus modi sedere in Concilio Carthaginensi cui tunc præerat S. Cyprianus, nullum, inquam, qui tyrannico terrore collegas suos ad obsequendi necessitatem adigeret: ex quibus apparet Romanum Pontificem tunc habitum fuisse tanquam Episcopum Episcoporum. *Resp. ad secundum textum ;* Triplici sensu Episcopus dici potest universalis : 1.° ita ut unus sit propriè in orbe Episcopus, cujus alii sint tantùm vicarii; 2.° eo sensu quòd in omnes orbis catholici partes, adeòque in singulos Epis-

copos jurisdictionem habeat; 3.° quòd multos in multis provinciis numeret Episcopos quibus ipse præsit. Primum sensum unicè reprobat sanctus Gregorius; secundo sensu Papa est Episcopus œcumenicus, nec hunc titulum aversatur sanctus Doctor, cùm ita appellatus fuisset sanctus Leo in Concilio Chalcedonensi, act. 3.ª; tertius verò sensus ipsis Patriarchis convenit, et eâ ratione Patriarchæ Constantinopolitani œcumenici dicti sunt.

Obj. 2.° Quòd Romanus Pontifex S. Petro succedat, juris est humani; pendet enim à facto merè humano isto scilicet, Petrum Romæ suam fixisse sedem; ergo, etc.

Resp. 1.° *Trans. ant.* quia probabilitate non caret sententia eorum qui docent mandatum à Christo S. Petrum accepisse ut Romæ sederet, et huic Ecclesiæ totius Ecclesiæ primatum annecteret.

Resp. 2.° *Nego cons.* Ut Romanus Pontifex ex divino jure succedat in primatu, sufficit 1.° juris esse divini ut aliquis in primatum Petri eligatur, 2.° Romanum Pontificem ad hoc munus verè assumi : atqui hæc duo vera sunt; ergo, etc.

Inst. Concilium Nicænum, canone 6, auctoritatem Romani Pontificis comparat auctoritati Patriarchæ Alexandrini : privilegia Romani Pontificis, juxta Concilium Chalcedonense, à Patribus concessa fuerunt : atqui si Romanus Pontifex jure divino primatui Petri succederet, sic non loqueretur utrumque Concilium.

Resp. 1.° *Dist. primam partem majoris :* Concilium Nicænum comparat *patriarchalem* auctoritatem Romani Pontificis auctoritati Pa-

triarchæ Alexandrini, *conc.;* comparat *papalem* auctoritatem Romani Pontificis, etc., *nego.* Itaque Romanus Pontifex non solùm totius Ecclesiæ caput est, sed etiam, ut Patriarcha, in occidentales Ecclesias potestatem habet, et sub hoc respectu eadem est ejus auctoritas ac Patriarchæ Alexandrini in diœceses sibi subditas : porrò de hâc tantùm auctoritate patriarchali sermo est in canone nicæno 6.°

Resp. 2.° *Dist. pariter secundam partem majoris :* Concessa fuerunt privilegia quæ spectant Romanum Pontificem ut Patriarcham, *conc.;* quæ illius sunt ut est caput Ecclesiæ; *nego.* Itaque in canone 28 Concilii Chalcedonensis, de prioribus tantùm privilegiis agitur, cùm Episcopus Constantinopolitanus, quia erat novæ Romæ Antistes, eadem jura patriarchalia, salvo tamen primatu Romani Pontificis, acceperit. Præterea dici posset privilegia Romani Pontificis à Patribus concessa fuisse, id est, agnita et declarata, quatenùs scilicet declarârunt quæ essent jura per Christum Papæ concessa.

CAPUT II.

De juribus et appendicibus primatui Romani Pontificis et illius successoribus annexis.

Primatui honoris et jurisdictionis quem meritò sibi vindicat Romanus Pontifex, annexæ sunt eminentes prærogativæ, de quibus nunc agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De juribus et prærogativis primatui Romani Pontificis annexis.

Præcipuas prærogativas quæ Romano Pontifici unanimi consensu adscribuntur totidem propositionibus adstruemus. Sit igitur

PROPOSITIO PRIMA.

Romanus Pontifex totius communionis catholicæ centrum est necessarium. Est de fide.

Explicatur propositio. Per *centrum* communionis catholicæ, illud intelligitur cum quo omnes Ecclesiæ particulares, necnon singula Ecclesiæ membra, communicare et unitatem servare debent : hæc autem communio cum summo Pontifice præsertim requiritur in rebus fidei.

Prob. propositio. 1.° *Ex Script.* Namque ex iis quos jam attulimus Scripturæ textibus, constat Romanum Pontificem, jure divino, obtinere primatum honoris et jurisdictionis in totâ Ecclesiâ, cujus est fundamentum et caput : atqui evidens est illum qui, jure divino, fundamentum est et caput totius Ecclesiæ, hoc ipso necessarium communionis catholicæ centrum esse ; nam, ut jam notavimus, per centrum communionis catholicæ, intelligitur illud cum quo omnia et singula Ecclesiæ membra communicare, jure divino, tenentur : atqui omnia et singula Ecclesiæ membra communicare debent cum eo qui est fundamentum et caput visibile totius Ecclesiæ ; in corpore enim morali rectè disposito, sicut et in physico, membra capiti conjungi et uniri debent ; alioquin corpus non erit, sed monstrum informe ; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Irenæus, lib. 3 contra Hæreses : *Ad hanc Ecclesiam*, inquit, (Romanam scilicet), *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiquè fideles.*

S. Hieron., epist. 14.â ad Damasum Papam : *Ego..... beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; quicunque tecum non colligit, spargit.*

Prob. 3.° *ex Conciliis.* Unius tantùm testimonium referemus, Constantinopolitani IV, generalis VIII, ubi sic loquuntur Patres, act. 1.â : *Sequentes in omnibus apostolicam Sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus ut in unâ communione quam Sedes apostolica prædicat, esse mereamur, in quâ est integra et vera Christianæ Religionis soliditas : promittentes etiam sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.*

Traditioni hæc omninò consona profitetur Clerus Gallicanus, in conventu Parisiis habito anno 1681 : *Le Pape est le chef de l'Eglise, le centre de l'unité, et il a sur nous une autorité de primauté et de juridiction, que Jésus-Christ lui a donnée dans la personne de saint Pierre; si on ne convenait pas de ces vérités, on serait schismatique, je puis même dire* HÉRÉTIQUE. Procès-verbaux du Clergé, tom. 5, p. 355.

Quàm meritò igitur exclamat Bossuetius : *Sainte Eglise Romaine, mère des Eglises et mère de tous les fidèles, Eglise choisie de Dieu*

pour unir ses enfans dans la même foi et dans la même charité, nous tiendrons toujours à ton unité par le fond de nos entrailles. Si je t'oublie, Eglise Romaine, puissé-je m'oublier moi-même! Que ma langue se sèche et demeure immobile dans ma bouche, si tu n'es pas toujours la première dans mon souvenir, si je ne te mets pas au commencement de tous mes cantiques de réjouissance. Sermon sur l'Unité.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo vera Christi Ecclesia meritò Romana nuncupatur.

Rectè siquidem denominatur ab urbe cujus Antistes communionis et unitatis catholicæ centrum à Christo institutus est.

COROLLARIUM II.

Ergo Sedes Romana indefectibilis est.

Etenim, ex dictis, Romanus Pontifex est necessarium totius communionis catholicæ centrum; jam verò si deficeret series Pontificum in Sede Romanâ, vel Hæretici in eâ sederent, tunc Romanus Pontifex desineret esse totius communionis, etc.

PROPOSITIO II.

Romanus Pontifex, vi sui primatûs, *potestatem habet condendi decreta fidei et disciplinæ quæ ad omnes pertineant Ecclesias, salvis tamen Ecclesiarum juribus.*

Duæ sunt partes propositionis.

Prob. 1.ª *pars*, de decretis *fidei*. Etenim Ro-

manus Pontifex, ut potè caput universalis Ecclesiæ, ipsius bono providere tenetur, ac proindè sui muneris est ut fidei conservationi invigilet: atqui tale munus obire nequit, nisi jus habeat dogmatica decreta condendi quæ ad omnes Ecclesias pertineant; cùm enim, errore nascente et in Ecclesiâ grassante, sæpè sæpiùs Concilium generale congregari non possit, Summi Pontificis decretum ad omnes directum Ecclesias, solum medium est quo errore reprimi possit, et integra Christi doctrina conservari; ergo, etc.

Hinc declaravit Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1682, *In fidei quoque quæstionibus, præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.*

Prob. 2.[a] *pars*, de decretis *disciplinæ*. Namque postulat societatis christianæ bonum regimen, ut in eâ indesinenter vigeat potestas condendi leges generales, quibus ea prohibeantur quæ ipsius ordinem perturbant, et præcipiantur quæ ipsum fovere et tueri possint: atqui nulli ex Episcopis, nisi Romano Pontifici, talis potestas competere potest; ipse enim solus *totius* dominici gregis Pastor et moderator à Christo constitutus est, his verbis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, etc.

Dixi in propositione, *salvis tamen Ecclesiarum juribus*, uti declaravit Concilium Ephesinum, actione 7.[â], his verbis: *Placuit igitur sanctæ et œcumenicæ Synodo, ut unicuique provinciæ pura et inviolata, quæ jam indè ab initio habuit, sua jura serventur, juxta veterem consuetudinem.*

Confirmatur utraque pars propositionis nostræ constanti traditione, quæ nobis exhibet perpe-

tuam et universalem Summorum Pontificum sollicitudinem in causis fidei et disciplinæ. In memoriam revocare satis erit antiquissima exempla : Victoris, in causâ Paschatis ; Stephani, in causâ Baptismi ab Hæreticis collati ; Julii, in causâ S. Athanasii ; Cœlestini, in causâ Nestorii ; Leonis Magni, in causâ Eutychetis, etc.

PROPOSITIO III.

Romanus Pontifex à legibus Conciliorum, etiam generalium, jus ecclesiasticum spectantibus, quandò causa subest, validè dispensat.

Prob. Ipsa enim regiminis Ecclesiæ natura postulat ut, in certis casibus, ipsius leges, etiam generales, per legitimam dispensationem relaxentur, ut evidens est et omnes fatentur : porrò illius certè est à lege ecclesiasticâ dispensare, ad quem pertinet generale Ecclesiæ regimen ; nunquid enim Concilium generale cogendum erit quoties dispensationi locus erit ? *Id*, inquit Bossuetius, *nemo catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut rerum ecclesiasticarum gnarus, abstulerit..... Ipsa enim* Basileensis Synodus *sic loquitur : Per Concilium statuta in nullo derogant potestati* Romani Pontificis, *quin pro tempore, loco, causisque et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari, dispensareque possit, atque uti summi Principis epiikiâ, quæ ab eo auferri nequit.* Defens. Declar. parte 3, lib. 11, cap. 16. Demùm cap. 20 ejusdem operis, sic concludit Præsul doctissimus : *Concedimus enim in jure quidem ecclesiastico Papam* NIHIL NON POSSE, *cùm necessitas id postulaverit.* Quæ verba sic commentatur

D. *Barruel: S'il est jamais de ces circonstances où la nécessité prescrive à la puissance de ne prendre plus conseil que d'elle-même, de se montrer dans toute son immensité, dans toute la plénitude qu'un Dieu seul a pu lui donner, qu'elle s'élève alors au-dessus de toutes les règles, qu'elle se souvienne que la nécessité brise tous les liens de la loi. Et nous aussi alors nous convenons, malgré tous nos usages, malgré toutes les lois sur lesquelles nos saintes libertés sont fondées, malgré tout notre droit ecclésiastique, et malgré celui de toutes les Eglises, nous aussi alors nous convenons que, dans le droit ecclésiastique, il n'est rien que le Pape ne puisse.* Du Pape et de ses Droits, t. 2, p. 117.

PROPOSITIO IV.

Romanus Pontifex, jure ordinario, *generalia Concilia convocat, ipsisque vel per se vel per legatos præest.*

Prob 1.° In omni societate benè moderatâ, naturâ ipsâ docente, ad eum pertinet generalia illius comitia convocare, qui honore et jurisdictione cæteris antecellit: atqui talis est Romanus Pontifex respectu societatis christianæ seu Ecclesiæ, ex anteà probatis. Et verò, sicut nemo denegat Episcopo potestatem convocandi Synodum diœcesanam, aut Archiepiscopo aut Patriarchæ jus congregandi Concilium provinciale aut nationale ipsique præsidendi, ita et à pari, etc.

Prob. 2.° *ex traditione.* 1. Pelagius II, in Epist. ad Episcopos orientales jam citatâ: *Generalium*, inquit, *Synodorum convocandarum auctoritas,*

auctoritas, apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est. 2. Canon Apostolorum objectus Orientalibus à Julio I, Epist. 1 ad Orientales, et agnitus à Socrate, Sozomeno et Nicephoro, sic habet : *Non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* 3. Chalcedonense Concilium, actione 1.ª, Dioscorum rejicit, quia ausus erat Concilium facere absque auctoritate Sedis apostolicæ, *quod nunquàm licuit*, inquiunt Patres, *nunquàm factum est.*

Prob. 3.° *ex perpetuâ et generali praxi Ecclesiæ.* Sic Concilio Nicæno, generali I, præfuit Sylvester per suos legatos. Vi convocationis Concilium Constantinopolitanum, generale II, fuit solius Orientis, et œcumenicum non evasit, nisi accedente Romani Pontificis approbatione, et occidentalis Ecclesiæ consensu. Concilio Ephesino præfuerunt, nomine S. Cœlestini, S. Cyrillus Alexandrinus, et alii legati. Chalcedonensi, generali IV, præfuit S. Leo per suos legatos. Constantinopolitano II, generali V, præfuit Eutychius, consentiente Vigilio Papâ, ut constat ex Vigilii ad Eutychium Epistolâ. Constantinopolitano III, generali VI, præfuerunt legati Agathonis Summi Pontificis. Consulantur de aliis collectiones Conciliorum.

Dices : In convocatione Conciliorum, Nicæni, Ephesini, Chalcedonensis, primas partes habuerunt Imperatores christiani; ergo ad Romanum Pontificem non pertinet generalia Concilia convocare.

Resp. 1.° A Concilio generali VIII usque ad Tridentinum inclusivè, omnia Concilia generalia à Romanis Pontificibus indicta, congregata et

celebrata fuêre, quin ulla fuerit ex parte principum reclamatio : atqui certè reclamassent principes de sui juris violatione, si credidissent tale jus ipsis competere; et verò undenàm illud habuissent?

Resp. 2.° Imperatores primas partes habuerunt in convocatione Conciliorum generalium, sed consentiente Romano Pontifice, cujus consensu, nomine, aut etiam jussu agebant, *conc.;* Romano Pontifice inconsulto aut nihil agente nec permittente, *nego.* Porrò multiplex fuit ratio cur tantam habuerint partem Imperatores in primorum Conciliorum convocatione : 1. Quia lege prohibebantur omnes conventus, propter perturbationis metum : 2. quia in urbe quâdam imperiali congregabantur Concilia; 3. quia impensæ necessariæ ad Conciliorum congregationem, Imperatorum sumptibus fiebant; quid mirum igitur si Concilia, magnâ ex parte, opus eorum videbantur; sed convocatio imperialis legitimitatem canonicam nunquàm obtinuit, nisi ex Romani Pontificis voluntate vel consensu, ut probant plura historica monumenta, inter quæ id unum seligimus : Theodoricus Romam Episcopos coegerat ad definiendam causam Symmachi Romani Pontificis : objecerunt Episcopi Concilium non debuisse convocari à *principe seculari;* reposuit Theodoricus se egisse *ex voluntate et consensu* Romani Pontificis, et litteras ostendit.

Dixi in propositione jus convocandi Concilia ad Summum Pontificem pertinere, *jure ordinario,* quia sunt casus in quibus à Romano Pontifice Concilium generale convocari nequit, quamvis sit necessarium, v. g., ubi nullus est Papa, vacante Sede apostolicâ; vel dubius est et incer-

tus, ut contigit tempore schismatis Occidentis, etc.

PROPOSITIO V.

Ex jure primatûs, causæ majores ad Romanum Pontificem referri debent.

Explicatur propositio. Majores appellantur causæ vel ex rei de quâ agitur gravitate, quales illæ sunt quæ ad fidem et generalem morum disciplinam spectant; vel ex magnitudine exortæ difficultatis; vel ex dignitate personarum.

Prob. propositio. 1.° Causæ istæ majores, quales à nobis designantur, pertinent evidenter ad ordinem et statum generalem Ecclesiæ quem plerumquè conturbant et semper conturbare possunt. Quis autem dubitat causas hujusmodi referri debere ad eum cui à Christo imposita est sollicitudo omnium Ecclesiarum? atque ita intellexère SS. Patres et Concilia.

Prob. 2.° *ex solemni Ecclesiæ consuetudine*, Conciliorum et Summorum Pontificum auctoritate firmatâ, quam apertè confessi sunt Præsules Gallicani, in suâ ad Innocentium X Epistolâ, quæ incipit his verbis : *Majores causas ad Sedem apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat.* Procès-verbaux du Clergé, ad calcem, tom. 4, page 39.

Hinc communiter infertur, eodem jure primatûs, posse Romanum Pontificem Episcoporum appellationes admittere et judicare; idque confirmari solet, tum ex frequenti illarum appellationum usu tam in Oriente quàm in Occidente, ut testatur historia ecclesiastica; tum vi jurisdic-

tionis Summi Pontificis super omnes Episcopos divisim sumptos, quorum proindè sententiam injustè latam irritare potest : illud autem maximè locum obtinere debet ex quo in desuetudinem missa sunt Concilia provincialia, sincerissimis bonorum omnium votis desiderata. Cæterùm de jure appell. vid. D. *Regnier*, tomo 2 de Ecclesiâ, p. 404 et seqq.

Observa tamen, cum eodem auctore, « aliud » esse jus ipsum appellationes admittendi et » dijudicandi, aliud verò juris illius exercendi » quæ sit ratio et modus. Sic in Galliâ, ex Con- » cordato inter Leonem X et Franciscum I, non » valet appellatio, omisso medio tribunali; et » quandò appellatio interjicitur ad Papam, com- » mittit Papa Judices in ipsis partibus, ne cogan- » tur Franci extra regnum causas suas prosequi. » Verùm juris appellationum ad Romanum Pon- » tificem origo et substantia hâc jurisprudentiâ » non læduntur. »

Cætera de quibus controvertitur an ad primatum summi Pontificis pertineant vel non, in sequenti articulo prosequemur.

ARTICULUS II.

Exponitur et vindicatur doctrina Declarationis Cleri Gallicani.

Præsules Gallicani jussu regio Parisiis congregati, 19 martii ann. 1682, protulêre Declarationem celebrem, quatuor contentam articulis; cujus tenor hic est :

Ecclesiæ Gallicanæ decreta et libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris canonibus et Pa-

trum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt qui eorum obtentu primatum beati Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum, à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque apostolicæ, in quâ fides prædicatur et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt quo eam potestatem, quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et gravem Regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ matris Christique adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus; nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes unà cum cæteris ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus.

I.

Primùm beato Petro ejusque successoribus, Christi vicariis, ipsisque Ecclesiæ rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, à Deo traditam potestatem; dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo: *et iterùm:* Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo; *ac proindè stare apostolicum illud:* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Reges ergo et Principes, in temporalibus, nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque aucto-*

ritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ quàm imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam, omninò retinendam.

II.

Sic autem inesse apostolicæ sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis, à Sede apostolicâ comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicanâ perpetuâ religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ sessione quartâ et quintâ continentur; nec probari à Gallicanâ Ecclesiâ qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III.

Hinc apostolicæ potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta à Regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ Sedis et Ecclesiarum consensione firmata, propriam stabilitatem obtineant.

IV.

In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos iis Spiritu sancto auctore præsidentes mittenda decrevimus, ut id ipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eâdem sententiâ.

Priusquàm autem doctrinam his quatuor articulis contentam vindicemus, quædam sunt prænotanda.

Notandum itaque latum intercedere discrimen inter præfatam Declarationem et doctrinam in eâ contentam, 1.° probari nequit Declarationem omninò fuisse legitimam; quorumdam enim Episcoporum non est de juribus sui capitis decernere; ideòque ne id fieret totos animi conatus adhibuisse Bossuetium testatur *D. Fleury. Nouv. opusc.*, pag. 213 et seq., 2. edit., et ex nonnullis ipsius litteris colligi potest. 2.° Acta præfati conventùs *Innocentius XI...* post *autem expressiùs Alexander VIII. Const.* Inter multiplices *die* 4 *augusti* 1690 *pro apostolici muneris ratione improbârunt, resciderunt, nulla et irrita declarârunt :* ita Summ. Pont. Pius VI Const. *Auctorem fidei*, § *Quamobrem.*

Verùm, quòd sedulò hic animadverti volumus, 1.° doctrinam in declaratione contentam nunquàm damnavêre nullàque theologicâ notâ confixêre Summi Pontifices. *Les Papes*, inquit Muzzarelli, Opuscul., *de l'Infaillibilité du Pape, préface*,

pag. 12. *Les Papes ont improuvé et cassé la déclaration de* 1682, *mais ils n'ont qualifié aucune des quatre propositions.* 2.° Refert quidem Benedictus XIV, Epistol. ad Suprem. Hispaniæ Inquisitorem, *tempore Clementis XII, seriò actum fuisse de opere* Bossuet. defens. decl. *proscribendo*, sed tandem *conclusum fuisse ut à proscriptione abstineretur.*

Hinc meritò cum Bossuetio dicere possumus: *Abeat ergo Declaratio quò libuerit; non enim eam tutandam hìc suscipimus. Manet inconcussa et* OMNIS CENSURÆ EXPERS *prisca illa Parisiensium* Theologorum *sententia.* Quibus prælibatis sit

§ I.

De Potestate Summi Pontificis in Regum temporalia.

Potestas in temporalia Regum dividitur in *directam* et in *indirectam*: prior est ea quæ datur propter proprium finem potestatis temporalis, nempè salutem corporis et pacem publicam; potestas *indirecta* in temporalia, est ea quæ datur propter finem obtinendum alterius potestatis. Quidam eò progressi sunt, ut dicerent Romanum Pontificem supremum esse Monarcham, eumque in temporalia *directam* habere potestatem; alii verò hanc sententiam temperantes, cum Bellarmino docuerunt *directam* potestatem in temporalia Romano Pontifici non competere, ipsi autem inesse *indirectam*, vi cujus, *tanquam summus Princeps spiritualis*, Reges deponere, et ipsorum subditos à sacramento fidelitatis absolvere potest. Nos verò sanctissimâ auctoritate Summorum

Pontificum nixi, statuimus, tanquam certum et indubitatum, Regum potestatem à Deo immediatè acceptam ab ipso tantùm pendere, ita ut Romanus Pontifex, vel etiam Ecclesia, nullam in Regum imperiis potestatem temporalem exercere unquàm possit.

PROPOSITIO.

Nec Romanus Pontifex, nec Ecclesia, ullam sive directam, *sive* indirectam *potestatem habent in temporalia Regum.*

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Joan. c. 18, ℣. 36; sic Christus loquitur: *Regnum meum non est de hoc mundo:* porrò si regnum Christi non fuit de hoc mundo, à fortiori regnum Vicarii ejus et Ecclesiæ; jam verò si regnum Ecclesiæ et Vicarii Christi non sit de hoc mundo, nec Ecclesia, nec Romanus Pontifex, directam habent potestatem in temporalia Regum, ut patet.

Prob. 2.° ex dicendis in probatione 2.æ partis.

Prob. 2.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Proverb. c. 8, ℣. 15: *Per me Reges regnant;* Danielis, c. 2, ℣. 37: *Deus,* inquit Daniel, alloquens Nabuchodonosorem, *regnum et imperium dedit tibi;* ad Rom. c. 13, ℣. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo.* Undè sic: ex mox allatis Scripturæ textibus, constat potestatem temporalem principibus à Deo immediatè tribui; potestas autem à Deo immediatè concessa à solo Deo pendet, et ab ipso solo tolli potest, nisi clarè probetur Deum voluisse ut ab altero pendeat: atqui nullus est Scripturæ aut Traditionis tex-

tus in quo talis Dei voluntas clarè exprimatur, imò contraria satis manifestatur, ut patet ex his Apostolis verbis : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo;* aliundè nulla evidens ratio temporalis potestatis ab ecclesiasticâ dependentiam exigit.

Prob. 2.° *ex Traditione.* Tertull. Apologet. cap. 30 : *Sciunt* Imperatores *quis illis dederit imperium.... Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi.* Et lib. ad Scapulam, cap. 2 : *Colimus Imperatorem... ut hominem à Deo secundum... et solo Deo minorem.* S. Optatus, lib. 3 contra Parmenianum : *Super Imperatorem,* inquit, *non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* S. Ambrosius in apologiâ David, cap. 10 : *Rex,* inquit, *utiquè erat, nullis ipse legibus tenebatur,... neque enim ullis legibus ad pœnam vocantur, tuti sub imperii potestate.* Osius, Episcopus Cordubensis, apud S. Athanasium sic loquitur, Constantium Imperatorem alloquens : *Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed à nobis potiùs hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit.* Gelasius Papa, Epist. 8 ad Anastasium : *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus sic regitur, auctoritas Pontificum et regalis potestas.* Undè sic : illi docent nec Papam nec Ecclesiam ullam habere in Regum temporalia potestatem, qui docent principum auctoritatem à Deo esse et ab eo solo pendere, et prorsùs distinctam esse potestatem ecclesiasticam à civili, ita ut non alteri liceat alterius jura

lædere : atqui ita docent SS. PP. mox appellati; ergo, etc.

Prob. 3.° *argument. theologicis.* 1.° Opinio de potestate ecclesiasticâ in temporalia Regum, nova est et ante Gregorium VII, id est, ante seculum XI inaudita; patet tum ex silentio sacræ Scripturæ, tum SS. Patrum. Legimus quidem in Scripturâ quòd reddenda sunt Cæsari quæ sunt Cæsaris; item, quòd *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etc.;* imò præcipit Apostolus ut obediamus dominis nostris etiam *dyscolis :* nullibi autem legitur in Scripturis principes ab Ecclesiâ posse deponi. Similiter Patres, imò Romani Pontifices decem priorum Ecclesiæ seculorum, innumeris in locis toti sunt ut obedientiam principibus debitam prædicent, nullus est autem qui verbis aut factis unquàm indicaverit Reges ab Ecclesiâ in temporalibus pendere; ergo opinio illa est recentiùs excogitata; ergo falsa est. Consequentia patet : si enim nova sit, ergo non revelata; si autem revelata non est, veritate caret.

2.° Multi fuère Reges et Imperatores, sive hæretici, sive infideles, qui Religionem et Ecclesiam Christi totis viribus demoliri conati sunt; non minùs certum est Ecclesiam hujusmodi principes auctoritate non spoliasse, nec subditos à juramento fidelitatis absolvisse : atqui hæc agendi ratio evidenter probat nullam à Deo ipsi concessam fuisse potestatem; si enim hanc potestatem à Deo accepisset, in præfatis circumstantiis eâ procul dubio usa fuisset.

Nec dicas cum Bellarmino quòd si Christiani olim non deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum Apostatam, etc., id factum fuerit quia

vires temporales deerant Christianis; namque iis etiam temporibus, ut loquitur Tertullianus in suâ Apologiâ, tam numerosi erant Christiani, ut omnia replerent loca, ita ut non defectu virium, sed ex liberâ voluntate, non propter timorem et necessitatem, sed propter conscientiam dominis suis, etsi peccatoribus, subjacerent. Et verò, quâ fronte primi fideles suam tantoperè obedientiam erga principes jactarent, si ad rebellionem sub prætextu Religionis mente dispositi, solo timore cogente, retenta fuisset eorum manus? Cæterùm vide illustrissimum Bossuetium in suâ Defensione Cleri Gallicani, lib. 1, parte 1.ª

Obj. 1.° Luc. c. 22, ℣. 38; cùm dixissent Discipuli, *Ecce duo gladii*, respondit Christus: *Satìs est;* quos quidem S. Bernardus, lib. 4 de Consideratione ad Eugenium Papam, per allegoriam intelligit de *spirituali* et *temporali* gladio.

Resp. In textu S. Lucæ sermo non est de duplici gladio spirituali et temporali, sed Christus monitos voluit Discipulos, maximas ipsos passuros esse angustias, tempore passionis suæ, similes iis in quibus esse solent qui *vendunt* tunicam ut *emant gladium;* cùm ergo, reponentibus Apostolis *duos esse gladios*, ipse respondit, *satìs est,* voluit ostendere non esse opus gladio. Enimverò si gladiis rem agi voluisset Christus, non duo, sed vix centum fuissent satìs. Reverà quidem S. Bernardus allegoricè duos illos gladios de spirituali et temporali intelligit: at eo sensu gladium temporalem Ecclesiæ vindicat, quòd eo, non manu propriâ, nec ex imperio, sed adhortatione utatur, recurrendo scilicet ad prin-

cipes seculares, canonum Ecclesiæ protectores, ut in gratiâ ipsius gladio materiali utantur. Mirum profectò ex illo textu allegoricè intellecto tantam Pontificibus potestatem tribui; quis enim nescit sensum allegoricum nullius roboris esse ad probandum, nisi vel aliis sacræ Scripturæ textibus, vel Traditione nitatur? quæ utraque deest conditio in præsenti casu.

Obj. 2.° Deus Ecclesiæ suæ contulit potestatem faciendi quæ necessaria sunt ad Ecclesiæ conservationem et salutem animarum; atqui depositio principum ad id aliquandò necessaria est, quandò scilicet princeps veram fidem evertere conatur; ergo, etc.

Resp. Nego min. Patientiâ, oratione et virtute tunc agendum est ad Ecclesiæ conservationem et conversionem principis, non autem vi et armis; Deus, scilicet, potens est ut salvet animas, fidemque custodiat, non obstantibus principum conatibus. Et verò, nunquàm illustrior fuit Ecclesia, quàm dùm ab Imperatoribus vexata est; ergo depositio principum non est medium ad Ecclesiæ conservationem necessarium; imò experientiâ constat ex attentatis Regum depositionibus, maxima in damnum Ecclesiæ emersisse mala: hinc auctoritas quam Summo Pontifici adversarii tribuunt, Hæreticis offensioni est, principibus odio, quos, si Christo nomen non dederunt, ab amplectendâ Religione deterret.

Obj. 3.° canonem tertium Concilii Lateranensis IV, in quo dicitur Dominum temporalem qui terram suam ab hæresi Albigensium purgare negligit, primò excommunicandum; deindè, si per annum in excommunicatione permanserit,

denuntiandum esse ad Summum Pontificem, qui vassalos suos à fidelitate pronuntiet absolutos, salvo jure Domini principalis; additurque eamdem legem servandam esse erga eos qui non habent Dominos principales; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. In illo canone non agitur contra Reges, sed tantùm contra feudatarios; porrò illi erant feudatarii vel Ecclesiæ, et consequenter de iis nulla difficultas, vel principum secularium: atqui ratione illorum non valebat decretum, nisi de auctoritate principum qui per legatos Concilio aderant; aderant enim legati Frederici Imperatoris, Regum Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Arragoniæ. Illi autem de quibus canon præfatur, *qui non habent Dominum principalem,* non sunt Reges ac principes: ex jurisperitis enim Reges non veniunt sub generali appellatione, propter personæ dignitatem: specialis eorum mentio fieri debet, ut lex ad eos spectet; illi ergo qui non habent *Dominos principales* erant tantùm principes *feudatarii* qui terras possidebant quas jurisperiti dicunt gallicè, *de franc-aleu,* ratione quarum non debent fidem, dominium et census; agnoscunt nihilominùs superiorem, si non ratione terræ suæ, ratione tamen jurisdictionis.

Obj. 4.° Plura decreta Synodi Constantiensis, quibus resistentes omni dignitate privantur, privantur etiam regali et imperiali; in iis etiam pœna privationis bonorum decernitur contra Fredericum Austriæ ducem, quòd bona Tridentinæ Ecclesiæ occupasset; ergo, etc.

Resp. ad priora decreta, ibi pœnas spirituales simul infligi cum temporalibus; adeòque pœnæ inflictæ non conjunctìm, sed divisìm, id est, ut

loquuntur, per distributionem accommodatam intelligenda sunt, adeò ut pœnæ spiritales ad Reges et principes *supremos*, pœnæ verò privationis dignitatum temporalium ad principes *feudatarios*, de consensu Imperatorum et Regum pertineant. Ea sic intelligenda esse patet, quia Concilio Constantiensi Theologi addictissimi, ut Gersonius et cæteri, opinionem de potestate Pontificis in temporalia Regum, vocant *subdolam adulationem*.

Quoad decretum contra Ducem Austriæ, nonnisi de consensu Imperatoris latum est, eumque Patres Concilii enixè rogârunt, ut sententiam in Fredericum latam exsecutioni mandaret.

Obj. 5.° quædam facta depositionis Imperatorum, quorum duo tantùm, quæ sunt gravioris momenti, referemus.

Itaque objicitur factum Henrici IV Imperatoris, quem Gregorius VII, potestate gladiorum, imperiali auctoritate spoliavit, cujusque sententia à pluribus Pontificibus et Conciliis fuit approbata.

Resp. Ut ex facto Gregorii VII aliquid concluderetur, oporteret ut à Summo illo Pontifice propositum fuisset fidelibus decretum quo adigerentur fideles ad id genus potestatis confitendum; deindè ut decretum illud ab universali Ecclesiâ approbatum fuisset: atqui hæc duo falsa sunt. Primum quidem; observat enim doctissimus Bossuetius, neque à Gregorio VII, neque à quolibet alio Pontifice aut Concilio pronuntiatum esse, ne quis negaret principes à Pontificibus posse deponi, neque ab ullo Doctore, ab ullo historico, ab ullo viro bono esse scriptum, hæreticum aut schismaticum fuisse quemquam,

eo præcisè nomine quòd negasset Reges à Pontifice posse deponi. Secundum quoque constat; Gregorius enim VII ipse testatur judicium ipsius à pluribus esse rejectum : *Quotquot*, inquit, *Latini sunt, omnes causam Henrici, præter admodùm paucos, laudant ac defendunt, et perniniæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt;* et reverà, Itali, Germani, Angli, Galli, Henricum pro deposito non habuerunt.

Neque dicas per tot Pontifices qui eam doctrinam professi sunt perimi indefectibilitatem Ecclesiæ Romanæ; nam indefectibilitas illa extenditur tantummodò ad ea dogmata quæ propriè definit et fidelibus proponit, non verò ad meras opiniones.

Obj. 6.° factum Frederici II Imperatoris ab Innocentio IV, sacro approbante Concilio Lugdunensi I œcumenico, depositi, ut narrat Matthæus *Paris*.

Resp. Sententia depositionis Frederici non à toto Concilio, sed ab Innocentio IV tantùm lata est; quia Bulla depositionis inscribitur : *Sententia contra Fredericum Imperatorem ab Innocentio IV in Concilio lata, sacro præsente Concilio.* Porrò in decretis quibus Concilium consensit, apponitur, *sacro approbante Concilio*, vel *ex communi Concilii approbatione;* quod discrimen apertè indicat sententiam depositionis à Concilio non fuisse comprobatam; ergo deceptus est Matthæus *Paris*, qui fortè ex pœnâ excommunicationis in Fredericum à toto Concilio latâ, depositionem ab eodem contra hunc principem latam fuisse concludit.

Inst. Innocentius IV ait Sententiam depositionis ex præhabitâ Concilii deliberatione latam fuisse; ergo à Concilio approbata est.

Resp. 1.° Innocentium loqui de deliberatione non de consensu; 2.° hanc deliberationem spectare tum crimina Frederici, quæ coram Concilio discussa sunt, tum sententiam excommunicationis, quæ ibidem lata est.

§ II.

De Auctoritate respectiva Summi Pontificis et Concilii generalis.

Quæstio est utrùm Concilium generale sive à Summo Pontifice, sive, ipso injustè renuente, à primis Ecclesiæ Præsulibus convocatum, sit ipso Summo Pontifice superius in iis quæ pertinent ad fidem, disciplinam, reformationem ac jurisdictionem.

PROPOSITIO PRIMA.

Romanus Pontifex cuilibet Concilio verè œcumenico inferior est in iis quæ pertinent ad fidem, disciplinam, reformationem ac jurisdictionem.

Prob. 1.° Ex dicendis, Romanus Pontifex, etiam ex cathedrâ loquens, errori obnoxius est; Concilium verò œcumenicum, repræsentans Ecclesiam, infallibilitate gaudet; ergo Papâ superius est. Præthereà Summus Pontifex errans, nec errorem deponens, ab aliquo judicandus est; ergo à Concilio œcumenico; nulli enim alteri tribunali in spiritualibus subesse potest.

Prob. 2.° Concilium Constantiense, Sess. 4.ª et 5.ª est verè œcumenicum: atqui definit in illâ sessione ipsum esse superius Summo Pontifice in rebus recensitis; ergo, etc.

Prob. maj. Si Concilium Constantiense, Sess. 4.ª et 5.ª, non esset œcumenicum, maximè quia non aderant Obedientiæ Gregorii XII et Benedicti XIII : atqui absentia illarum Obedientiarum non impedit quominùs Concilium Constantiense sit œcumenicum, quia 1.° illa absentia non obstat quominùs Obedientia Joannis XXIII legitimè congregata (quæ erat vera Obedientia), totam moraliter Ecclesiam efformaret, quia 2.° certum est Concilium Constantiense œcumenicum fuisse Sess. 8.ª, 13.ª et 15.ª, in quibus damnati sunt Wiclefus et Joannes Hus ; quippe Martinus V in Bullâ suâ, *Inter cunctas*, ab omnibus credi imperat Concilium Constantiense universalem repræsentasse Ecclesiam, cùm Wiclefum damnavit : porrò non magis œcumenicitate donabatur his sessionibus quàm sessione 5.ª, cùm illis sicut et isti adesset sola Joannis XXIII Obedientia ; quia 3.° Concilium Basileense adhuc œcumenicum, decretum sessionis 5.æ Constantiensis Concilii renovavit et confirmavit.

Prob. min. Synodus enim Constantiensis definit, decernit et declarat quòd Synodus legitimè congregata, et Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo habeat immediatè : cui quilibet, cujuscunque statùs vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem et exstirpationem schismatis et reformationem Ecclesiæ in capite et in membris : porrò hæc evidenter probant Concilium generale esse superius Summo Pontifice, in casibus recensitis, si decretum ad tempus schismatis non sit restringendum : atqui decretum Constantiense de omni tempore, etiam quandò certus est Papa, exponendum est : 1.° quia

tunc verè dubius non erat Summus Pontifex; à Concilii Pisani tempore certum erat schismaticos fuisse Gregorium XII et Benedictum XIII, legitimos verò Pontifices fuisse Alexandrum V et Joannem XXIII ejus successorem; 2.° quia Concilii Constantiensis decretum declarat Summum Pontificem Concilio subjici, non tantùm in iis quæ spectant exstirpationem schismatis, verùm etiam in omnibus ad fidem et reformationem spectantibus, nec tantùm huic Concilio Constantiensi, sed et omnibus Conciliis generalibus; 3.° quia non melior est interpres sensûs canonis Constantiensis, quàm Synodus ipsa Basileensis, ab Eugenio IV, anno 1431 confirmata; porrò Synodus Basileensis decretum Constantiense eo sensu intellexit, quòd Romanus Pontifex certus et extra tempus schismatis inferior sit Concilio; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Usus potestatis apostolicæ moderandus est per canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentiâ consecratos.

Prob. 1.° Ex probatis in propositione primâ, Romanus Pontifex Concilio generali subest; ergo et canonibus Conciliorum generalium, vel legibus à totâ Ecclesiâ, quæ ejusdem auctoritatis est, consecratis; ergo usus potestatis apostolicæ dirigendus est ac proindè moderandus per canones; 2.° quia id expressè agnoverunt Summi Pontifices; Zozimus, Epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis, ait quòd *contra statuta Patrum... concedere* aliquid *vel mutare*, *ne hujus quidem Sedis possit auctoritas.* S. Leo,

Epist. ad Pulcheriam Augustam, Conc. Chalced. part. 3.ª, cap. 7 : *Quoniam contra statuta paternorum canonum.... nihil cuiquam audere conceditur.* Hinc est quòd Summi Pontifices, die inaugurationis suæ, jurejurando se adstringunt ad canonum observationem.

Hìc summatìm perstringere sufficiat quæ adversùs has duas propositiones objiciuntur, ut potè quæ sint levioris momenti.

1.° Dicitur Summum Pontificem esse Pastorem, Caput Ecclesiæ, potestatem habere in universam Ecclesiam, ut definitum est à Concilio Florentino; demùm ipsum à nemine judicari : *Prima enim Sedes*, ut fert axioma, *à nemine judicatur;* sed hæc superioritas quâ Caput et Pastor est Ecclesiæ, vi cujus à nemine judicari potest, non spectat Ecclesiam *collectivè* sed *distributivè* sumptam; ita enim eam intellexit Martinus V ipse, in Concilio Constantiensi.

2.° Dicitur Summum Pontificem confirmare Concilia; dispensare à canonibus Conciliorum generalium. Sed illa confirmatio nihil aliud est quàm merus consensus ipsorum definitionibus, aut declaratio ipsorum œcumenicitatis; non verò judicium quod ipsis auctoritatem infallibilem tribuat; deindè ex dispensatione non sequitur superioritas, quia Christus et Ecclesia instituere potuerunt ut Romanus Pontifex, licèt canonibus inferior, urgente necessitate vel utilitate, in canonibus dispensare posset.

3.° Dicitur, invito Concilio Basileensi, Concilium Florentinum ab Eugenio IV congregatum esse; deindè ipsum in Bullâ suâ, *Moyses vir Dei;* damnasse hanc Patrum Basileensium propositionem, *Veritatem de potestate Concilii generalis*

supra Papam esse fidei catholicæ : sed *ad* 1.um *respondeo,* non Eugenium solum, sed saniorem partem Concilii Basileensis cum Eugenio conjunctam, Florentiam Concilium transtulisse. *Respondeo ad* 2.um, meritò damnatam esse hanc Basileensium propositionem, quia, licèt superioritas Concilii supra Papam defendatur à Gallis, *non est tamen fidei catholicæ*, cùm apud Catholicos de hàc quæstione liberè disputetur.

Dicitur ultimò Concilium Lateranense V definivisse Papam esse Concilio superiorem.

Resp. 1.° Concilium illud Lateranense V jure œcumenicitatis apud omnes Catholicos non gaudet; 2.° superioritas Pontificis non expressè definita est in præfato Concilio, sed de eà tantùm mentio fit in probationibus et præambulis, quæ eâdem auctoritate ac decreta Concilii non pollent; igitur illa definitio prævalere non potest constantibus decretis quæ à Concilio verè œcumenico, et juxta formam definitionis prolata sunt.

§ III.

De Infallibilitate Summi Pontificis.

Plures respectus in Summo Pontifice considerari possunt: 1.° quidem spectari potest Summus Pontifex ut privatus Doctor; 2.° ut Romæ urbis Episcopus; 3.° quatenùs Metropolitanus; 4.° ut Patriarcha totius Occidentis; 5.° tandem, ut totius Ecclesiæ Caput. Summus Pontifex nullam specialem habet auctoritatem ut Doctor privatus, et tantùm valent ipsius responsa, quantùm et rationes quibus fundantur; ut Romæ Episcopus, in Romanâ Diœcesi jurisdictionem exercet; ut Me-

tropolitanus, auctoritatem habet in suffraganeos Episcopos, scilicet Romæ vicinos; tanquam Patriarcha, jurisdictionem obtinet in omnes Episcopos Occidentis; tandem, ut totius Ecclesiæ Caput, in totâ Ecclesiâ primatum honoris et jurisdictionis habet; iisque omnibus insignitur privilegiis quæ suprà ipsi competere demonstravimus.

Summus Pontifex identidem agere potest secundùm aliquem ex illis prioribus respectibus, v. g., tanquam Doctor privatus, etsi non agat tanquam Summus Pontifex; aliquandò verè agit et loquitur quatenùs est Papa, id est, prout Ecclesiæ Caput, et hoc est, quòd dicitur agere vel loqui *ex cathedrâ*. Dissentiunt maximè inter se Ultramontani circa notas quibus dignosci possit an Romanus Pontifex loquatur ex cathedrâ : quidquid sit, certum videtur Papam eo modo agere vel loqui, 1.° cùm ad omnes fideles decreta sua dirigit; non enim in omnia Ecclesiæ membra auctoritate potitur, nisi ut totius Ecclesiæ Caput; 2.° cùm aliquid præcipit orientalibus Episcopis; ratio est quòd solâ in Orientales Capitis auctoritate valeat, cùm ipsi versentur extra limites Patriarchatûs Occidentis; 3.° cùm aliquid facit cujus peragendi jus non sibi tribuit, nisi quatenùs Summus Pontifex, v. g., cùm Imperatores et Reges deponere tentavit.

Porrò distinguendum est inter *Sedem* Romanam, et *Personam* quæ in eâ sedet; Sedes enim Romana indefectibilis est, vi promissionum Christi, cùm Ecclesiæ perpetuò duraturæ fundamentum sit; igitur semper futuri sunt, *moraliter loquendo*, usque ad finem mundi, successores S. Petri veram fidem tenentes. Dixi, *moraliter loquendo;* non enim est contra promissionem divinam ut, brevi

spatio temporis, aut nullus sit in cathedrâ Petri sedens, propter mortem alicujus Papæ cujus successor nondùm electus fuerit, aut etiam Pontifex Romanus hæresim aliquandiù doceat. At verò privilegium indefectibilitatis quæ sanctæ Sedi convenit, minimè promissum est singulis in eâ sedentibus. Ipsi enim deficere possunt per hæresim; aliundè omnes reverà deficiunt per mortem naturalem.

Certum est Romanum Pontificem, quatenùs privatum Doctorem, vel ut Episcopum, vel ut Metropolitanum aut Patriarcham, errori obnoxium esse; Supremus enim Pontifex, sub his respectibus, non majori gaudet privilegio quàm cæteri in quibus eosdem respectus videre est: atqui constat privatos Doctores fallibiles esse; ergo à pari Romanus Pontifex, ut privatus Doctor, fallibilis est, quidquid contrarium dixerint pauci inter Ultramontanos. Itaquè tota quæstio est utrùm Doctor infallibilis sit Papa *ex cathedrâ loquens*. Affirmant Ultramontani, quorum alii ita promissam fuisse censent Romano Pontifici infallibilitatem, ut ipsi soli, non autem Episcoporum corpori, nisi quatenùs cum ipso jungatur, competat; alii verò ita Romano Pontifici tribuunt infallibilitatem, ut eamdem prærogativam Episcoporum corpori datam fuisse putent, ita ut repugnet Papam inter et corpus episcopale definitionum oppositio. Secundùm adductam Cleri Gallicani doctrinam, Romanus Pontifex, etiam *ex cathedrâ loquens*, errori obnoxius est, ita ut infallibilitas promissa sit corpori Episcoporum. Quidam tamen Galli contendunt inerrantiæ privilegium nec soli Papæ, nec soli Episcoporum corpori, sed utriusque simul junctis concessum fuisse.

Cæterùm hìc cum illustr. *Bossuet* sedulò notandum ducimus quæstionem de infallibilitate aut fallibilitate Summi Pontificis *ad fidem catholicam* non pertinere, ita ut, absque hæreseos et rebellionis contra Ecclesiam crimine, alterutra defendi possit. Hinc videre est quàm præposterè, ne quid ampliùs dicam, in Gallorum de fallibilitate Papæ sententiam debacchati fuerint quidam Ultramontani, quàm temerè malignas ipsi notas inurere voluerint. In hâc propulsandâ à Cleri Gallicani Declaratione calumniâ totus est Bossuetius in appendice ad Defens. Declar. Cleri Gall. Hinc etiam malâ fide Protestantes unionem suam cum Romanâ Sede denegant, sub prætextu quòd exigat ut propositiones contradictoriæ Declarationi Cleri Gallicani ab omnibus qui cum ipsâ communionem servare voluerint teneantur, et *fide catholicâ* credantur; mera enim est calumnia, ut multis argumentis ex auctoritate Theologorum Ultramontanorum depromptis confirmari potest, et magis adhuc patet ex agendi ratione Summorum Pontificum erga Gallos Cleri Gallicani declarationi addictissimos.

PROPOSITIO.

In fidei et morum quæstionibus, Romani Pontificis, etiam ex cathedrâ *loquentis, judicium non est irreformabile, donec Ecclesiæ consensus accesserit.*

Prob. 1.° Si Romani Pontificis judicia, etiam *ex cathedrâ* lata, essent irreformabilia, ea certè ad novum examen non revocassent Concilia œcumenica : atqui tamen à pluribus Conciliis œcumenicis ad novum examen, etc.; sic Cœlestinus Papa

Papa hæresim nestorianam in Synodo Romanâ damnaverat, et causa iterùm agitata expensaque fuit in Concilio Ephesino; sic S. Leo Magnus Eutychetem proscripserat in epistolâ dogmaticâ ad Flavianum; et tamen Synodus Chalcedonensis, ut asserunt Patres Concilii V, *non simpliciter nec sine inquisitione* eam approbavit, *sed quatenùs per omnia* cognovit *ipsam consonare expositioni et doctrinæ sanctorum Patrum;* sic Martinus I in Synodo Lateranensi, et Agatho in Synodo Romanâ, Monothelitas compresserant, et tamen congregatum est Concilium VI, cujus Patres non priùs acquieverunt Pontificum decretis, quàm scrutati essent *libros sanctorum et probabilium Patrum.*

Prob. 2.° Illa prærogativa non fuit Romano Pontifici concessa, quam non agnoverunt priora Ecclesiæ secula: atqui infallibilitatem Romani Pontificis non agnoverunt priora Ecclesiæ secula; non ipsam enim agnovêre Asiaticæ Ecclesiæ, quæ, duce Polycrate, ita fortiter judicio Victoris Papæ restiterunt; ipsam penitùs ignorasse videtur Cyprianus cum suis Africanis, dùm Stephani aliter decernentis redarguit consuetudinem; non ipsam agnovêre Patres et Concilia, quæ passim docent non unius aut alterius Ecclesiæ, sed universarum moraliter Ecclesiarum consensione finiendas esse controversias; non agnitam fuisse comprobat Ecclesiæ praxis, quæ nullam hæresim judicio solo Romani Pontificis, et nisi accedente Ecclesiæ expresso vel tacito consensu tanquam damnatam habuit.

Prob. 3.° Si Romano Pontifici competeret infallibilitas, in verbo Dei scripto aut tradito luculenter et distinctè debuisset exprimi, imò

deberet constare de conditionibus ad illam exercendam : neutrum tamen asseri potest : 1.° enim nullus Scripturæ textus proferri potest qui evidenter Summo Pontifici donum illud eximium conferat, ut patebit ex dicendis; nullus pariter Traditionis locus ostenditur in quo contineatur hæc prærogativa, cùm, ex jam dictis, adversùs eam reclament omnia ecclesiastica monumenta 2.° Etiam non constat de conditionibus juxta quas illa infallibilitas exercenda sit; non potest enim exerceri nisi Papa *ex cathedrâ* loquatur : atqui non solùm Gallicani ab Ultramontanis, sed ipsimet Ultramontani à sese invicem dissentiunt circa conditiones quæ requiruntur ut Pontifex *ex cathedrâ* docere censeatur, ut patet ex variis opinionibus quæ apud ipsos defenduntur; ergo, etc.

Obj. 1.° Lucæ c. 22, ℣. 32 : *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua;* Christus promisit Petro fidem ipsius non esse defecturam : atqui hæc promissio pertinet etiam ad ipsius successores; ergo, etc.

Resp. Conc. totum argumentum. Etenim ex illo tantùm concluditur fidem Romanorum Pontificum deficere non posse : atqui, licèt fides Romanorum Pontificum deficere non possit, non ideò sequitur ipsos in particulari esse infallibiles; etenim, ut observat S. Bonaventura in hunc textum, aliud est cadere, aliud deficere; illius fides deficit qui fidem ita perdit ut eam non recuperet; illius autem fides cadit qui, post erroris professionem, resipiscit et veræ fidei iterùm adhæret : porrò, inquit S. Doctor, Dominus rogavit non ut Petrus non caderet, sed tantùm ut non deficeret, quia licèt ceciderit,

resurrexit. *C'est Pierre qui a failli* (perorabat illustr. Bossuetius, in Comit. Cleri Gall. 1682), *mais qu'un regard de Jésus ramène aussitôt, et qui, avant que le Fils de Dieu lui déclare sa faute future, assuré de sa conversion, reçoit l'ordre de confirmer ses frères; et quels frères? les colonnes même: combien plus les siècles suivans!* Sermon sur l'unité de l'Eglise.

Obj. 2.° Matth. c. 16, ℣. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Undè sic argumentari licet: fundamentum Ecclesiæ infallibilis, infallibile esse debet: atqui Romanus Pontifex est fundamentum Ecclesiæ infallibilis; ergo, etc.

Resp. 1.° *Dist. maj.* Fundamentum Ecclesiæ infallibilis, infallibile esse debet, posito quòd Ecclesia suam à fundamento tantùm firmitatem accipiat, *conc.;* secùs, *nego.* Itaque, posito quòd Ecclesia suam à fundamento firmitatem tantùm accipiat, dicendum esset in hypothesi infallibilitatis Ecclesiæ, Romanum Pontificem esse infallibilem; effectus enim non potest esse major suâ causâ; sed res non ita se habet; siquidem Romanus Pontifex eo tantùm sensu dicitur Ecclesiæ fundamentum, quòd in eâ primatu honoris et jurisdictionis gaudeat: atqui Ecclesia suam non accipit firmitatem à fundamento tantùm, id est, à solo capite, quemadmodùm in Curiis videmus decreta suam non á Præside solo, sed à majori numero Senatorum, vim trahere.

Resp. 2.° *Nego consequent. et parit.* Disparitas est quòd in ædificiis materialibus, pars superior omnem à solo fundamento firmitatem habeat;

at verò Ecclesia non à solo Romano Pontifice, sed à corpore episcopali suam in fide stabilitatem accipit : Christus enim non soli Petro sed omni Apostolorum collegio dixit : *Euntes, etc.*

Inst. 1.° Metaphora fundamenti Ecclesiæ quæ applicatur S. Petro et successoribus ejus, necessariò exigit ut ab ipso et successoribus suam Ecclesia stabilitatem penitùs accipiat, alioquin comparatio claudicaret; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Ad comparationis legitimitatem necesse non est quòd perfecta sit inter duos comparationis terminos æqualitas, sed sufficit ut in aliquibus conveniant : porrò res ita se habet in præsenti casu; sicut enim fundamentum domûs est quid in ipsâ primarium, sic Romanus Pontifex Ecclesiæ totius Caput est; et sicut domus à fundamento pendet, ita singula Ecclesiæ membra pendent à Romano Pontifice, id est, ipsi subjiciuntur; et sicut domus semper fundamento, moraliter loquendo, inniti debet, ita semper, moraliter loquendo, usque ad finem mundi erit aliquis sedens in cathedrâ Petri; et sicut domus connectitur fundamento, ita Romanus Pontifex centrum est communionis catholicæ, cum quo singuli fideles communicare tenentur.

Inst. 2.° Ut ex textu mox objecto demonstretur infallibilitas Papæ, sufficit quòd pronomen *eam* ad petram referatur : atqui res ita est, ut constat ex interpretatione quorumdam Patrum.

Resp. 1.° *Nego min.* Pronomen *eam,* juxta regulas constructionis, referri debet ad nomen substantivum immediatè præcedens, non autem ad illud quod remotè tantùm antecedit : atqui nomen Ecclesiæ immediatè, *petræ* autem remotè tantùm præcedit.

Resp. 2.° Etiamsi pronomen *eam* ad petram referendum esset, non ideò sequeretur Papam esse infallibilem; ut enim non prævaleant portæ inferi adversùs petram, id est, Petri cathedram, sufficit quòd semper, moraliter loquendo, usque ad finem mundi sedere debeant Pontifices veram fidem docentes; nec magìs propter hæresim instantaneam unius aut alterius Pontificis, quam ipse admonitus ab Ecclesià corrigeret, non magis prævalerent inferi portæ adversùs petram, quàm propter mortem Pontificum.

Obj. 3.° Summus Pontifex totius Ecclesiæ Pastor est et Doctor : atqui Doctor et Pastor totius Ecclesiæ, infallibilis esse debet; ex hypothesi enim quòd erraret, Ecclesia, quæ tenetur ipsum audire, errori foret obnoxia.

Resp. Nego min. Summus Pontifex Doctoris et Pastoris munia implere potest, absque eo quòd sit infallibilis; ille enim meritò dicitur totius Ecclesiæ Doctor, qui præcipuas in definitionibus fidei partes habet, et cujus decreta ad omnes pertinent Ecclesias : atqui Summus Pontifex præcipuas in definitionibus partes habet, et ejus decreta ad omnes pertinent Ecclesias, ex jam probatis, art. 1.° præcedenti; ergo, etc. Nec dicatur Ecclesiam falli posse ex hypothesi quòd Papa, Doctor ipsius, errorem definiat, siquidem, ex jam dictis, fideles non tenentur *immobiliter* adhærere definitioni Pontificis, nisi accesserit Episcoporum consensus expressus vel tacitus.

Obj. 4.° plurima sanctorum Patrum testimonia, quæ quidem fusiùs referre non vacat, sed quorum summa hæc est : 1.° Sedem Apostolorum à veritate nunquam deflexisse; 2.° ipsam defectum in fide experiri non posse; 3.° in ipsâ, vi pro-

missionum, integram esse Religionis soliditatem; 4.° Romanam Ecclesiam aliarum esse matrem et magistram; 5.° perfidiam ad Romanos accessum habere non posse; 6.° judicium sanctæ Sedis retractari non posse; 7.° Papam esse Spiritûs Sancti organum; ergo, etc.

Resp. 1.° Plurima Patrum testimonia quæ nobis objici possunt, emolliri et paulisper temperari debent, quia cursìm et dùm celebraretur sanctæ Sedis encomium, prolata sunt; nôrunt autem omnes in his circumstantiis verba non ad vivum esse resecanda.

Responsio generalis dari potest quæ sic se habet: nullus est textus veterum Patrum clarus in quo asseratur Papam esse infallibilem; ita ut, independenter à consensu corporis episcopalis, ipsius definitionibus internus et immobilis debeatur assensus; deindè sancti Patres in disputationibus contra Hæreticos nunquàm solius Papæ auctoritatem ad plenam hæreseum confutationem adduxerunt; usi sunt autem frequenter auctoritate Conciliorum œcumenicorum, suffragio Ecclesiæ dispersæ: porrò vix fieri potest, ex hypothesi quòd steterint pro infallibilitate Romani Pontificis, ipsos nullibi, terminis expressis, docuisse Romanum Pontificem infallibilem esse; ergo, etc.

Resp. 2.° *ad singula. Ad* 1.um Aliud est dicere Sedem apostolicam à viâ veritatis non deflexisse, aliud Papam in eâ sedentem errare non posse; prius asseruit Papa Agatho, non verò posterius. Annotandum verò Summum Pontificem, etsi absolutè infallibilem, speciali tamen et uberiori instrui auxilio ad rectè definiendum, tum quia præcipuas, ut jam diximus, in fidei definitioni-

bus partes habet, tum quia fides Romanæ Sedis deficere non potest; hoc autem auxilium uberius et speciale haberi potest velut principium infallibilitatis, non quidem absolutæ, sed moralis, ita ut difficillimum sit Papam *ex cathedrâ* loquentem errorem definire.

Ad 2.um Defectum in fide sentire non potest Sedes Romana; illud ultrò fatemur; sed aliud est fidem Sedis apostolicæ non sentire defectum, aliud Papam in eo sedentem esse infallibilem, ut jam diximus.

Ad 3.um In Sede apostolicâ integra est soliditas Religionis eo sensu quòd fides et Religio seriei Pontificum sit omninò vera et sancta; cùm, ex dictis, Romanus Pontifex catholicæ communionis centrum sit, fieri nequit ut fides Sedis apostolicæ et seriei Pontificum deficiat.

Ad 4.um Sedes apostolica omnium Ecclesiarum mater est et magistra; mater, quia in singulas Ecclesias jurisdictionem obtinet, sicut mater in filias; dicitur magistra, quia præcipuas in fidei definitionibus partes habet, et decreta ipsius ad omnes pertinent Ecclesias; quia Romanis Pontificibus munus incumbit singula Ecclesiæ membra in fide confirmandi : atqui omnes illi tituli non important infallibilitatem.

Ad 5.um Cùm dixit S. Cyprianus perfidiam ad Romanos accessum habere non posse, dicere noluit quemlibet Pontificem infallibilem esse, cùm definienti reluctatus sit, sed tantùm significare voluit Sedem Romanam, sumptam pro serie Pontificum, à verâ fide aberrare non posse; aut etiam, si velis, plurimùm esse difficile ut perfidia ad Romanos accessum habeat; quod enim difficillimum est, sermone vulgari impossibile dicitur.

Ad 6.um Judicium Papæ retractari nequit ubi accessit consensus expressus aut tacitus Episcoporum, et hic est sensus Zozimi et Bonifacii.

Ad 7.um Papa dicitur organum Spiritûs Sancti à Concilio VIII, quia reverà sanam doctrinam proposuerat; aliundè id quotidiè dicitur de Sacerdotibus qui prædicationis munium exercent, quos tamen nemo dixerit infallibiles.

Qui plura hâc de re voluerit, adeat illustr. Bossuetii Defensionem Declar. Cleri Gall., lib. 10, et corollarium, n. 8, cujus pauca hæc describendo, finem præsenti quæstioni imponemus : *Hìc enim patere volumus Gallicanæ Declarationis arcanum; Gallicanos Patres non id edixisse, ne Romanus Pontifex infallibilis haberetur, de quo in scholis tantæ rixæ sunt. Procul has scholæ voces rixasque habuerunt; non id episcopale suumque æstimârunt. Ad praxim maximè respicere placuit; atque illud pro certo figere, utcunquè scholastica ac subtilis quæstio se habeat, tamen convenire inter omnes catholicos, pontificium decretum non haberi pro irreformabili, neque ultimum robur esse consecutum, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

TRACTATUS

DE MYSTERIO

SS. TRINITATIS.

Ubi quœritur unitas Trinitatis, inquit S. Augustinus, lib. 1 de Trinitate, cap. 3, *nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quœritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Summâ igitur cautione, labore magno et ardenti desiderio nunc opus est. Sed imprimìs, in re tam arduâ, tam cogitatu incomprehensibili, requiritur mentis subjectio, quæ longè magìs quàm ratio subtilis prodesse potest : tantum enim mysterium *scrutari,* inquit S. Bernardus, *temeritas est, credere autem pietas ;* de Considerat. lib. 5, cap. 8.

Mysterium SS. Trinitatis definitur, *Deus in tribus personis.* In duobus ergo positum est, 1.° quòd tres sint in Deo personæ realiter distinctæ; 2.° quòd illæ tres personæ unam eamdemque habeant naturam, divinam scilicet. Ad significandum mysterium illud, aptè inventa est vox, *Trinitas,* cùm, juxta vim nominis, idem sit ac trium unitas.

Quatuor erunt hujusce tractatûs dissertationes: in 1.â agemus de trinitate personarum in Deo; in 2.â de consubstantialitate personarum seu quòd unaquæque Deus sit; in 3.â de processionibus divinis; in 4.â deniquè, breviter absolvemus quæ spectant personarum divinarum relationes, subsistentias, notiones et varia cujusque nomina. Sed

nonnulla in antecessum præmittere juvat de Hæreticis qui hanc fundamentalem Religionis Christianæ veritatem variis temporibus impugnaverunt.

Recensentur præcipui errores circa mysterium SS. Trinitatis.

Plures consultò omittimus Hæreticos qui, ab ipso Ecclesiæ exordio, vana deliria mentis ægræ disseminârunt, ut Simon Magus, Valentinus, Praxeas, etc.

1.° Errârunt hi omnes qui unicam in Deo admisère personam, tribus nominibus, Patris scilicet, Filii et Spiritùs Sancti insignitam, pro diversitate officiorum; ita inter alios, *Sabelliani,* à Sabellio eorum duce nuncupati. Deus, inquiebant, unicus in personâ sicut et in naturâ, modò ut Pater, modò ut Filius, modò ut Spiritus Sanctus apparuit : ut Pater, legem dando; ut Filius, carnem assumendo; ut Spiritus Sanctus, in Apostolos et Discipulos olim descendendo. Quod illustrare amabant exemplo solis, in quo tria, quæ tamen eadem sunt, observantur, figura nimirùm rotunda, illuminandi facultas, et calefaciendi virtus; primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui Sancto aliquatenùs respondere affirmârunt.

2.° Errârunt hi omnes qui Verbi seu Filii divinitatem et consubstantialitatem cum Patre negârunt. Ita præ cæteris *Ariani,* IV Ecclesiæ seculo, sic dicti ab Ario Hæresiarchâ.

Arius, Presbyter Alexandrinus, blasphemando asserere ausus est, Verbum Dei meram esse creaturam, cæteras ante factam, virtute cujus, tanquam causæ instrumentalis, omnia facta sunt;

ipsum esse Dei filium, non naturâ sed gratiâ, et Deum nomine tenùs. Damnatus est in Concilio Nicæno, generali I, quod convocavit Constantinus Magnus Imperator. In hoc percelebri Concilio asserta est divinitas Verbi, et vox *Homousios*, *Consubstantialis*, Symbolo inserta.

In tres sectas divisi sunt Ariani : prima eorum erat qui rigidi Ariani dicebantur, pertinaciter asserentes Verbum esse creaturam, et nullo modo similem Patri secundùm substantiam. Indè, quòd Filium Patri *anomoion*, id est, dissimilem esse contenderent, *Anomœi* dicti sunt. Nuncupantur quoque Aetiani vel Eunomiani, ab Aetio et Eunomio hujus factionis principibus. Secunda secta fuit Semi-arianorum, qui impium Arii dogma temperantes, prædicabant Filium esse Patri non *homousion*, sed *homoiousion*, id est, similem in substantiâ. Tertia deniquè secta, Filium *homoion* seu similem esse Patri docebat, non in naturâ, sed externâ duntaxat repræsentatione, eodem ferè modo quo simulacrum exemplari suo simile est.

3.° Errârunt *Macedoniani*, qui, duce Macedonio Ariano, Spiritûs Sancti divinitatem aggressi sunt, affirmantes illum meram esse creaturam, ministrum donorum Dei, naturâ et dignitate longè Deo inferiorem.

4.° Mysterium Trinitatis pariter destruebant, qui totidem naturas in Deo quot sunt personæ admittebant. Ita *Tritheitæ*, quorum dux fuit Philoponus, celebris VI Ecclesiæ seculo Philosophus. Ii autem tres numericè distinctas in Deo naturas sicut et personas esse asserebant, ita ut Pater, Filius et Spiritus Sanctus similis omninò sed non unius forent naturæ, quemadmodùm varii homines eamdem specie naturam habent, licèt singuli

propriam et individualem et nulli alteri communem retineant.

5.° Deniquè Lælius Socinus, ipsiusque nepos Faustus Socinus, à quibus secta *Socinianorum*, XVI Ecclesiæ seculo, errores jam diù obsoletos instauravêre. Unicam in Deo personam admittunt, undè *Unitarii* quoque dicti; docent autem Christum Prophetam esse in veteri lege promissum, qui genus humanum exemplis suis informaret, sed merum hominem; Spiritum Sanctum verò, nihil aliud esse quàm energiam seu virtutem et operationem divinam. Sic istorum hæresis ex Arii et Sabellii erroribus coalescit. Hanc armis subtilissimæ logicæ tueri conati sunt viri cæteroquì litterarum peritissimi, in primis Crellius, Wolkelius, etc.

DISSERTATIO PRIMA.

DE TRINITATE PERSONARUM IN DEO.

Hic rem habemus cum Sabellio et Socinianis, qui, ex jam dictis, unicam agnoscunt in Deo personam. Nos autem cum Ecclesiâ Catholicâ profitemur Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, de quibus loquuntur Scripturæ, non esse tres unicæ personæ denominationes, sed tres reipsâ numero distinctas personas.

PROPOSITIO.

Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex veteri Testamento.

Loca veteris Testamenti quæ proferuntur in

gratiam hujusce mysterii, non sunt ita clara ut per se et independenter à Traditione, trinitatem personarum certò evincant. Sed diffiteri nemo potest quin ipsa saltem collecta plurimùm valeant ad inclinandum in hanc partem incredulos tum ex Judæis, tum ex Hæreticis. Ex his nonnulla seligimus.

Genes. c. 1, ℣. 26 : *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ibid. c. 3, ℣. 22 : *Ecce Adam*, inquit Dominus ironicè loquens, *quasi unus ex nobis factus est;* et c. 11, ℣. 7, rursùs loquitur Dominus : *Venite*, inquit, *descendamus et confundamus ibi linguam eorum.* Porrò, cur pluralem numerum in his textibus auctor sacer de Deo loquens adhibuit? Certè nullà ex parte linguæ ipsius talis incumbebat necessitas; aliundè ista pluralis numeri usurpatio periculo plena videri poterat, ob magnam Judæorum in polytheismum propensionem; ergo gravis incumbere debuit causa auctori sacro cur has loquendi formulas adhibuerit : quæ autem illa tanti momenti causa, nisi ea quam dicimus, videlicet pluralitatis personarum in Deo adumbratio? Ita SS. PP. : S. Justinus, in Dialogo cum Tryphone; Theodoretus, quæst. 19 in Genesim; S. Ambrosius, lib. 6 in Hexaemeron; S. Basilius; S. Aug. lib. 11 de Genesi ad litteram; S. Cyrillus, lib. 3 contra Julianum.

Objiciunt Sociniani : Nihil probant adducti mox textus ex Scripturâ, 1.° quia fortè Deus ibi loquitur more hominum qui se ad aliquid magnum accingunt : *Liberemus*, inquit Annibal venenum hausturus, *liberemus diuturnâ curâ populum Romanum.* 2.° Fortè etiam majestatis causâ plu-

raliter de se loquitur Deus, ut Reges facere solent, *Volumus, Imperamus*, etc. 3.° Deniquè dici potest Deus Angelos compellare, quorum ministerio imprimis in creatione usus est.

Resp. ad 1.um Nugatoriam esse Socinianorum objectionem et Deo prorsùs indignam, sicut probat S. Basilius, Homil. 9 in Hexaemeron: *Quis faber,* inquit, *solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, sibi ipsi admurmurat, dicens: Faciamus gladium.* Atque etiam si apud homines qui operum magnitudine deterreri possunt, hoc valeret, in Deo certo certiùs obtinere non potest, *qui,* prosequitur S. Doctor, *neque indeterminatus est, neque rerum faciendarum magnitudine retardari potest.*

Resp. ad 2.um Planè insolitum esse apud Hebræos, ut prima persona de se plurali numero loquatur; et certè, si Deus ibi propter majestatem et auctoritatem pluralem numerum usurparet, ita loqui debuisset vel semper, vel ut plurimùm, præsertim cùm legem in Sina daret, quod tamen non fecit.

Resp. ad 3.um Falsam omninò esse hanc evasionem, quia Deus hâc loquendi formulâ Angelos sibi æquiparare videretur. Deindè, in primo textu sermo dirigitur ad eos ad quorum imaginem, et à quibus homo factus est: sed homo nec ab Angelis, nec ad eorum imagines factus est; ergo, etc.

Trinitatem personarum etiam innuunt veteris Testamenti loca quæ Dei aut attributorum ejus nomen ingeminant, vel etiam ter repetunt. Isaiæ c. 6, ℣. 1, 2 et 3: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum..... Seraphim stabant super illud....., et clamabant alter ad alterum,*

et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum ; quod sic illustrat S. Ambrosius, lib. 2 de Fide, cap. 12 : *Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio ?... Trina repetitio, cur, nisi quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret ; non bis, ne Spiritum præteriret ; non quater, ne creaturas conjungeret : et ut ostenderet Trinitatis unam esse deitatem, cùm tertiò dixisset, Sanctus, sanctus, sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus sabaoth.*

Ps. 32, ℣. 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum ;* de quo sic habet S. Hieron : *Ibi majestas Trinitatis manifestissimè declaratur : Dominus, Verbum, Spiritus Domini.* Ps. 2, ℣. 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te,* in quo apertè exprimitur, et Pater generans, et Filius genitus. Item, Ps. 109, ℣. 1 et 3 : *Dixit Dominus Domino meo... Ex utero ante luciferum genui te.*

Cæterùm, benignâ dispositione et sapienti œconomià factum est, ut trinitas personarum obscurè tantùm in veteri Testamento exprimeretur, *Cùm enim*, inquit Theodoretus, tom. 4, *in Egypto diutissimè versati essent* Judæi, *multorumque ibi deorum cultum didicissent, sapientissimus Deus nequaquàm illis manifestè omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne multitudinis deorum occasionem sumerent.* Tamen Patriarchas et Prophetas tantum agnovisse mysterium docent Theologi ; et de Abrahamo innuere videtur Christus ipsi instillatam fuisse Messiæ divinitatem, cùm dicit, Joan. c. 8, ℣. 56 : *Abraham*

pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.

ARGUMENTUM II.

Ex novo Testamento.

1.° Manifestam trium personarum in Deo distinctionem exhibet historia baptismi Christi, Matth. c. 3, ℣. 16: *Baptizatus Jesus, confestìm ascendit de aquâ : et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam,.... et ecce vox de cœlis dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Atqui ibi expressè tres personæ divinæ memorantur, Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

Reponunt 1.° Sociniani reverà Christum ut personam à Patre distinctam hìc exhiberi, sed non indè sequi ipsum esse filium Dei consubstantialem. Hæc difficultas satìs refellitur ex his omnibus momentis quibus dissertatione sequenti divinitatem Filii adstruimus.

Reponunt 2.° Spiritum non esse personam, sed Dei virtutem et gratiam, quæ in Christo dilapsa est sub specie columbæ, sicut et in Apostolos descendisse dicitur sub linguarum ignearum specie. At refelluntur, quia eodem prorsùs modo Spiritus appellatur, quo pater, quo Christus; ergo sicut admittunt Patrem et Filium veras esse personas, idem de Spiritu Sancto dicant necesse est. Deindè de Spiritu dìcitur quòd descenderit, quòd apparuerit sub specie sensibili; adde quòd alibi dicatur revelare futura, ad ministerium deputare, varia dona hominibus largiri, docere : sed hæc omnia personis conveniunt, nec nisi absurdè tribuerentur meris qualitatibus; ergo, etc.

2.° Joan. c. 14, ℣. 16: *Ego rogabo Patrem*, inquit Christus, *et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* et ℣. 26: *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis;* et c. 15, ℣. 26: *Cùm... venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In quo textu expressa habetur trium personarum distinctio: Filii rogantis, Patris quem rogat, et Spiritûs Sancti qui mittendus est, qui alter est Paracletus, similis Filio. Hoc testimonium urgent SS. PP. contra Sabellianos, in S. Ambros. Orat. 5 contra Arianos: *Cùm Christus de se loquitur, dicit, Ego; cùm de Patre, dicit, Ille; cùm de Spiritu Sancto, subjungit, Alium: nonne ergo manifestæ pertinaciæ est negare tres?*

3.° I Joan. c. 5, ℣. 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Porrò nihil expressius desiderari potest; ibi enim trium personarum distinctio apertè significatur, *Pater, Verbum et Spiritus;* ex alterâ parte naturæ unitas in hisce tribus personis declaratur, *et tres unum sunt.*

Sociniani, ut textûs propositi vim eludant, 1.° negant ipsum esse genuinum Apostoli fœtum; 2.° sensum illius corrumpunt. Quarum objectionum discussionem, ut potè prolixiorem, ad specialem hâc de re dissertationem, in fine tractatûs remittimus.

4.° Matth. c. 28, ℣. 19: *Euntes*, inquit Christus, Apostolos alloquens, *docete omnes*

gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti. In textu allato, tres distinctè exprimuntur personæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus; aliundè, cùm dicatur singulariter *in nomine*, non verò in nominibus, patet trium personarum quæ appellantur unum esse nomen, unam auctoritatem et naturam. Istud argumentum nostrum non est, sed SS. PP.: Athanas. Orat. 3 contra Arianos; Gregor. Nazianz. Orat. 13 et 49; Basil. lib. 3 contra Eunomium; Hilar. lib. 2 de Trinit.; Ambros. lib. 1 de Fide; Epiph. Hæres. 62; Cyril. Alexand. lib. 1 in Joan.; Fulgent. lib. de Trinit. cap. 2; Pelagii Papæ, epist. 16 ad Childebert.: *Dictum est*, inquit, *in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, non in nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.*

Contra probationem deductam ex hoc textu Matth. insurgunt Sociniani: 1.° Ex textu Matth., inquiunt, minimè conficitur Spiritum Sanctum esse personam; nomen enim Spiritûs, in allato textu, significat tantùm qualitatem seu efficaciam et virtutem Dei. 2.° Ex eodem testimonio confici non potest Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres esse personas in unâ naturâ; istud enim, *in nomine*, Filio et Spiritui Sancto, sicut Patri applicatum, non probat nomen seu naturam his tribus esse communem.

Resp. ad 1.um *Nego ant.* In textu allato, voces Patris et Filii duas personas certo certiùs indicant; sic, v. g., in humanis, cùm de patre et filio loquimur, duas personas significare intendimus. Idem sentiendum est de Spiritu Sancto,

in formulà Baptismi appellato : vel enim nomen Spiritùs ibi significat personam, vel qualitatem seu efficaciam et virtutem Dei, ut placet Socinianis : atqui posterius dici nequit; nam Baptismus in nomine Spiritûs Sancti dandus enuntiatur : atqui insulsè nimis diceretur Baptismum dari in nomine qualitatis alicujus seu efficaciæ; ergo Spiritus Sanctus in textu Matth. personam, non autem meram virtutem et efficaciam significat. Deindè, in formulà Baptismi, Spiritus Sanctus ex æquo recensetur cum Patre et Filio, qui sunt personæ; tam igitur Spiritus ille peculiaris esse debet persona ab utroque distincta.

Resp. ad 2.um *Nego ant.* propter rationem allatam. Hinc Faustinus, de Trinitate adversùs Arianos, cap. 7 : *Benè,* inquit, *nomen unum posuit, dicens in nomine Patris,* etc., *ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis, et perfectæ Trinitatis.* Et verò, inquiunt Theologi, Paul. Epist. I Corinth. c. 1, ℣. 13, manifestè supponit nos in nullius creaturæ nomine baptizari posse : *Nunquid..... in nomine Pauli,* inquit, *baptizati estis?* Igitur, cùm ex textu Matth., Baptismus conferri debeat in nomine Patris, etc., manifestè sequitur personam Filii et Spiritùs Sancti esse Deum, cujus natura una est.

ARGUMENTUM III.

Ex Traditione.

1.° *Ex SS. PP.* S. Clemens Papa, scriptor I seculi, in suà ad Corinth. Epist. : *Vivit Deus,* inquit, *et Dominus J. C., et Spiritus Sanctus.*

S. Justinus Martyr, II exeunte seculo, in 1.a pro Christianis Apologià : *Eum* (Patrem),

inquit, *et Filium, et Spiritum propheticum colimus et adoramus.*

S. Irenæus, lib. 4, cap. 37 : *Adest ei* (Deo Patri) *semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia liberè et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens : Faciamus hominem*, etc.

Tertullianus, auctor III seculi, lib. contra Praxeam, cap. 2 : *Custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantiâ, sed formâ; nec potestate, sed specie : unius autem substantiæ, et unius statûs, et unius potestatis.*

S. Athanasius, Alexandrinus Episcopus, IV Ecclesiæ seculo, lib. de Spiritu Sancto, versùs finem : *Trinitas sancta*, inquit, *et perfecta in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto;.... Pater enim per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit: atque ita unitas Trinitatis servatur, et ita unus Deus in Ecclesiâ prædicatur;.. Trinitas autem et non nomine tenùs,.. sed veritate et subsistendi ratione Trinitas.*

Cæteros IV seculi et subsequentium ætatum Patres, in gratiam mysterii Trinitatis, exscribere superfluum esset, cùm omnes, etiam adversarii, fateantur ipsos hanc tenuisse fidem. Et reverà divinitas personæ Filii, necnon Spiritûs Sancti solemniter propugnata, et definita fuit contra Arianos et Macedonianos, in Conc. Nicæno I, et Constantinopolitano I, generalibus, anno Christi 325 et 381.

Nec mirum cuiquam videatur, si paucos trium priorum seculorum Patres et Doctores, appella-

verimus, alios enim exscribemus, ubi de divinis in particulari personis.

Cæterùm, ut omnium SS. PP. de Mysterio Trinitatis doctrinam, vel ex uno sancto Doctore, compertam habeamus, Aug. lib. 1 de Trinit. cap. 4, n. 7, loquentem audire juvat : *Omnes*, inquit, *quos legere potui qui ante me scripserunt de Trinitate ,..... hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quòd Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideòque non sint tres Dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideò Filius non sit qui Pater est; Filiusque à Patre sit genitus, et ideò Pater non sit qui Filius est; Spiritusque Sanctus, nec Pater sit nec Filius, sed tantùm Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio.... coæqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem.*

2.° *Ex Symbolis.* Ex Symb. Apostol. : *Credo in Deum Patrem omnipotentem... et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum.... ; et in Spiritum Sanctum.*

Ex Symb. Nicæno : *Credo in... Deum Patrem omnipotentem.... ; et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo....; et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur.*

Ex Symb. Athan. : *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes : alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sanc-*

ti; sed Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

ARGUMENTUM IV.

Ex Præscriptione.

Dogma trium in unâ Dei naturâ personarum ab Ecclesiâ Catholicâ IV seculo tenebatur, ut omnes consentiunt, et probatur evidenter ex definitionibus quas in Conc. Nicæno adversùs Arium, et in Conc. Constantinopolitano adversùs Macedonium edidit; ergo semper illud tenuit Ecclesia, et proindè dogma Trinitatis ab Apostolis descendens, divinitùs revelatum est.

Prob. consequentia : Vel enim dogma Trinitatis IV Ecclesiæ seculo ab omnibus Christianis creditum, etiam prioribus Ecclesiæ seculis credebatur, vel mutatio facta est in doctrinâ Ecclesiæ circa Trinitatem : atqui posterius dici nequit. Namque, si talis facta fuisset mutatio, assignari posset primus ejus auctor, locus, et tempus quo facta est : atqui tamen nihil ejusmodi assignari potest; ergo, etc.

Deindè, si mutatio facta fuisset, vel sensibilis, vel insensibilis : neutrum dici potest. 1.° Quidem mutatio sensibilis facta non est, cùm nulla sint ejusmodi mutationis vestigia. 2.° Nec insensibilis mutatio facta est, quia in re tanti momenti, et ad Religionis Christianæ fundamentum pertinente, mutatio nulla fieri potuit, quin motus magni excitarentur, quin controversiæ et disputationes moverentur, quin Concilia ex partibus oppositis congregarentur, quin scripta hinc et indè spargerentur : quæ omnia, mutationem, si

qua facta fuisset, obviam et sensibilem effecissent; ergo circa doctrinam trium personarum in Deo insensibilis mutatio facta non est, aliundè nec sensibilis; ergo nulla facta est mutatio; ergo quod ab omnibus de trinitate personarum IV Ecclesiæ seculo credebatur, illud et præcedentibus tenebatur seculis, et proindè traditum et creditum est ab Apostolis, et consequenter à Deo revelatum, ideòque firmiter credendum.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Dogma Trinitatis fidelibus trium priorum Ecclesiæ seculorum minimè cognitum fuit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Fidelium enim doctrina non distinguitur ab eà quam Patres coævi tradiderunt: atqui, ex probatis, Doctores trium priorum seculorum mysterium Trinitatis tradiderunt; ergo, etc.

Inst. Si fideles primævi Trinitatem credidissent, jam Ethnici contra ipsos retorsissent argumenta quibus polytheismum impugnabant; deindè Philosophi gentiles, unius Dei fidem habentes, Trinitatem irrisissent; postremò, Christiani inter Atheos nunquàm fuissent à Gentilibus computati: atqui tamen posterius factum est, nunquàm autem duo priora; ergo fideles primævi Trinitatem non crediderunt.

Resp. 1.° *Nego maj.* Nôrunt enim omnes quantâ curâ Gentilibus sua occultaverint mysteria Christiani; mirum ergo nulli videatur, si passim non legantur in operibus à Paganis contra Religionem Christianam editis objectiones, quibus ista occasionem naturaliter præbet; quod enim ignoratur, impugnari nequit.

Resp. 2.° *Nego min.* Ut enim affirmari possit hæc varia variis non fuisse objecta, necessum foret ut omnium, vel saltem plura superessent nobis Gentilium contra Religionem Christianam opera : porrò contrarium se habet; temporum enim injuriæ, barbarorum invasiones, exemplarium ante inventam typographiæ artem minor copia, conversio mundi, ex quâ factum est ut de conservandis Gentilium scriptis nulla fuerit cura; hæc quatuor simul concurrerunt ad librorum ejusmodi ferè integram extinctionem. Cæterùm, quia supersunt adhuc paucissima Gentilium contra Religionem nostram scripta, in eis reverà legimus objectiones quas mysterium Trinitatis naturaliter parere debuit. 1.° Enim Celsus, apud Origenem, lib. 8, Christianis objicit quòd Deorum multitudinem irriderent, et ipsi nihilominùs adorarent Deum Patrem et Christum. 2.° Lucianus, in suo qui Philopatris inscribitur Dialogo, Trinitatis mysterium irridet. 3.° Fateor Christianos atheismi nonnunquàm fuisse â Gentilibus accusatos, sed accusatio illa non probat ipsos non admisisse Trinitatem, sicut, fatentibus adversariis eadem accusatio non convincit Christianos nulli Deo fidem adhibuisse; hæc igitur Paganorum adversùs nostros patres calumnia, in hoc unicè fundatur, quòd falsa numina respuerunt.

Obj. 2.° Mysterium Trinitatis rationi evidenter contradicit; ergo, etc.

Resp. 1.° hanc, ubi de mysteriis agitur, procedendi methodum omninò vitiosam, esse; sana enim ratio dictat ut in inquirendâ rerum altissimarum cognitione et supra captum humanæ rationis positarum, non ex lumine naturali, sed ex revelatione, cui falsum subesse non potest, argumentemur

temur. Hìc ergo gradum sistere, necnon adversariorum objectiones ex ratione petitas, ne audire quidem possumus; imò debemus, si minùs in arte disputandi versemur, si, ut non rarò contingit, eo defraudemur mentis acumine ad tricas explicandas et ad diluenda sophismata necessario. Tunc istud simplex ratiocinium omnibus argutiis quibus fidem nostram evertere tentat inimicus, opponere sufficiat : Deus mysterium Trinitatis revelavit in Scripturâ, cujus facti testis est Patrum traditio, testis est Ecclesia, judex controversiarum infallibilis : atqui Deus nihil rationi evidenter contrarium revelare potest; ergo mysterium Trinitatis evidenter rationi non contradicit.

Resp. 2.° *Nego ant.* Namque, ut modò dicebamus, id quod à Deo revelatum fuisse probatur Scripturâ, Traditione, Symbolis, Ecclesiæ definitionibus, rationi contradicere non potest : atqui mysterium Trinitatis à Deo revelatum fuisse probatur ex Scripturâ, etc.; ergo, etc. Et verò, dogma Trinitatis à decem et octo seculis creditur in toto mundo, à doctis et rudibus : atqui repugnat dogma evidenter absurdum, præjudiciis et passionibus non favens, tam universaliter credi; ergo, etc.

Itaque mysterium Trinitatis est quidem supra rationem positum, ita ut positivè ex lumine naturali demonstrari non possit, id est, certò et evidenter deduci ex principiis evidentibus, ut satis indicat mysterii nomen, Trinitati impositum. Sed non est contra rationem sanam, ita ut negativè demonstrari non possit, solvendo nimirùm objectiones quæ adversùs illud dogma fieri solent.

Inst. Repugnat evidenter rationi tria unum

esse : atqui in mysterio Trinitatis, prout à Catholicis exponitur, tres personæ unum sunt; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Repugnat tria esse unum sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso respectu, *nego.* Similiter *dist. min., nego cons.* In Deo personæ sunt quid unum et idem ratione naturæ; nam una est numero in tribus personis essentia; tres verò sunt ratione personalitatis, cùm tres sint in Deo personalitates seu tres modi subsistentes et essentiales naturæ divinæ, qui realiter ab invicem distinguuntur; ergo non sunt tres sub eodem respectu sub quo unum sunt; ergo nullam contradictionem involvit mysterium Trinitatis, prout ab Ecclesiâ Catholicâ credendum proponitur.

Obj. 3.° Si tres sunt personæ quarum unaquæque Deus sit, erunt quoque tres Dii : atqui absurdum est admittere tres Deos; ergo absurdum pariter, etc.

Resp. Nego maj. Multiplicantur quidem personæ in Deo, sed non multiplicatur natura divina, quæ unica est, singularis et individua in tribus personis. Porrò, ubi una est et eadem numero essentia divina, non divisa, non multiplex, ibi unum Deum admittere necesse est.

Inst. Valet istud argumentum : Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina; ergo tres sunt personæ divinæ; valet, inquam, istud argumentum, ergo pariter valet istud : Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; ergo tres sunt Dii.

Resp. Nego consequent. et parit. Quorum argumentorum si disparitatem deprehendere velis,

utrumque paulisper evolve, hoc modo: Pater est persona divina, Filius alia distincta persona divina, Spiritus Sanctus alia quoque distincta persona divina; ergo tres sunt distinctæ personæ: recta quidem propositio. Similiter secundum explica argumentum : Pater est Deus, Filius est idem Deus, id est, habet eamdem essentiam divinam, Spiritus Sanctus est idem Deus; ergo tres sunt Dii : vitium posterioris propositionis patet; meliùs concluderetur : ergo unicus est Deus.

Obj. 4.° Ex vulgari axiomate, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se :* atqui tres personæ sunt quid idem cum naturâ divinâ; ergo sunt quid idem inter se.

Resp. Dist. maj. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, sub eo respectu sub quo sunt eadem isti tertio, *conc.;* sunt eadem inter se sub alio quocunque respectu, *nego.* Itaque, quia tres personæ divinæ identificantur cum naturâ divinâ, sequitur quòd sub eo respectu idem sint inter se, ac proindè unicum Deum constituant; sed quia non identificantur ratione personæ, non sunt quid idem sub eo respectu.

Nota Eadem difficultas indesinenter à Socinianis obtruditur, mutatis tantùm terminis, nec longius insumendum esse tempus nobis videtur in refellendis subtilitatibus quæ menti plurimùm defatigationis, fructûs verò aut elucidationis minimè afferunt. Ad summum quid conficient adversarii? rem esse arduam et incomprehensibilem mysterium Trinitatis? fatemur; alioquin evanesceret mysterium.

Unica est essentia divina summè perfecta : hæc eadem unica essentia tres relationes seu modos habet essentiales, subsistentes, immanentes, sine

ullâ accidentis aut imperfectionis umbrâ. His tribus relationibus constituuntur tres personæ divinæ, quæ identificantur inter se ratione essentiæ, sed quæ à se realiter distinguuntur. Hæc tradit ratio lumine revelationis illustrata. Si verò ultrà progredi tentaverit, caligant oculi, mens perturbatur nihil præter confusos conceptus deprehendere valens. Suæ ergo imbecillitatis conscia, ad fidem cum humili subjectione confugiat.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CONSUBSTANTIALITATE PERSONARUM.

Ex præcedenti dissertatione constat Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, non esse tantùm ejusdem personæ varias denominationes, sed tres personas realiter distinctas. Nunc expendendum venit utrùm tres illæ personæ sint consubstantiales, id est, eamdem naturam divinam habeant; quod ad istam reducitur quæstionem, an unaquæque ex illis Deus sit. Cùm enim fide pariter et ratione constet unicum esse Deum, certè Filius et Spiritus Sanctus non possunt esse naturâ Deus, quin unius sint cum Patre Deo substantiæ.

De Patris divinitate nulla esse potest difficultas: necesse est enim fateri aliquam personam esse Deum, alioquin nullus foret Deus; ergo saltem Patrem Deum esse admittant Hæretici. Hinc fidei nostræ professionem his verbis inchoamus quotidiè : *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Divinitatem Filii et Spiritûs Sancti à variis acriter impugnatam hæreticis, ut jam diximus, duplici capite adstruemus.

CAPUT PRIMUM.

De Consubstantialitate seu Divinitate Filii.

Istud, si quod unquàm, gravissimi momenti dogma, tot vel etiam à primis Ecclesiæ seculis adversarios habuit, tam variis impugnatum est modis, ut in eo firmiter probando diutiùs nos versari congruum sit. Filium Dei promiscuè appellabimus *Verbum* et *Christum*, quia, ut demonstratur in *Tractatu de Incarnatione*, una est Verbi et Christi persona, et aliundè adversarii quos hic refellendos habemus, Ariani nempè et Sociniani, hoc præcisè contendunt, Christum salvatorem nostrum non esse Deum.

PROPOSITIO.

Filius seu Verbum est verè Deus, Patri consubstantialis.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Scripturâ.

Ille verus est Deus, Deo Patri consubstantialis, qui in innumeris Scripturæ locis dicitur filius Dei verus, proprius, et naturalis, Deus ipse, Deus quid unum cum Deo Patre, cui attributa Dei maximè propria, æternitas, omnipotentia, etc., operationes divinæ, supremus cultus latriæ soli Deo debitus conveniunt : atqui Verbum seu Filius, passim in Scripturis, etc.

1.° Verbum dicitur in Scripturis verus Dei filius, proprius et naturalis. Psal. 2, ℣. 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego*

hodiè genui te. Quem textum interpretatur ipse Apostolus, ad Heb. c. 1, ℣. 4 et 5 : Christus *tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquandò Angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te?* Ergo non agitur eò loci de filiatione metaphoricâ per adoptionem ex gratiâ factam, sed de filiatione naturali per generationem ex substantiâ Patris; falsò namque diceret Apostolus Deum nulli Angelorum dixisse, *Filius meus es tu* : omnes quippe Angeli per gratiam sanctificantem verè sunt filii Dei adoptivi.

Joan. c. 1, ℣. 18 : *Deum nemo vidit unquàm : Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ibid. c. 3, ℣. 16 : *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* I Joan. c. 4, ℣. 9 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* I Joan. c. 5, ℣. 20 : *Scimus quoniam filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus.*

Matth. c. 26, ℣. 63 et 64 : *Princeps Sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Jesus : Tu dixisti.* Christus ibi pronuntiat se esse filium Dei eo sensu quo interrogatus fuerat à principe Sacerdotum : atqui certè summus Sacerdos intelligebat filium Dei naturalem et proprium, cùm ipse auditâ responsione Christi eum blasphemiæ reum judicaverit. Ibid. c. 16, ℣. 15 et 16 : *Dicit Jesus* discipulis suis : *Vos quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei vivi.*

Ut vim argumenti hujus elevent Sociniani,

afferunt pauca Scripturæ testimonia, in quibus justi titulo filiorum Dei insigniuntur. At nullus est, vel leviter attentus, qui disparitatem non sentiat; quis enim Angelorum vel hominum dictus est unquàm filius Dei ex ipsius *utero genitus*, Filius *verus*, *proprius*, *unigenitus*? Christum esse filium Dei naturalem probamus, non ex eo præcisè quòd semel aut iterùm filius Dei nominetur in Scripturis, sed ex eo quòd pluries ut talis exhibeatur simpliciter et sine addito, vel cum adjunctis quæ filiationem ejus ad sensum maximè proprium determinant.

2.° Verbum in Scripturis passim appellatur Deus simpliciter et sine restrictione. Zach. c. 11, ℣. 12 et 13: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit Dominus* (hebraicè Jehovah) *ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appreciatus sum ab eis.* Undè sic: qui triginta argenteis æstimatus est à filiis Israel, ipse est Dominus Jehovah: atqui Christus is est quem reverà Judæi triginta æstimârunt argenteis, ipsique hoc vaticinium applicat Matth., c. 27, ℣. 9; ergo, etc.

Observa autem, ut vim argumenti percipias, inter varia Dei nomina, nullum apud Hebræos augustius esse et magìs Deo proprium, quàm istud *Jehovah* nomen, quod Deus sibi ipsi imposuit Isaiæ, c. 42, ℣. 8: *Ego Jehovah, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.*

Jerem. c. 23, ℣. 5 et 6: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terrâ;... et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (hebraicè, Jehovah): atqui, fatentibus Soci-

nianis, qui venturus ibi prænuntiatur, ipse est Christus; ergo, etc.

Isaiæ c. 9, ℣. 6 : *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis,..... et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Ex quibus et aliis veteris Testamenti, conficitur Prophetas omnes venturo Messiæ tribuisse nomen Dei simpliciter, sine restrictione, imò cum omnibus characteribus qui soli et vero Deo conveniunt.

Non minùs luculenta sunt quæ ex novo Testamento proferuntur testimonia. Joan. c. 1, ℣. 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum...; omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Nihil isto sublimi exordio expressum magìs invenitur. Quæ verba sic commentatur S. Ambrosius, lib. de Fide, cap. 5 : *Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat : ubi impius invenit quòd non erat? Omnes autem hæreses hoc capite brevi* Apostolus *exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur; ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Verbi apud Patrem solidâ perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Quod verò erat in principio apud Deum, sempiternæ divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eudoxius et Eunomius.*

I Joan. c. 5, ℣. 20 : *Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.*

Frustrà contendunt Sociniani, ut decretorium

hoc testimonium eludant, pronomen, *hic*, ad Patrem referri, non ad Filium; ex illorum enim explicatione absurdus exsurgit sensus; nam cùm de Patre dictum fuerit superiùs, illum verum esse Deum, sensus Apostoli foret, Patrem verum Deum, esse verum Deum.

Coloss. c. 2, ℣. 9 : *In ipso* (in Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* I Joan. c. 3, ℣. 16 : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

Apostolus Thomas, qui primùm credere abnuerat Christum à mortuis surrexisse, viso et attrectato Jesu, admirabundus exclamat : *Dominus meus et Deus meus!* Deum ergo verum et summum intelligebat Apostolus, quam ut fidem confirmet Christus, addit : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt*, Joan. c. 20, ℣. 28 et 29.

Rom. c. 9, ℣. 5 : *Ex quibus*, Israelitis scilicet, *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Hoc testimonio invictissimè probatur Christi divinitas. Etenim 1.° vocatur *Deus;* 2.° additur, *super omnia*, quasi diceretur Deus summus, quod solius veri Dei proprium est; hinc Ephes. c. 4, ℣. 6 : *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes.* 3.° Dicitur *benedictus in secula*, quod Dei summi elogium est, ut constat ex aliis Scripturæ locis, maximè Rom. c. 1, ℣. 25 : *Servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula.* 4.° Apostolus dicens Christum ex Judæis ortum esse, hanc restrictionem subjungit, *secundùm carnem*, profectò ut indicet in Christo præter hu-

manam, aliam ipsi suppetere naturam, divinam scilicet.

Hoc testimonio oppressi Sociniani, punctum in hoc textu figendum esse contendunt post ista, *ex quibus est Christus secundùm carnem,* ita ut nova subindè inchoetur sententia in morem exclamationis, *qui est super omnia Deus* (sit) *benedictus in secula!* At hæc interpunctionis mutatio causam adversariorum desperatam prodit. 1.° Nullo nititur fundamento : porrò si cuivis concedatur ut proprio marte et ad libitum communem interpunctionem immutet, nihil erit adeò perspicuum, cujus sensus perverti facillimè nequeat. 2.° Series phrasis hanc immutationem non permittit, quæ sermonis tenorem interrumpit; undè hæc verba, *qui est super omnia Deus benedictus,* nullam cum antecedentibus et consequentibus cohærentiam haberent.

Sociniani quosdam afferunt Scripturæ textus, in quibus nomen Dei creaturis tribuitur, Exod. c. 21, ℣. 6, et c. 22, ℣. 28; Ps. 81. At nihil indè erui potest contra probationem, 1.° quia vox hebræa *Elohim,* quæ creaturis aliquando tribuitur, potentiam et auctoritatem sonans, applicatur raró iis qui in potentiâ constituuntur, non ita de nomine *Jehovah,* quod Deo proprium est, et tamen Christo tribuitur. 2.° In veteri Testamento, Dei nomen creaturis nonnisi plurali numero et cum restrictione aliquâ datur; sic Psal. 81, ℣. 6: *Ego dixi, dii estis...* ℣. 7 : *Vos autem sicut homines moriemini.* 3.° In novo Testamento, nusquàm, sive plurali sive singulari numero, Dei nomen creaturis transfertur : attamen Christus sæpissimè in novo Testamento Deus dicitur; ergo verè Deus est.

3.° Verbum in Scripturis dicitur quid unum cum Patre, et ejusdem naturæ. Philipp. c. 2, ℣. 6 et 7 : Jesus, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Qui in formâ Dei est et Deo æqualis, ille profectò naturam habet divinam : atqui, etc.; ergo, etc. Heb. c. 1, ℣. 3, Christus *est splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

Joan. c. 10, ℣. 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Celebre testimonium, quo Patres sæpissimè usi sunt ad convellendas hæreses. Quod enim intelligendum sit de unitate physicâ seu naturæ, plurima evincunt argumenta. Etenim 1.° Christus dixit, *ego et Pater unum sumus*, ut probaret se cum Patre suo eamdem habere potestatem, ita ut nullus è manu suâ oves eripiat : *Non rapiet* oves meas *quisquam de manu meâ. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu patris mei : ego et Pater unum sumus.* 2.° Judæi intellexerunt Christum de unitate naturæ loqui, ut patet ex his eorum verbis, ℣. 33 : *Lapidamus te de blasphemiâ : et quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum :* atqui Christus nedùm sententiam illorum correxerit, novis contrà stabilivit momentis : *Si mihi,* inquit, ℣. 38, *non vultis credere, operibus credite ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* 3.° Joan. c. 14, ℣. 9 : *Qui videt me,* inquit Jesus, Philippum alloquens, *videt et Patrem. Quomodò tu dicis : Ostende nobis Patrem?* ibi loquitur Christus de suâ cum Patre Deo unitate, juxta quam omnis qui videt ipsum, hoc ipso videt et Patrem : sed talis unitas est naturæ; ergo, etc.

Regerunt Sociniani : Christus rogans Patrem, Joan. c. 17, ℣. 20, ait : *Rogo*, Pater, *ut* discipuli mei *sint unum, sicut et nos unum sumus* : atqui unitas discipulorum non nisi moralis esse potuit; ergo pariter Patrem inter et Filium moralis tantùm obtinet unitas; ergo, etc. At 1.° non valet consequentia : sæpiùs enim contingit ut verba eadem, pro variis de quibus agitur rebus, et propter adjunctorum discrepantiam, diversum exhibeant sensum : porrò ita se res habet in præsenti casu. Nam inter homines naturæ unitas evidenter repugnat : at verò inter Patrem et Filium naturæ communio, etsi non demonstretur solâ ratione possibilis, saltem ipsi evidenter non repugnat; igitur sana ratio dictat ut verba Christi de unitate discipulorum ejus, metaphoricè accipiantur; ipsius autem propositio de suâ cum Patre Deo unitate, litteraliter de communione naturæ intelligatur. 2.° Quæ Christus de unitate suâ cum Patre locutus est, ad sensum litteralem ex adjunctis pluribus inflexit, ut jam dictum est; quæ verò de unitate discipulorum pronuntiavit, nullibi in Scripturis ad sensum unitatis physicæ determinata sunt. Igitur quamvis eadem utrobique legantur verba, non ideò unus et idem sensus iis tribui debet.

At, *instant* Sociniani, in eodem quem adducunt Catholici textu, manifestè ostendit Christus se non esse verè Deum : cùm enim Judæi ipsum blasphemiæ insimularent, eo quòd se filium Dei prædicaret, Christus hanc protinùs accusationem repellit, dicens se hunc titulum eodem sensu usurpare, quo Scripturæ ipsæ cæteris hominibus applicant : *Nonne*, inquit, Joan. c. 10, ℣. 34, 35 et 36, *scriptum est in lege vestrâ : Quia ego*

dixi : dii estis ? si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est , et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit et misit in mundum , vos dicitis : Quia blasphemas ; quia dixi , Filius Dei sum.

Refelluntur. In hoc enim textu Christus non à pari sed à fortiori contra Judæos argumentatur, ita ut verborum ejus iste sit sensus : Si judices in lege vestrâ dicti sunt dii, propter auctoritatem divinam cujus participes facti sunt, quantò magis ego possum Dei filius ipse vocari, cùm à Patre fuerim eximiè sanctificatus, videlicet per unionem hypostaticam naturæ humanæ cum divinâ in personâ Verbi, et missus ut mundum illuminem, sanctificem, regam, et glorificem Deum.

4.° Attributa Deo propria, divinæ operationes, de Verbo prædicantur, necnon cultus latriæ supremus ipsi adjudicatur.

Supremum quidem dominium. Apoc. c. 19, ℣. 16 : *Rex regum , et Dominus dominantium.*

Æternitas. Mich. c. 5, ℣. 2 : *Et egressus ejus ab initio , à diebus æternitatis.* Hebr. c. 13, ℣. 8 : *Jesus Christus heri et hodiè , ipse et in secula.* Apoc. c. 1, ℣. 8. Christus sic loquens inducitur : *Ego sum alpha et omega , principium et finis , dicit Dominus Deus , qui est et qui erat et qui venturus est.*

Omniscientia. Joan. c. 21, ℣. 17 : *Domine , tu omnia nôsti ,* ait Petrus ad Jesum. Coloss. c. 2, ℣. 3 : *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ.*

Omnipotentia et creatio. Joan. c. 1, ℣. 3 : *Omnia per ipsum facta sunt , et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Heb. c. 1, ℣. 3 :

Christus *portans omnia verbo virtutis suæ.* Coloss. c. 1, ℣. 16 : *In ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.*

Supremus cultus latriæ. Philip. c. 2, ℣. 9 et 10 : *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Heb. c. 1, ℣. 6 : *Cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

ARGUMENTUM II.

Ex Traditione.

1.° Quantumvìs auctoritatem Traditionis spernere videantur Sociniani, non minùs certum est eos invincibiliter eâ premi. Etenim si Patres et Doctores priorum seculorum Ecclesiæ, divinitatem et consubstantialitatem Verbi tenuerunt, eadem profectò in Ecclesiâ, cujus erant membra et magistri, vigebat fides : at verò si dogma consubstantialitatis Verbi creditum fuit ab Ecclesiâ priorum seculorum, ipsum sanè miraculis et Martyrum testimonio confirmatum est, et nemo dubitat quin primis temporibus in confirmationem fidei Ecclesiæ miracula facta fuerint, et Martyres innumeri sanguinem fuderint suum. Porrò dogma fidei miraculis confirmatum, et Martyrum sanguine obsignatum, veritate nititur; itaque Traditio Patrum dogmati favere non potest, quin hoc ipso veritatem ejus demonstret.

2.° Ut sanum de veterum mente circa divinitatem Verbi feratur judicium, minùs ad unam aut alteram vocem ab eis prolatam, vel ad locu-

tionem ab usu communi jam abhorrentem, sed ad eorum omnem doctrinæ seriem attendendum est. Qui enim ante exortam Arii hæresim de Verbo tractàrunt, quia securiùs, ideò minùs cautè nonnunquàm locuti sunt. *Antequàm in Alexandriâ quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam et minùs cautè nonnulli veteres locuti sunt*, inquit S. Hieronymus, Apologiâ 2.ª contra Rufinum.

3.° Ad veram Patrum intelligentiam, illud imprimìs utile est quod Theodoretus notat, Dial. 3 adversùs Hæreses, Patres nimirùm *cùm adversùs Hæreticos disputant, in extremam aliquandò partem declinare videri, imitantes agricolas, qui cùm incurvam viderint aliquam plantam, non eam solùm ad rectam normam erigunt, sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, ut vehementiori contrariâ inclinatione ad rectum statum perducatur.*

His præmissis instar principii solutionum, probatur thesis ex veteribus.

S. Clemens, Pauli adjutor et S. Petri in Romanâ Sede successor, in Epist. quam scripsit ad Corinthios, sic loquitur: *Ita sentire nos oportet de J. C. tanquam de Deo.*

S. Ignatius, Martyr et discipulus S. Joannis, in suis epistolis Christum pluries vocat Deum simpliciter et absque ullâ restrictione; ipsum quoque impassibilem, omniscium et æternum esse docet.

Melito, Sardensis Episcopus, II Ecclesiæ seculo: *Christiani*, inquit, *adorant Deum unum, et J. C. qui est Deus, et Dei ante omnia secula Verbum.*

S. Justinus Martyr et scriptor II seculi, sic

habet : *J. C. unus et solus propriè filius à Deo genitus est, non per abscissionem, tanquam dispertita esset Patris essentia... Cùm Verbum primogenitus Dei sit, Deus etiam est ;.... ita ut si dicta Prophetarum, quale est istud Davidis, Thronus tuus, ô Deus, in seculum seculi, intellexissent Judæi, non inficiati fuissent ipsum esse Deum, singularis et ingeniti ineffabilisque Dei filium. Hic est qui ab initio fuit, qui novus apparuit ; hic est ille semper existens.* Hæc omnia in operibus S. Justini dispersa collegimus, ut sibi mutuò lumen præstent ; extracta sunt autem ex utrâque S. Doctoris Apologiâ, necnon ex ipsius Dialogo cum Tryphone.

S. Irenæus, Lugdunensis Episcopus et Martyr, eodem seculo, Ecclesiæ fidem exponit his verbis, lib. adv. Hæreses, cap. 10 aliàs 2 : *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis et à discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem..., et in Jesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostrâ salute, et in Spiritum Sanctum.*

Athenagoras, eodem II seculo, in Apologiâ ad Marcum Aurelium : *Quis non miretur cùm audiat nos qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum,... atheos vocari ?*

S. Gregorius Thaumaturgus, in Confessione fidei, ait, *Verbum Dei esse verum filium veri Patris, Deum ex Deo,... æternum ex æterno.*

His adjungere possemns Origenem, Tertullianum, S. Cyprianum, Lactantium, Arnobium, etc. : plurium ex his testimonia descripta leges, ubi de divinitate Spiritûs Sancti *ex Tra-*

ditione. Vide Bossuetium in opere cui titulus, *Avertissemens aux Protestans*, 1.er *et* 2.me *Avertissem.*; necnon Bullum, Presbyterum Anglum, in suà Nicænæ fidei defensione, qui tamen cautè legendus est ob nonnulla erronea suæ Ecclesiæ, quæ quasi aliud agens operi suo interserit.

Hanc priorum seculorum Traditionem confirmavit Concilium Nicænum, generale I, in quo definitum est unanimi consensu credendum esse *in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei, ex Patre natum, unigenitum; Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

ARGUMENTUM III.

Ex Præscriptione.

Illud fide catholicâ certum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum fuit: atqui dogma de Verbi consubstantialitate et divinitate ubique, semper et ab omnibus creditum fuit; ergo, etc.

Major est indubitata et ab omnibus admissa.

Itaque probatur *minor*, nempè, etc. Et 1.° quidem de temporibus quæ Nicænum Concilium subsecuta sunt, non est difficultas. A Concilio enim Constantinopolitano, quo Nicæna fides fuit confirmata, usque ad Tridentinum, Patres et Concilia eamdem veritatem unanimi et constanti consensu declarant, et aliundè fatentur adversarii. Lis igitur tantùm moveri potest de temporibus antenicænis.

Porrò à tempore Nicænæ Synodi, retrogradiendo usque ad Apostolos, eadem semper vignit

in Ecclesiâ fides de Verbi divinitate. Res ita est, si nulla circa dogma hujusmodi mutatio contigerit : atqui reverà nulla contigit mutatio. Hæc enim invecta fuisset vel à Patribus Apostolorum immediatis successoribus, ut vult ipse Socinus, vel à Patribus Nicænis, ut contendunt alii Sociniani : atqui utrumque repugnat. 1.° Quidem repugnat mutationem hujusce dogmatis invectam fuisse à Patribus immediatis Apostolorum successoribus ; quippe ne admittatur talis hypothesis, plurima obstant, 1. natura ipsius dogmatis, totius Religionis Christianæ fundamenti, quod sanè ab Apostolorum successoribus ignorari non potuit, et multò minùs ab ipsis ex industriâ mutari, quin reclamaverint Christiani, avitæ fidei, præsertim ab Ecclesiæ incunabulis, tenacissimi ; et verò, hujus mutationis nec tempus nec locum nec auctorem assignare possunt adversarii. Obstant 2. monumenta tunc temporis, ex quibus compertum est, jam à temporibus Apostolorum, quàm plures exstitisse pseudo-christianos Christi divinitatem impugnantes, qui ut hæretici et impii damnati fuerunt. 3. Obstant consectaria hujusce mutationis. Namque si, ut supponunt adversarii, à fide in Christum merum hominem, quam priùs profitebantur Christiani, ad fidem Christi Dei et Patri consubstantialis transiissent, ergo ab ipsis primævis temporibus semper Ecclesia idololatriam, veluti dogma Christianæ Religionis fundamentale docuisset, Christo mero homini honores divinos transferendo. Quis autem Christianus hæc admittere velit? Ergo 1.° repugnat talem mutationem à Patribus Apostolorum immediatis sucessoribus invectam fuisse.

2.° Nec minùs repugnat in hujusce dogmatis mutationem conspirasse Nicænos Patres. Siquidem circa dogma hujusmodi non potuerunt decipi, nec decipere voluerunt, nec potuissent etiamsi voluissent. 1. Decipi non potuerunt, cùm, ut historià constat, Patres Nicæni erant docti et ex diversis regionis congregati. 2. Decipere noluerunt; erant enim ferè omnes pietate insignes, et ex iis non pauci Christi divinitatem inter acerbiora supplicia, etiam cum membrorum dispendio, confessi fuerant. 3. Nec potuissent decipere etiamsi voluissent; vigebat enim tunc temporis fides universalis de Christi divinitate, quam docuerant Patres secundi et tertii seculi, ut jam probavimus. Præterea, ex disputationibus quæ ante Concilii Nicæni congregationem Catholicos inter et Arianos ortæ fuerant, notior erat priorum Patrum doctrina; ad illorum scripta indesinenter Arianos provocabant Catholici, quin tamen reclamarent Ariani. Imò, cùm deinceps voluerit Theodosius ut inter imperii sectas concordia iniretur, Aariani et alii Hæretici eò adduci minimè potuerunt, ut lis dirimeretur juxta doctrinam Patrum qui prioribus seculis floruerant, ut patet ex monumentis historicis. Ergo 2.°, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1.° *ex Scripturâ.* Proverb. c. 8, de Sapientiâ seu Verbo dicitur juxta LXX Interpretes: *Dominus creavit me initio viarum suarum;* ergo Verbum non est æternum, ac proindè non est Deus.

Resp. Nego cons. Fateor in versione græcâ LXX Interpretum, hanc legi vocem, *creavit;*

sed textus hebræus, cujus major est auctoritas, versioni vulgatæ concinit. Nam in textu primigenio non reperitur vocabulum *bara, creavit*, sed *canah, possedit*, ita ut meritò cum vulgatâ nostrâ legendum sit : *Dominus possedit me.* Porrò verbum, *possedit*, de generatione in Scripturis accipitur : sic enim Eva, Caïn cùm peperisset, exclamavit : *Possedi hominem per Deum.* Et verò alii, præter septuaginta Interpretes, *Greci* verterunt : *Dominus possedit me*, non autem *creavit me*, ut animadvertunt S. Basil. lib. 2 contra Eunomium, et Greg. Nyss. lib. 1 contra eumdem. Cæterùm, vox illa, *creavit*, de Sapientiâ æternâ potuit enuntiari, absque ullo dispendio suæ æternitatis et improductionis ex nihilo : et reverà legimus in vulgatâ, Eccli. c. 24, ℣. 14, quòd Sapientia *ab initio et ante secula creata* sit. Nam, ut loquitur Jansenius commentario suo in lib. Prov. c. 8, *æternitas adjuncta creationi, satìs indicat non propriè dictam creationem ex nihilo, quam impossibile est esse antequàm quidquam faceret Deus, sed generationem et productionem esse intelligendam, assumendo nimirùm ex verbo* creavit *nobis usitato, id quod divinæ generationi consonat, abjectis imperfectionibus, sicut hoc fieri solet in aliis benè multis locutionibus ad Deum translatis.*

Inst. Scriptura pluribus in locis apertè indicat Christum ex gratuitâ Dei electione assumptum esse ut esset Dominus omnium creaturarum : sic Heb. c. 1, ℣. 4, dicitur *melior Angelis effectus ;* Act. c. 2, ℣. 36, asseritur quòd Deus Jesum *fecerit* Dominum; Coloss. c. 1, ℣. 15, nuncupatur *primogenitus omnis creaturæ ;* ergo Christus est

creatura, eximia quidem, sed Deo longè inferior.

Resp. Nego consequent. In his enim et similibus Scripturæ textibus, sermo est de Christo secundùm humanitatem, quam Deus gratiâ speciali inunxit, et ad summum dignitatis evexit, cùm illam conjungere hypostaticè dignatus est filio suo : ex quâ assumptione Christus, ut homo, est primogenitus, id est, præstantissimus inter creaturas, caput et princeps hominum et Angelorum.

Obj. 2.° Joan. c. 17, ℣. 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum;* ergo Filius non est Deus; ea enim vis est vocis ejus exclusivæ, *solus*, ut ab ejus qui tribuitur tituli communione quemlibet submoveat, præter eum cui titulus ille adscribitur.

Resp. 1.° *Nego consequent.* Sensus enim textûs propositi iste est : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum, qui solus es verus Deus;* ita ut exclusivum nomen, *solum*, non afficiat pronomen, *te*, quo Pater designatur, benè verò nomen subsequens, *verum Deum:* at ex eo quòd Pater sit Deus ille qui solus verè Deus est, minimè sequitur solum Patrem esse Deum.

Eadem responsio sic magìs evolvi potest. Itaque fatemur verba Christi in objectione allata, prout latinè leguntur, ambigua esse, ita ut exclusivum nomen, *solum,* ex æquo ad pronomen, *te*, quo Pater designatur, vel ad nomen subsequens, *verum Deum*, referri possit. Pro variâ autem istâ conjunctione et phrasis constructione, diversus vel etiam oppositus exsurgit sensus; si enim vox, *solum*, afficiat pronomen, *te*, quo Pater significatur, tunc sensus erit solum

Patrem esse verum Deum; si autem nomen illud exclusivum connectatur cum his verbis, *verum Deum*, is contrà sensus exsurgit : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Patrem esse Deum, qui solus verus est Deus*. Ex quo minimè sequitur personas Filii et Spiritûs Sancti non esse quoque illum Deum qui solus verus Deus est. Aliud est enim solum esse divinitate præditum, aliud est esse præditum eâ divinitate seu naturâ divinâ quæ sola vera est : sic, v. g., cùm Rex aliquis propter bella intestina quemdam in supremæ auctoritatis consortium advocat, ut ipsum rebellibus regium nomen affectantibus opponere possit, in hoc casu, si de legitimâ auctoritate privatis in colloquiis sermo fiat, sanè dici potest de illo in communionem imperii vocato, ipsum esse præditum eâ potestate regali quæ sola est legitima; alios verò qui rebellârunt, nullum imperandi jus habere. Nec propterea consequens est ipsum solum habere potestatem supremam; habet enim cum eo ille quem cooptavit in consortium supremæ potestatis. Ita nunc omnes, præter Socinianos, credunt Patrem illum esse Deum qui solus verus est Deus, neque tamen propterea excludunt Filium et Spiritum Sanctum à divinitate; imò, confitentur hasce duas personas, unà cum Patre, illum esse Deum qui solus verus est. Igitur examinandum superest an exclusivum nomen, *solum*, in pronomen, *te*, vel in ista, *solum Deum*, cadat. Postremum istud amplectimur, 1.° ob alia Scripturæ testimonia, in quibus divinitas Filio et Spiritui Sancto tribuitur; 2.° propter legendi modum textûs græci; sic enim verbo ad verbum reddi debet : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te illum solum verum*

Deum; at verò ut nôrunt omnes, articulus, *illum*, interpositus pronomen, *te*, quod antecedit, segregat à consequentibus, *solum verum Deum*, ac proindè nomen exclusivum, *solum*, non cadit in pronomen, *te*, sed ista afficit, *verum Deum*. 3.° Ex ipsâ confessione adversariorum, nempè Socinianorum : *Non est*, inquit *Crellius*, quòd *quis putet nos vocem*, solum, *cum præcedenti voculâ*, te, *si constructionem grammaticam spectes, connectendam censere : obstat enim articulus*, illum, *voci*, solum, *præfixus*.

Resp. 2.° Etiam dato quòd ista vox exclusiva, *solum*, pronomen, *te*, id est, Patrem afficiat, non ideò Filium et Spiritum Sanctum à consortio divinitatis excludit, sed tantummodò personas Deo Patri extraneas, id est, falsa Gentilium numina; quod facilè probari potest ex aliis Scripturæ testimoniis, in quibus divinitas Filio et Spiritui Sancto sicut et Patri tribuitur, v. g., Rom. c. 9, ℣. 5 : *Christus...., qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Act. Apost. c. 5, ℣. 3, 4 : *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto...., non es mentitus hominibus, sed Deo.* Undè sic argumentor : Certè Scriptura non potest esse sibi contradictoria : atqui tamen sibi contradiceret, ex hypothesi quòd Pater solus diceretur Deus per exclusionem Filii; ergo, etc.

Inst. I Corinth. c. 8, ℣. 6 : *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia....; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Undè sic argumentantur : S. Paulus in hoc versiculo explicans quis sit ille Christianorum unus Deus, solum appellat Patrem; ergo Filius non est verè Deus.

Resp. Nego cons. Reverà S. Paulus in explicatione unius Dei, Patrem tantùm formaliter et expressè vocat, sed propterea Filium et Spiritum Sanctum à divinitatis unicæ consortio non excludit, quemadmodùm statìm explicans quis sit unus Christianorum Dominus, ibique unicè Christum appellans, non ideò Patrem Dominum esse negat; aliud est enim dicere Patrem esse illum Deum qui unus est, aliud dicere solum Patrem esse Deum unicum. In textu allato, prius ab Apostolo dictum est, non autem posterius. È contrà ibidem, si non expressis verbis, saltem æquivalenter divinitatem Filio adscribit, eum scilicet vocando *Dominum, per quem omnia* facta sunt. Ista solutio, etsi evidens per se, etiam Patrum suffragio muniri potest: *Miror*, inquit Origen. in cap. 9 Epist. ad Roman., *miror quomodò quidam legentes istud Apostoli: « Unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, » negent Filium Dei Deum dici debere... Quid ergo de hoc Apostoli loco facient, in quo apertè Christus super omnia Deus nuntiatur? Sed non advertunt, qui hoc ita sentiunt, quòd sicut Dominum nostrum Jesum Christum non ita unum esse Dominum dixit Apostolus, ut ex hoc Deus Pater non Dominus esse dicatur, ita etiam Deum Patrem, non ita Deum unum esse pronuntiavit, ut Filius Dei non credatur Deus.., uterque autem unus est Deus.*

Obj. 3.° Joan c. 14, ℣. 23: *Pater major me est,* inquit Dominus Christus; ergo Christus non est Deus.

Resp. Dist. Christus secundùm naturam ex Mariâ Virgine ductam minor est Patre, *conc.*; secundùm

secundùm naturam ipsi à Patre communicatam, *nego*: seu Christus, ut filius est hominis, minor est Patre, *conc.*; ut filius Dei unigenitus, *nego*. Itaque, juxta fidem catholicam, Christus est simul Deus et homo; *Verbum enim caro factum est*; propterea Christus Dominus de seipso verba faciens, suam modò divinam, modò humanam respicit naturam. De se, prout est Deus, dixit: *Ego et Pater unum sumus*. Ad suam verò humanam respexit naturam, cùm ista quæ nobis objiciuntur verba protulit: *Pater major me est*.

Fuerunt tamen ex veteribus non pauci, qui hanc Christi locutionem, *Pater major me est*, de Christo ut æterno Patris filio interpretati sunt, quia Pater Filii principium est, eoque major idcircò vocari aliquatenùs potest.

Eàdem distinctione solvi possunt quædam alia Scripturæ testimonia, juxta quæ Christus dicitur *factus obediens*, *Deum habere caput*, *Deum precari*; hæc enim omnia de Christo, ut homine, prædicantur; ipse nimirùm ut homo, Patri obediebat, eum deprecabatur, et ut caput suum agnoscebat.

Obj. 4.° Marc. c. 10, ℣. 18, cùm adolescens quidam Christum appellasset *bonum*, dixit ei Jesus: *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus*; ergo bonitas essentialis Deo propria, Christo non convenit, cùm juvenem boni titulum ipsi tribuentem redarguat.

Resp. Nego cons. Non enim ita hunc juvenem allocutus est Christus ut sibi bonitatem essentialem Dei veri propriam detraheret, sed è contrà, ut prædictum adolescentem ad suæ divinitatis confessionem attolleret. Enim verò cùm juvenis ille ad Christum accessisset, ipsumque ut magis-

trum cæteris doctoribus legis similem compellasset, eum tamen vocando bonum, hanc nactus occasionem Christus, ita propriis eum verbis cogere voluit ad suam divinitatem confitendam, quasi nimirùm dixisset : Si me purum hominem existimas, noli me bonum appellare; nemo enim bonus nisi unus Deus : aut si me agnoscis bonum, quidni me pariter Deum agnoscis ?

Obj. 5.° Ille non est Deus qui diem judicii ignoravit : atqui Christus ignoravit diem judicii, Marc. c. 13, ℣. 32 : *De die illo,...* inquit, *nemo scit; neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater;* ergo, etc.

Resp. Nego min. Christus, ut Dei legatus et ad homines edocendos missus, diem judicii nescivit, *conc.;* ut Homo-Deus et supremus omnium judex, *nego.* Ita respondet S. Aug. concione 1.ª in Psalm. *Quia Dominus noster Jesus Christus,* inquit, *magister, nobis missus est, etiam filium hominis dixit nescire illum diem, quia in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur à nobis.*

Inst. 1.° Christus absolutè dixit Filium ignorare diem judicii, nec ullam distinctionem notavit inter Filium ut Hominem-Deum, et ut Dei legatum; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Qui enim sub aliquo respectu consideratus novit aliquid quod sub alio ignorat, is potest absque respectûs distinctione nllâ dicere, ipsum rei de quâ agitur ignarum esse, modò ipsius auditores hanc omissionem facilè suppleant : atqui res ita contigit in eo quod nobis objicitur exemplo; nimirùm discipuli audientes Christum dicentem, *De die illo nemo scit, etc.*, apprimè noverant ipsum duplicem sustinere personam, propriam scilicet, et aliam ejus à quo missus fuerat.

Prætereà, ignorare non poterant Christum, ut Hominem-Deum, scire diem et horam judicii; omnia enim quæ sibi coram ipsis tribuerat, ad hoc credendum ipsos inclinaverant; hinc facilè intellexerant ignorantiam diei judicii cadere in ipsum præcisè ut legatum, quasi dixisset: Filius non est à Patre missus ut homines diem et horam judicii edoceat. Cæterùm, difficultas illa thesim nostram propriè non attingit: ex hoc enim textu ad magis sequeretur Christum, ut hominem, ante resurrectionem suam ignorasse diem judicii; et reverà ita ex veteribus opinati sunt pauci, in eo tamen non probandi.

Inst. 2.° Atqui Filius omni ex parte diem judicii nescivit; nam Matth. c. 24, ℣. 36, *solus Pater* diem hunc scire dicitur.

Resp. Dist. Solus Pater per exclusionem creaturarum, *conc.*; per exclusionem Filii et Spiritûs Sancti, *nego*. Itaque nomen exclusivum, *solus*, 1.° non excludit Filium Dei; sic enim loquitur Joan., c. 16, ℣. 15: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt;* 2.° nec Spiritum Sanctum, de quo sic habet Apost. I ad Corinth. c. 2, ℣. 10: *Spiritus... omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Itaque novit Christus Homo-Deus diem et horam judicii; cur autem nos eam ignorare voluerit Deus, neminem suæ Religionis non ignarum latet, nempè ut semper vigiles et in bonis operibus ferventes essemus; *exspectatio quippe perpetua*, inquit S. Basilius, lib. 4 côntra Eunomium, *ferventiores ad pietatem reddit; id verò nosse, multum tempus interfuturum, negligentiores... effecisset.*

Obj. 6.° Matth. c. 20, ℣. 23: *Sedere ad dexteram meam,* inquit Christus, *vel sinistram,*

non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo; ergo Filius minorem quàm Pater habet auctoritatem; ac proindè non est Deus.

Resp. Nego consequent. Ex illo textu non concludi debet minorem esse auctoritatem Christi quàm Patris, modò Christus ibi non neget suum esse largiri ut aliquis sedeat ad dexteram et sinistram suam, sed tantùm neget suum esse hanc largiri gratiam duobus Zebedæi filiis, qui jure propinquitatis hanc postulaverant : atqui res ita est, ita ut verborum Christi sensus iste sit : *Sedere ad dexteram vel sinistram non est meum,* id est, non debeo *dare vobis* propterea quòd cognati mei estis, *sed quibus paratum est à Patre meo,* id est, merentibus. Hanc solutionem exemplo familiari confirmant S. Chrysostomus, Theophylactus, et alii : Si Rex, inquiunt, coronam proposuisset ei qui cæteros currendo vinceret, ad ipsum verò qui coronam ab eo postulans accederet, cursu non expleto, profectò responderet ei, non est meum tibi dare, sed cui parata est, id est, victori. Porrò sicut ex hâc responsione nullus concluderet summam non esse Regis potestatem, sed tantùm, factâ semel ab ipso præmii destinatione, non ipsius esse, id est, ipsum non debere coronam immerentibus dare; ita similiter majores regni cœlorum sedes, cùm ab æterno sanctioribus paratæ sint, Christi non erat, id est, non debebat eas promittere duobus Zebedæi filiis, qui ambitiosè ac jure propinquitatis eas postulaverant. Et verò, quòd summa Christo competat auctoritas in præmiorum largitione, ex eo probatur, quòd ipse dixerit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.*

Dicet aliquis : Si Christi auctoritas æqualis sit auctoritati Patris, cur dixit, *quibus paratum est à Patre meo*, non autem, *à meipso paratum est.* Solutio facilis est. Etenim 1.° Christus dicendo, quibus paratum est à Patre meo, seipsum non excludit. 2.° Quia licèt omnia opera externa tribus personis communia sint, quædam per appropriationem uni personæ, quædam alteri tanquam propria tribui solent, porrò quæ maximè postulant providentiam et potentiam Dei, Patri tribui solent : sed præparatio mercedum ad providentiam pertinet; mirum ergo nulli videatur si Christus dixerit, *quibus paratum est à Patre meo.* 3.° Ratio est quia Christus eodem sensu respondit quo fuerat interrogatus : respondit, non quatenùs Deus, sed quatenùs homo, eo quòd jure propinquitatis filii Zebedæi priores regni cœlorum sedes exspostulassent : sed Christus, quatenùs Deus, propinquos non habet, et quatenùs homo, non habet auctoritatem Patris.

Obj. 7.° Joan. c. 1, ℣. 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre;* ergo Christus verè ac propriè ex Deo non est genitus.

Resp. Nego consequent. Nam particula, *quasi,* vim determinativam et non imminutivam retinet in textu proposito, ut constat ex allatis suprà Scripturæ testimoniis, juxta quæ Christus dicitur filius Dei verus et proprius. Et verò, particula, *quasi*, in textu Græco verti potest in istam, *ut*, vel, *sicut :* porrò si legamus : *Vidimus gloriam ejus, gloriam ut*, vel, *sicut unigeniti à Patre*, nulla ampliùs erit difficultas; nec magìs ex illâ versione sequitur Verbum, propriè loquendo, non esse unigenitum, quàm ex eo quòd Matth. c. 14, turbæ Christum sicut Prophetam habue-

rint, sequitur ipsas ut Prophetam verum non habuisse.

Obj. 8.° I Corinth. c. 15, ℣. 28 : *Cùm subjecta fuerint illi omnia : tunc et ipse Filius subjectus erit ei...* Patri nimirùm, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Undè sic : Filius Dei, verè Deo subjectus, non est filius naturalis, nec proindè Deus : atqui Filius, ex Apostolo, subjiciendus est Deo ; ergo, etc.

Resp. non unam testimonii hujus afferri expositionem. Quidam intelligunt illud de Filio secundùm divinitatem suam, qui Patri subjiciendus dicatur, non ut inferior superiori, non ut minùs præcellens principio suo, sed ut procedens principio suo, à quo naturam essentialiter accipit. Alii subjectionem illam Filio ut homini tribuunt, quibus assentimur.

Obj. 9.° *ex SS. PP.* S. Justinus in operibus suis docuit, 1.° Patrem esse causam Filii ; 2.° Filium esse primam post Deum potestatem ; 3.° ipsum esse Patris administrum, et ab ipso faciendi omnia præceptum accepisse ; 4.° Filium virtute ac consilio Patris genitum esse ; 5.° Filium esse visibilem, Patre solo invisibili remanente ; ergo S. Doctor negavit consubstantialitatem Verbi et ipsius cum Patre æqualitatem.

Resp. Nego cons. Hæc enim omnia in sensum catholicum absolutè inflecti possunt et debent, cùm ille Doctor tam expressa in gratiam divinitatis Filii alibi protulerit testimonia, ut suprà vidimus. Itaque

Resp. ad 1.um Quandò S. Justinus dixit Patrem esse causam Filii, tunc nomen causæ assumpsit loco principii, ut significaret Filium suam à Patre originem ducere, quod apprimè

catholicum est. Et verò, Justinus, propter causæ nomen usurpatum, hæresis incusandus non est si multi Patres, tam Græci quàm Latini, consubstantialitatis Verbi defensores acerrimi, non modò ante, sed etiam post Concilium Nicænum, Patrem esse Filii causam, id est, principium affirmare non dubitaverint: atqui res ita se habet; v. g., S. Alexander, qui primus Arium damnavit; S. Basilius, lib. 1 contra Eunomium; S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 36 et 40; S. Chrysostomus, Hom. 72 in Joan.; S. Hilarius, lib. 12 de Trin., etc. Nunc tamen ab illà voce, cùm de generatione Verbi agitur, Theologi abstinent, propter perversum quem ipsi affigunt Hæretici sensum.

Resp. ad 2.um Cùm S. Martyr dixit Filium esse primam post Deum potestatem, noluit significare aliam Patris et aliam Filii esse potestatem, quandoquidem vidimus suprà Justinum docentem substantiam divinitatis Patrem inter et Filium non esse dispertitam, id est, divisam, sed utrique communem. Ipsius ergo in hàc efferendâ propositione mens fuit, Filium esse secundam personam quæ supremâ potestate instructa sit; nimirùm S. Doctor ibi usus est certâ quâdam libertate non omninò apud veteres insuetâ, juxta quam nomina essentialia personaliter accipiuntur.

Resp. ad 3.um Filius à Patre mandatum accepit faciendi omnia; hoc sensu quòd æternâ et essentiali generatione suâ, rationem et voluntatem creandi unà cum divinitate à Patre Deo acceperit. Patris verò in creatione mundi administer fuit, quia Pater sine intelligentià et ratione nihil operatur; Filius enim est Patris ratio subsistens et personalis: porrò uterque sensus ille catholicus

est. Scio equidem has loquendi formulas sensu hæretico intelligi posse, in quantùm iis significari potest Verbum esse naturæ inferioris. Hinc SS. PP., cùm has passim adhiberent Ariani, eas ut hæreticas rejecerunt; et ideò ab iis nunc abstinere debemus. Sed non ideò incusandi sunt Doctores qui eas nonnunquàm ante exortam Arii hæresim usurpàrunt; tunc enim minus cautè, quia securiùs, loquebantur.

Resp. ad 4.um S. Justinus dixit Verbum à Patre genitum esse virtute ac consilio, non ut significaret generationem Verbi esse liberam ex parte Patris, sed ut ab eâ excluderet fatalem et cæcam necessitatem; quamvis enim Pater suum ex naturâ et essentialiter Verbum gignat, cæco tamen impetu non agit, cùm, ex dicendis posteà, Filius sit terminus cognitionis Patris.

Resp. ad 5.um Justinus asserit Filium esse visibilem, non quidem in naturâ à Patre ab æterno susceptâ, sed in formâ visibili quam assumpsit in tempore.

Obj. 10.° Sic habet Origenes, auctor III seculi, lib. 8 contrà Celsum: *Nonnulli sunt qui Christum esse illum universorum Deum temerè affirmant; quod nos certè non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater major me est;* ergo, etc.

Resp. Nego cons. Origenes enim in hoc textu redarguit Hæreticos qui personam Filii cum Patre confundebant. Itaque per ista tantùm significare voluit, Christum distingui à personâ Patris, quem ibi designat nomine Dei ac Domini universorum. Quòd autem Verbi divinitatem admiserit Origenes, probatur ex eodem ipsius libro: *Unum*, inquit, *Deum Patrem et Filium*

colimus, quia scriptum est: Ego et Pater unum sumus.

Obj. 11.° Tertullianus contra Hermogenem, cap. 3: *Fuit tempus cùm... Filius non fuit:* porrò quod omne tempus non præcedit, Deus non est; ergo Tertullianus negavit Filium esse Deum.

1.° Alii difficultate oppressi, Tertullianum derelinquunt: non enim multùm, inquiunt, curandum est quod iste Doctor senserit; *error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, ut loquitur S. Hilarius. Hinc ipse S. Hieronymus contra Helvidium, auctoritate Tertulliani pressus, sic uno verbo respondet: *De Tertulliano quidem nihil ampliùs dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse.* Quibus addere liceat, Patres Catholicos qui illum subsecuti sunt, hanc blasphemiam contra Verbum totis viribus impugnasse.

2.° Respondent alii *disting.*: Fuit tempus quandò Filius non erat secundùm nativitatem ipsius externam, id est, manifestationem ejus ac velut egressionem è sinu Patris per mundi creationem, *conc.*; fuit tempus quandò Filius non erat secundùm ipsius nativitatem internam et personam ejus in sinu Patris verè formatam, *nego.* Itaque ut intelligatur solutio, observandum est Tertullianum in Verbo *Filio* duplicem admisisse nativitatem, intrinsecam et extrinsecam: juxta primam, Verbum ab æterno procedens à Patre et in peculiari personâ subsistens, manet apud ipsum; juxta secundam, Verbum seu sermo Dei, id est, Filius à Patris sinu in tempore progreditur, mundum creaturus. Prior nativitas vera est; posterior autem metaphorica est tan-

tùm, non realis, et nullam in Verbo mutationem importat. Jam verò, cùm Tertullianus asseruit tempus fuisse quandò Filius non erat, locutus est de Filio juxta postremam hanc nativitatem spectato; nec propterea voluit negare veram et propriè dictam et ab æterno factam personæ Verbi generationem, ut evincunt plura Doctoris hujus testimonia. Sic lib. contra Praxeam, cap. 5: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecùs præter illum. Cæterùm, ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam; scilicet, hanc Græci* Logon *dicunt; quo vocabulo etiam* Sermonem, *id est,* Verbum *appellamus.*

Ut magìs intelligatur mens Tertulliani et aliorum qui hujus loquendi modum imitati sunt, observandum est Verbum seu filium Dei, ex intellectu Dei procedentem, ideò Patris cogitationem seu rationem et sapientiam personalem vocari; et sicut in homine conceptus interior seu cogitatio interna, verbo et signis exterioribus novam quasi nativitatem accipit, ita ut sermo fiat et compleatur exteriùs; ita quoque ratio subsistens Patris, ab æterno concepta, facta est sermo, cùm Deus in principio dixit: *Fiat.., et factum est.* Sed nullus est qui non intelligat hanc comparationem non ad vivum resecandam esse, ita ut credatur aliquid ab æterno, Verbo defuisse, quod in tempore ad creationem acceperit.

Obj. 12.° Synodus Nicæna definivit Filium esse *homousion*, id est, consubstantialem Patri: atqui in hoc peccavit; ergo, etc.

Resp. Nego min. Nam vox *homousios*, id est, consubstantialis applicata Filio, significat ipsum

esse unius et ejusdem cum Patre Deo substantiæ: atqui sensus ille catholicus est, ut ex probatis constat.

Inst. 1.° Non legitur in Scripturâ Filium esse *homousion*, id est, consubstantialem Patri; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Non legitur quoad verbum, *conc.*; quoad sensum verbo expressum, *nego.* Certè in definitionibus suis Ecclesia novas potest adhibere voces, modò nihil novum dicat: porrò ita se gessit; consubstantialis enim nomen quoad sensum in Scripturâ continetur, Joan. c. 10, ℣. 30: *Ego*, inquit Christus, *ego et Pater unum sumus.*

Inst. 2.° In explicandis fidei dogmatibus, novis ac inusitatis non licet uti verbis: atqui vox, *consubstantialis*, ante Synodi Nicænæ judicium inaudita erat; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Cur novis vocibus pium exprimentibus sensum uti non licebit contra novas hæreses, quæ priscas voces catholici dogmatis enuntiativas in sensus distortos et pravos trahunt? non omnes *novitates vocum; sed profanas tantùm devitare jubet Apostolus*, inquiebat olim Hilarius, Constantium alloquens.

Resp. 2.° *Nego min.* Consubstantialis nomen non primùm à Patribus Nicænis inventum, nec ab ipsis in quæstione de divinitate Filii noviter usurpatum fuisse, testis est Eusebius in Epistolâ ad suos Cæsarienses: *Novimus*, inquit apud Socratem, lib. 1, cap. 8, *quosdam ex veteribus doctos et illustres Episcopos et Scriptores, qui de Patris et Filii divinitate disserentes, nomine* homousion *usi sunt;* et quamvis Eusebio multa suppetierint antiquitatis monumenta facti quod

enuntiat assertiva, et quæ temporum injuriâ jamdudùm interierint, tamen non omninò nobis in tanto scriptorum veterum naufragio desunt testimonia, quæ hanc veritatem probent; Filium enim *homousion* ante Synodum Nicænam vocârunt et Dionysius, Alexandrinus Episcopus, et alter Dionysius Romanus, et Synodus Romæ congregata, ut testatur S. Athanasius, lib. de Synodis et de Decretis Synodi Nicænæ.

Inst. 3.° Synodus Antiochena sexaginta circiter annis ante Nicænam habita, *homousion* rejecit in Paulo Samosateno.

Resp. Dist. ant. Rejecit *homousion* sensu perverso quem ipse ad invidiam et calumniosè affingebat Paulus Samosatenus, *conc.;* rejecit hanc vocem in se et absolutè spectatam, sive eo quem ipsi tribuunt Catholici sensu, *nego.* Itaque Paulus Samosatenus, qui erravit in eo quòd assereret Christum esse purum hominem, ad deitâtis consortium ex meritis subindè elevatum, nunquàm proprio nomine dixit Christum esse consubstantialem Patri, sed potiùs ex hoc vocabulo, à Catholicis in explicando dogmate de divinitate Filii usurpato, sophisma contexuit, quo istud dogma convelleret, dicendo nimirùm ex consubstantialitate Verbi cum Patre Deo istud nimis sequi absurdum, tres videlicet in Deo esse substantias, unam quæ prior esset, et duas alias quæ ex eâ productæ fuissent: quemadmodùm duo fratres consubstantiales enuntiari non possunt, quin simul triplex supponatur adesse essentia sive substantia, scilicet substantia patris, ex quâ fratris utriusque substantia velut decisa est. Hunc ergo voci, *Consubstantialis,* malè affixum sensum rejecit omninò Synodus

Antiochena; ergo verè non dissensit à Synodo Nicænâ; fides enim non consistit in verbis, sed in sensu verbis affixo. Responsionis hujus auctor ipse est S. Athan. lib. de Synodis Ariminensi et Seleuciensi, qui sic concludit: *Utraque Synodus ex legitimâ causâ hoc modo alia, alio alia locuta est.*

Quidam difficultati propositæ aliter respondent, hoc scilicet modo. Synodus Antiochena, inquiunt, damnavit *homousion,* sensu Pauli Samosateni, qui hâc voce, post Sabellium, significabat Patrem et Filium esse unius non tantùm naturæ, sed etiam hypostaseos seu personæ. Illi autem nituntur auctoritate S. Hilarii, lib. de Synodis: *Malè,* inquit n. 81, *homousion Paulus Samosatenus confessus est, quia per hanc unius essentiæ nuncupationem, solitarium atque unicum esse Patrem et Filium prædicabat.* Hæc altera quorumdam responsio difficultatem sicut præcedens solvit. Ex eâ siquidem clarè conficitur Patres Antiochenos non eo *Consubstantialis* vocem respuisse sensu, quo postmodùm à Nicænis Patribus admissa fuit. Prior tamen responsio nobis præ istâ placet, eo quòd innitatur testimonio S. Basilii, quin etiam Athanasii, qui opinionem Pauli Samosateni et Concilii Antiocheni sensum meliùs assequi potuit.

Quæ objiciuntur ex lapsu Liberii et ex Concilio Ariminensi, jam soluta fuère in *Tractatu de Ecclesiâ.*

CAPUT II.

De Consubstantialitate seu Divinitate Spiritûs Sancti.

Duplicem esse Hæreticorum errorem circa Spiritum Sanctum vidimus : alii enim docent ipsum non esse personam à Patre distinctam, sed meram qualitatem seu Dei energiam : ita Sabelliani olim, et nostris temporibus Sociniani. Alii verò Spiritum Sanctum ut personam excellentem sed creatam habent : ita Ariani et subindè Macedoniani. Priorem errorem jam confutavimus dissertatione primâ, ubi ex Scripturis et Traditione constanti ostendimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres esse personas distinctas et reales. Superest ergo ut posteriorem hæresim hìc refellamus.

PROPOSITIO.

Spiritus Sanctus verè est Deus, Patri et Filio consubstantialis.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Scripturâ.

Ille verè Deus est, cui Scripturæ nomen Dei, attributa divina et divinas operationes tribuunt : atqui Spiritui Sancto passìm Scripturæ tribuunt nomen Dei, etc.

1.° Quidem Spiritus Sanctus Deus nuncupatur. In Scripturis indistinctè dicitur Deum aut Spiritum Sanctum locutum esse per Prophetas, Isaiæ

c. 6, ℣. 9 : *Dixit* (*Dominus exercituum*, hebraicè, Jehovah) : *Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere;* Apostolus autem hæc verba Spiritui Sancto applicat, Act. c. 28, ℣. 25 : *Benè Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam.., dicens : Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis, et non intelligetis ;* ergo Spiritus Sanctus qui hæc locutus est, ipse est Jehovah, Dominus exercituum; ergo, etc.

Act. c. 5, ℣. 3, sic Petrus Ananiam compellat : *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo;* ergo Spiritus Sanctus est Deus.

Respondent Sociniani hic affirmari tantùm Ananiam mentitum esse Spiritui Sancto simul et Deo, sed non exindè sequi Spiritum Sanctum esse Deum. Sed ex simplici lectione textûs patet Socinianos tricas pro more suo nectere; nam Petrus non dixit Ananiam mentitum fuisse Spiritui Sancto simul et Deo; sed ex eo præcisè infert Ananiam mentitum esse Deo, quia mentitus est Spiritui Sancto; sic enim fieri potest textûs paraphrasis : Anania, quomodò satanas potuit te inducere ut mentireris Spiritui Sancto? Vide quanto tenearis crimine : sic enim mentiendo Spiritui Sancto, non ipsis hominibus, sed Deo mentitus es, Spiritus enim ipse est Deus.

I Cor. c. 12, ℣. 6 : *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus ;* et ℣. 11, postquàm enumerationem operationum fecit, rursùs concludit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult;* ergo Spiritus ille Deus est, qui operatur omnia in omnibus.

Ibid. c. 3, ℣. 16 : *Nescitis quia templum Dei estis?* et subindè addit Apostolus : *Et Spiritus Dei habitat in vobis?*

2.° Attributa divina Spiritui Sancto adjudicantur in Scripturis, et divinæ operationes.

Immensitas et ubique præsentia. Sapient. c. 1, ℣. 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Omnipotentia. Psal. 32, ℣. 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Omniscientia. I Cor. c. 2, ℣. 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. c. 16, ℣. 13 : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Creatio et conservatio. Psal. 103, ℣. 30 : *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.*

Resurrectio. Rom. c. 8, ℣. 11 : *Quòd si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.*

Justificatio. I Cor. c. 6, ℣. 11 : *Abluti estis..., sanctificati estis..., justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Rom. c. 5, ℣. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

ARGUMENTUM II.

Ex Traditione.

1.° *Ex SS. PP.* S. Justinus, Apolog. 1, n. 6 : *Filium et Spiritum propheticum unà cum Patre colimus, et Deum solum adoramus.*

Athenagoras in Legatione pro Christianis: *Quis non miretur nos qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, atheos vocari?*

Clemens Alexand. in Pædagogo, lib. 1, cap. 6: *Unus quidem est universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique.*

S. Dionys. Alexand. in responsionibus suis ad propositum Pauli Samosateni : *Non impunè foret is qui adversùs Spiritum Sanctum blasphemus est; Spiritus autem est Deus.*

Tertullianus, lib. adversùs Praxeam, cap. 13: *Duos quidem definimus Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto; duos tamen deos nunquàm ex ore nostro proferemus; non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque.*

Ita pariter cæteri Patres. Ut autem magis pateat fidem nostram de personâ Spiritûs Sancti, non recèns fuisse inventam, sed eam primis Ecclesiæ seculis viguisse, non abs re erit hic referre testimonium auctoris pagani, secundo viventis seculo, qui professionem Trinitatis in ore Christiani clariùs exhibet. Etenim Lucianus, vel auctor ejusdem seculi, in Dialogo qui *Philopatris* inscribitur, inducit Paganum qui à Christiano quærit per quem Deum velit ut juret: *Quemnam igitur tibi jurabo?* cui respondet Christianus : *Deum altè regnantem, magnum, immortalem, cœlestem; Filium Patris, Spiritum à Patre procedentem : unum ex tribus, et ex uno tria.* Ad quem Paganus : *Non intelligo quid dicas : Unum tria, et tria unum.*

2.° *Ex Symbolis.* Nicænum Concilium profi-

tetur se *credere in Spiritum Sanctum.* Concilium Constantinop. I, generale II, anno 381 : *Credimus in Spiritum Dominum et vivificantem, et ex Patre procedentem et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Et in Epistolâ synodicâ ad Episcopos Occidentis, centum et quinquaginta Patres Græci, inter quos S. Gregorius Nazianzenus : *Fides..... nos docet credere in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, hoc est, in divinitatem, potentiam et substantiam unam Patris et Filii et Spiritûs Sancti, etc.*

3.° Hæc Traditio confirmatur ex usu constanti Ecclesiæ baptizandi in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, quod argumentum contra Hæreticos imprimis urgebant SS. PP.; ex precibus Ecclesiæ, quæ Deo per Filium in unitate Spiritûs Sancti semper orationes obtulit; ex illâ antiquissimâ doxologiâ : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto;* si enim Spiritui Sancto sicut et Patri et Filio ita danda est gloria, indè manifestum est ipsum unà cum Patre et Filio verum esse Deum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1.° Apostolus in omnibus fermè epistolis suis fideles salutat in Deo Patre et Christo, nunquam eis Spiritum consocians; ergo Deus non est sicut Pater et Filius.

Resp. 1.° *Nego ant.* Sic enim II Cor., c. 13, ℣. 13, suam claudit Apostolus Epistolam : *Gratia Domini nostri Jesus Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis.*

Resp. 2.° *Nego consequent.* Quia talis omissio ex aliâ causâ provenire potest.

Obj. 2.° Joan. c. 16, ℣. 13: *Spiritus veritatis,....* inquit Christus, *non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur;* ergo Spiritus ille non est Deus.

Resp. Nego cons. Textus ille de Spiritu Sancto intelligendus est sicut iste, apud Joan. c. 7, ℣. 16: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me:* atqui textus iste posterior, non significat Christum velut discipulum à Patre Deo sumere doctrinam; sed unicè demonstrat Christum omnia sua et proindè doctrinam à Patre suo essentialiter ducere, quatenùs ab illo generatur; ergo similiter à seipso non loquitur Spiritus seu in quantùm à semetipso est, sed quatenùs à Patre et Filio procedit.

Obj. 3.° Rom. c. 8, ℣. 26: *Spiritus postulat pro nobis;* et Ephes. c. 4, ℣. 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum:* atqui Deus nec orationis, nec tristitiæ capax est; ergo, etc.

Resp. ad 1.um *textum:* Spiritus Sanctus postulat pro nobis, id est, per gratiam suam facit ut postulemus.

Resp. ad 2.um *textum:* Contristari dicitur Spiritus Sanctus, quia facit ea quæ homines contristati facere solent. Itaque verbum, *contristare*, metaphoricè intelligendum est in hoc textu, ob imperfectionem ipsi annexam, et in Spiritu Sancto verè impossibilem, sicut verbum *pœnitere*, cùm Deo in Scripturâ applicatur.

Obj. 4.° Nec Concilium Nicænum, nec ipsum Constantinopolitanum, quod contra Macedonianos congregatum fuit, expressis vocibus Spiritum Sanctum esse Deum unquàm affirmavit; ergo divinitas Spiritûs Sancti nondùm fidelibus proposita fuerat, ac proindè, etc.

Resp. Nego cons. In Concilio Nicæno, ut nemo nescit, de solà Verbi divinitate actum est, quæ sola tunc temporis impugnabatur ab Ario et ejus asseclis, nondùm editâ hæresi Macedonianorum. Quid proindè mirum videri possit, si divinitas Spiritûs Sancti non expressè definita ibi fuerit. Nihilominùs fidem suam satis manifestam facit S. Synodus, cùm profitetur se *credere in Spiritum Sanctum*, eodem prorsùs modo quo paulò antè declaravit credendum esse in Deum Patrem et in Verbum, Filium ejus consubstantialem.

Quod spectat Concilium Constantinop., reverà nullibi vox, *Deus*, expressè de Spiritu Sancto asserta legitur, sive quia vox illa æquivoca et insufficiens fuerit, propter Hæreticorum fraudes, sive ob aliam quæ latet rationem. At profectò æquivalenter omninò exprimitur Spiritûs Sancti divinitas, ut nemo bonâ fide negaverit, cùm in Symbolo dicatur unà cum Patre et Filio *adorandus* et *conglorificandus*, et insuper in Epistolâ synodicâ unam agnoscatur habere cum Patre et Filio *divinitatem et substantiam*. Quodnam clarius et expressius desiderari possit testimonium ?

Obj. 5.° Nonnulli ex veteribus Patribus non ausi sunt Spiritum Sanctum appellare Deum : sic inter cæteros, S. Hilarius qui in toto Tractatu de Trinitate, duodecim libros complectente, ne semel quidem nomen Dei Spiritui Sancto tribuit. Imò S. Basilius negat Spiritum dicendum esse Deum; sic enim loquitur, Homil. 17 : *Neque alienus est à gloriâ Dei Spiritus ; neque ipse Deus est ;* ergo.

Respondent 1.° Theologi, nonnullos reverà noluisse Spiritum Sanctum Deum expressè ap-

pellare, ob præpotentem Hæreticorum factionem, et ad vitandam persecutionem. Intereà tamen fidem non dissimulabant, sed palàm et voce et scripto declarabant, eamdem esse Spiritûs Sancti et Patris et Filii substantiam; Spiritum Sanctum non esse creaturam, etc. Vocem *Deum* solummodò reticebant : quod silentium multi ex Catholicis culpàrunt; alii verò, et quidem illustres, excusârunt.

Resp. 2.° S. Hilarius manifestissimè divinitatem Spiritûs Sancti tradit pluribus in locis, et imprimis in Comment. in Matthæum : *Baptizamur,* inquit, *in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus est Deus.*

Quod attinet ad S. Basilium, hujus eximii Doctoris tam luculenta passim legimus testimonia, quibus divinitas Spiritûs Sancti adstruitur, ut extra dubium sit illum longissimè fuisse ab errore Macedonianorum; ideò quæ nobis objiciuntur verba, vel mendosam lectionem exhibent, ut volunt nonnulli; vel benigniùs intelligenda sunt, quasi id unum exprimere voluerit, Spiritum Sanctum non esse Deum Patrem; vel alia quæcunque fingatur hypothesis, dummodò certum maneat planè orthodoxam fuisse Basilii fidem circa divinitatem Spiritûs Sancti. Nullum ex textibus S. Doctoris exscribemus, qui obvii sunt et noti; referre sufficiat auctoritatem S. Gregorii Nazianzeni, qui de Basilio sic testatur, in suâ Oratione funebri : *Licèt Spiritum omninò Deum esse affirmaret, quemadmodùm liquet ex iis quæ sæpiùs, dùm tempus ita ferret, publicè prædicavit, necnon privatìm interrogantibus expressè est confessus; manifestiùs tamen id fecit in sermonibus*

quos mecum habuit. Neque hoc simpliciter definiebat, sed quod non sæpiùs antè fecerat, horrendissimè se exsecrabatur, ac sibi ut à Spiritûs gratiâ excideret imprecabatur, si Spiritum non æquè ac Patrem et Filium tanquam consubstantialem et ejusdem honoris venerarctur.

SCHOLIUM.

Paucis resumendo quæ istâ dissertatione longiùs ob rerum gravitatem pertracta fuerunt, jam fide constat tres personas esse in Deo quarum unaquæque Deus sit, non propter similitudinem aliquam in naturâ, quæ similitudo repugnat, ut potè quæ supponcret tres substantias diversas et infinitas; sed propter participationem unius et ejusdem numero essentiæ divinæ, ita ut perfectè sint consubstantiales. Ex quo nonnulla fluunt consectaria.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo tres Personæ divinæ sunt perfectè æquales.

Prob. Nam personæ quæ unam habent numero substantiam, unam proindè scientiam, unam voluntatem, unam potentiam et perfectionem, perfectissimæ sunt profectò inter se æqualitatis. Ideò in Symbolo Athanasiano dicitur: *In hâc Trinitate nihil prius aut posterius; nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales.*

COROLLARIUM II.

Ergo admittenda est in Deo personarum Circuminsessio.

Prob. Circuminsessio in divinis vocatur, *Mutua*

personarum divinarum in invicem existentia seu habitatio, ita ut Pater in Filio, Filius in Patre, Pater et Filius in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in utroque sit. Atqui mirabilis illa circuminsessio naturaliter fluit ex eo quòd tres personæ unam habeant naturam, à quâ sicut à se invicem nullâ prorsùs ratione divelli possunt. Hinc Christus, Joan. c. 14, ℣. 11 : *Ego in Patre, et Pater in me est.*

Nec difficultatem parit quod dictum est à Filio : *Ego exivi à Patre ;* hæc enim significant duntaxat processionem Filii à Patre. Nec etiam ex illâ circuminsessione destruitur realis personarum distinctio, quæ fundatur in distinctione originis, ut infrà exponemus.

DISSERTATIO TERTIA.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

Ex præcedentibus dissertationibus certissimum manet, tres esse in Deo personas in unicâ Dei naturâ existentes. Nunc videndum an et quomodò personæ à se invicem procedant, sive originem ducant.

Processio in divinis definitur, *Origo unius personæ divinæ ab alterâ, seu à duabus aliis simul.*

Duplex à Theologis distinguitur processio, alia *transiens*, alia *immanens*. *Transiens* dicitur, quandò effectus processionis ponitur extra causam à quâ procedit : sic inter homines, filius ponitur extra patrem; *immanens* verò est processio, quandò terminus productus seu effectus

processionis, intra principium suum est, et in ipso manet : sic cogitatio remanet in mente à quâ producitur. Processio rursùs dividitur in *perfectam* et *imperfectam*. *Perfecta* est, si productus terminus eamdem habet numericè naturam cum suo principio; *imperfecta* autem, si diversam habet saltem numericè naturam.

Quòd prima Trinitatis persona ab aliâ non procedat, fide catholicâ est, et adeò clarum, ut nullum contradicentem experiatur. Nulla quippe est persona, à quâ Pater suam possit originem ducere. Hinc voces, *innascibilitas*, *improcessio*, excogitatæ à Theologis, ad significandum Patrem esse principium sine principio, nec suam ad alium referre originem. Hinc in Symbolo Athanasiano dicitur : *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.* Duplici ergo capite agendum, an et quomodò Filius et Spiritus Sanctus procedant.

CAPUT PRIMUM.

De Processione Filii.

Fide catholicâ certum est Filium ex Patre nasci per actionem quæ sit generatio omnis expers imperfectionis. Hoc præcipuum est et fundamentale in processione Filii, cui multas Theologi quæstiones interseruerunt difficiles, quas paucis expediemus.

Generatio est species quædam processionis, cujus vulgaris definitio sic se habet : *Origo viventis à principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ, ex vi processionis.*

Dicitur

Dicitur 1.° *origo*, id est, emanatio quâ productus accipit esse, non de nihilo per creationem, sed de alterius substantiâ. Dicitur 2.° *viventis à vivente*, quia generans et terminus generationis debet esse vivens; undè à verâ generationis ratione excluduntur quæcunque vitam non habent, ut metalla in visceribus terræ. Dicitur 3.° *principio conjuncto*, quo significatur substantiam generantis conjungi, id est, communicari illi qui generatur, et illius substantiam fieri. 4.° *Vi productionis*, ita ut in modo procedendi reperiatur ratio cur ille qui procedit sit naturâ similis principio suo, undè defectu illius conditionis, productio Evæ ex costâ Adami non fuit generatio, quia non vi productionis factum est ut Eva naturam similem Adamo haberet. Aliundè Adamus merè passivus fuit in productione Evæ.

Porrò generationis nomen ex usu communi et creatarum rerum similitudine ita in Deum transferri debet, ut illi omne quod inest crassum et cum materiæ fece concretum detrahatur, cùm ad divina transit. Itaque *non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda*, inquit S. Ambrosius, lib. 1 de Fide, cap. 10 aliàs 6, n. 67: *incomprehensibiliter enim generatur Filius, impassibiliter generat Pater, et tamen ex se*, id est, ex substantiâ suâ *generavit*, Deus verus, Deum verum. *Tuas* ergo *illas divisiones et sectiones priùs abjice*, inquiebat S. Gregorius Nazianz. Arianum confutans, Orat. 1 de Filio Dei, *ac de incorporeâ illâ naturâ Dei quasi de corporeâ disputare desine; atque ita fortassè dignum aliquid generatione divinâ concipere poteris.*

Circa æternam Verbi generationem erravit hisce temporibus Harduinus, vir singularitate

opinionum percelebris; docuit enim Verbum ratione suî non esse propriè filium, et consequenter ipsum ex Deo quidem ab æterno, sed non per veram generationem procedere. His addidit humanitatem Christi, ob suam cum divinâ Verbi personâ unionem hypostaticam, factum fuisse Dei verum naturalem et unigenitum Filium; ita ut actio transiens et libera per quam Deus sanctissimam Christi humanitatem primo suæ conceptionis instanti cum Verbo hypostaticè junxit, veri nominis sit generatio. In hoc posteriore erroris capite Harduinum secutus est Berruyerius, propter ea et alia damnatus.

PROPOSITIO.

Verbum procedit ex Deo per veram et perfectam generationem; ita ut principium Verbi verè sit pater, et Verbum verè sit filius.

Prob. 1.ª *pars*, quòd processio Verbi sit *vera generatio.* 1.° *Ex Script.* Psal. 109, ℣. 1, 3: *Dixit Dominus Domino meo...: Ex utero ante luciferum genui te.* Eccli. c. 24, ℣. 5, sic loquens inducitur Sapientia: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Joan. c. 1, ℣. 18: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ex quibus sic argumentor: Ille per veram generationem procedit, quem Dominus ex utero genuit, qui primogenitus, qui filius dicitur, et cujus principium pater nuncupatur: atqui ita se habet de Verbo Dei; ergo, etc.

2.° *Ex SS. PP.*, inter quos sufficiat S. Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis Episcopus, in Confessione fidei: *Unus Deus, pater Verbi viventis.., perfectus perfecti genitor, pater filii*

unigeniti. Unus Dominus..., Deus ex Deo, filius verus veri patris.

3.° *Ex Symbolo Nicæno : Credo in Deum Patrem,.... et in Jesum Christum Dominum, filium Dei unigenitum, natum ante omnia secula.* Et Symbolum Athanasianum : *Est ergo fides recta ut credamus quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus et homo est; Deus est ex substantiâ Patris ante secula genitus.*

4.° Nihil frequentiùs occurrit in Scriptoribus ecclesiasticis, quàm mentio duplicis in Christo generationis, temporalis et æternæ; ergo tanquam filius per veram generationem ex Deo Patre ab æterno procedit.

Prob. 2.a *pars*, quòd scilicet illa generatio *perfecta sit.* 1.° Quidem argumento generali ex naturâ genitoris et geniti desumpto. Etenim generatio perfecti ex perfecto, defectu omni vacat, et suis omnibus numeris absoluta est : atqui talis est generatio Verbi; Deus est enim ex Deo, perfectum ex perfecto, ut loquuntur Patres; ergo, etc.

2.° Expositione perfectionum et proprietatum quæ Verbi processionem comitantur. 1.° Quidem Verbi processio seu generatio est *immanens*, juxta istud Joan. c. 1, ℣. 1 : *Verbum erat apud Deum;* et ℣. 18 : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* et c. 10, ℣. 38 : *Pater in me est, et ego in Patre.*

2.° *Essentialis* est, non contingens : *Naturaliter Patri convenit ut sit Verbi sui genitor*, inquit S. Athan. Orat. 2. Et verò, juxta fidem catholicam, Filius Patre suo minor non est : atqui certè Patre inferior esset, si generatio ejus

foret contingens, tunc enim potuisset non esse. Deniquè, Verbum est terminus cognitionis Patris: atqui cognitio Patris non est contingens, sed essentialis; ergo talis quoque esse debet Verbi generatio.

3.° *Æterna* est : Sequitur ex dictis; quod enim essentiale est, æternum sit oportet : *Egressus ejus ab initio*, inquit Michæas loquens de Christo, *à diebus æternitatis.* Hinc S. Athan. Orat. 2 : *Hominum est proprium*, inquit, *in tempore, ob naturæ imperfectionem, generare : Dei verò soboles æterna est, quia natura semper est perfecta.*

4.° *Substantialis* est : Illa enim processio substantialis dicitur, cujus terminus non accidentale quid et adventitium est, sed persona verè subsistens : atqui generationis Verbi terminus verè est persona realiter subsistens, ut jam probatum est; ergo, etc.

5.° Processio Filii omnem in humanis generationibus solitam imperfectionem excludit, divisionem, mutabilitatem et dependentiam. 1. Divisionem excludit : *In hoc humanam*, inquit S. Cyrillus, Thesauri assertione 6, *Pater naturam excedit, sine partitione gignens.* Et verò, quænam divisio in simplicissimo ente Deo fieri potest? 2. Mutabilitatem; ab æterno enim, ut jam diximus, Verbum gignitur, et in æternum gigni non desinet : *Semper gignit Pater,* inquit S. Aug. Epist. 238 aliàs 174, n. 24, *et semper nascitur Filius.* 3. Dependentiam excludit, cùm Pater gignens Filium ipsi suam communicet naturam.

Obj. 1.° Deus est ens à se; ergo Verbum, quod est Deus, à Patre non procedit.

Resp. Nego consequent. Deus enim ens à se dicitur hoc sensu, quòd vi essentiæ suæ atque independenter à causâ extrinsecâ existat; Verbum autem procedere dicitur, quatenùs à Patre tanquam à principio intrinseco originem ducit: atqui ex hâc notione entis à se et procedentis ab alio, patet nullam inter utrumque dari veram incompatibilitatem; ergo quamvis Deus sit à se, minimè sequitur Verbum, quod est Deus, ab alio suam non ducere originem.

Obj. 2.° Si Verbum à Patre gigneretur, jam Pater Verbo prior esset: atqui Verbo, quod Deus est, nihil prius esse potest; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Si Verbum à Patre gigneretur, jam Pater Verbo prior esset prioritate originis, *conc.;* prioritate dignitatis vel temporis, *nego.* Itaque cùm Filius ex Patre sit, certè juxta originem posterior est illo; at ejusdem est cum Patre suo dignitatis et antiquitatis; ipsius enim naturæ communicat.

Obj. 3.° Esto, Verbum à Deo procedat, saltem processio illa veri nominis generatio non est; nam generatio imperfectionem sonat; ergo illam Verbo, quod perfectum est, tribuere non licet.

Resp. Dist. prob. ant. Imperfectionem sonat in creatis, *conc.;* in divinis, *nego.* Itaque generationis humanæ defectus in divinam transferri non debent, nec ex nominis identitate hinc et illinc perfecta conjicienda est similitudo. Certè multa in Deum alia conferuntur ex creaturarum similitudine, quæ diverso ab eis modo præstantissimæ illi naturæ conveniunt.

Inst. Loca Scripturæ quibus nituntur Theologi ad probandum processionem Verbi esse veram generationem, metaphoricè intelligi de-

bent, v. g., istud Psal. 109, ℣. 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.*

Resp. Dist. ant. Metaphoricè intelligi debent, id est, de generatione Spirituum propriâ, *conc.*; de figuratâ generatione, *nego. Ineffabilis illa generatio*, inquit Aug. lib. 1 contra Maximinum, cap. 7, *etiamsi ex utero Patris accipitur, hoc significatum est, quia de se ipso, hoc est, de substantiâ suâ, Deus Deum genuit.*

Obj. 4.° Quòd processio Verbi sit veri nominis generatio non probatur ex his Scripturæ locis quæ Christum ut filium Dei, unigenitum Patris, et filium Dei proprium exhibent; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Ista enim intelligi debent de Christo ut Deo : atqui Christus, ut Deus, vocari non potest filius Dei, quin ejus processio à Patre veri nominis sit generatio; divina enim filiatio divinam supponit generationem.

Inst. 1.° Loca Scripturæ in quibus Christus vocatur filius Dei, unigenitus Patris, et filius Dei proprius, intelligi possunt de Christo secundùm humanitatem, quatenùs scilicet ista, operante Spiritu Sancto, in utero beatæ Virginis formata est; ergo, etc.

Resp. Nego ant. 1.° Quia si ob causam in objectione datam, Christus esset filius Dei unigenitus et proprius, jam Spiritûs Sancti filius appellaretur, cùm formatio corporis ejus in utero Virginis Spiritui Sancto tribui soleat : atqui tamen nunquàm in Scriptura aut Traditione filius Spiritûs Sancti vocatur; ergo, etc. 2.° Hâc de causâ Christus non potest dici filius Dei, si actio divina corporis Christi productiva non sit vera generatio : atqui res ita est; nam

generatio definitur, *Origo viventis à principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ* : atqui evidens est istam generationis definitionem nullatenùs convenire actioni per quam corpus Christi à Spiritu Sancto in utero Virginis formatum est; ergo, etc.

Inst. 2.° Luc. c. 1, ℣. 35, sic legitur : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei* : atqui in hoc textu particula causalis, *ideò*, manifestè significat actionem Spiritùs Sancti productivam corporis Christi in utero Virginis, esse rationem ob quam Christus ibi vocatur filius Dei, et proindè actionem illam Spiritùs Sancti veri nominis esse generationem.

Resp. Nego min. Tota enim Patrum Traditio hunc textum S. Lucæ intellexit de æternâ Christi filiatione : porrò nefas est ab illis in expositione Scripturarum recedere; ergo, etc. Nec contrarium evincit particula causalis, *ideò;* ipsa enim non semper causam rei formalem, sed aliquandò meram eventuum consentionem denotat, ita ut textus S. Lucæ propositus sic reddi possit : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* : ex quo sequitur Sanctum in utero formandum tuo, fore Deum, Deique filium; congruum est enim ut si Deus nasci velit, ex virgine nascatur, et simul nonnisi Deus Deique filius ex Virgine nascatur. Non modò istud ex congruitate sequitur, sed etiam ex necessitate consequenti deducitur; cùm enim Isaias prædixisset, Emmanuelem, Deum scilicet, ex Virgine nasciturum, profectò necessum erat ut filius in virginali utero per Spiritum Sanctum

formandus, Filius Dei verusque Deus esset. *Huic textui complures ex antiquis*, inquit Petavius, lib. I. de Trinit. cap. 6, n. 4, *solutionem dant, juxta quam ista*, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, *de Verbo, seu filio Dei intelliguntur; ex Apostolo enim, Christus virtus Dei est, Virginem autem obumbrare, hìc dicitur, quatenùs in eam descendens, homo factus est.* Juxta interpretationem illam, sensus verborum Evangelii talis est : Spiritus Sanctus superveniet in te, ô Maria, et virtus, id est, filius Altissimi obumbrabit tibi, hoc est, descendet in te, humanitatem sibi hypostaticè juncturus, ideòque fructus ventris tui filius Dei erit ac vocabitur. Hæc interpretatio particulæ causali, *ideò*, eum quem ipsi tribuunt adversarii sensum conservat, et tamen difficultatem penitùs dissolvit.

Inst. 3.° Saltem dici potest cum Harduino et Berruyerio actionem Dei per quam hypostaticè junxit humanitatem Christi cum Verbo, esse veram generationem; et unionem illam, ex parte humanitatis Christi, veram esse filiationem : atqui juxta hanc doctrinam, omnia quæ in Scripturis dicuntur de filio Dei, de Patris unigenito, et filio Dei proprio, minimè probant processionem Verbi ex Deo veram esse generationem; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Nam vera et germana, inquit sacra Facultas Parisiensis, in suâ Berruyerii Censurâ, *generationis et filiationis ratio est, ut filius patri naturâ similis sit : hoc principium indubitatum est, nec ullam exceptionem patitur.* Hinc filius Dei naturalis, ut asserebant contra Arianos sancti Patres, debet esse Patri consubstantialis : atqui, juxta fidem,

sanctissima Christi humanitas, quantumlibet unione suâ cum Verbo perficiatur, non est tamen naturâ Deo similis; ergo, etc. Præterea, Parisienses Doctores, istam Berruyerii propositionem, *Secundùm veram et germanam generationis filiationisque rationem, sanctissima Christi humanitas completa Verbo in genere subsistendi, in recto dici potest et debet naturalis filius Dei*, damnârunt ut falsam, erroneam, temerariam, superstitiosam, scandalosam, Nestorianismi insimulandam, imò Nestorianismo pejorem, et Arianorum et Socinianorum impietati faventem.

Quæres cur Verbi processio dicatur generatio, potiùs quàm processio Spiritûs Sancti.

Resp. Etsi omninò constet processionem Filii veram esse generationem, Spiritûs verò processionem non ita se habere juxta istud Symboli Athanasiani : *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus; Spiritus Sanctus à Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens;* etsi, inquam, istud omninò constet, fatendum est rationem et modum hujus facti à nobis certò cognosci non posse. Hinc Maximino, discriminis hujus rationem petenti, respondebat olim S. Aug. lib. 2, cap. 14 contra ipsum : *Quid nasci inter et procedere intersit, de illâ excellentissimâ naturâ loquens, explicare quis potest?... distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Porrò ad quod non valebat S. Aug. pertinere, quis nostrûm scrutando assequi poterit? Nec solus ita loquitur S. Aug.; cæteri enim Patres consentiunt, suam de modo generationis Verbi non solùm confitentes igno-

rantiam, sed etiam curiosè inquirentium temeritatem damnantes: *Dei generatio,* inquit S. Greg. Nazianz. Orat. 1 de Filio, *honoretur silentio. Abundè tibi magnum est scire eum genitum; quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedùm tibi intelligere concesserim. Vis declarem quomodò? ut scit Pater qui genuit, et Filius qui genitus est: quod supra hoc est, nube tegitur, et tuam hebetudinem effugit.* Hæc igitur nostra sit responsio, cur processio Filii generatio sit: Non dicam, quia nescio; non expendam, quia et hæc scire non possum.

CAPUT II.

De Processione Spiritûs Sancti.

QUÆRITUR 1.° utrùm Spiritus Sanctus ex Patre simul et Filio tanquam ex unico principio procedat; 2.° utrùm particula, *Filioque,* Symbolo meritò fuerit addita.

ARTICULUS PRIMUS.

De Processione Spiritûs Sancti ex Patre et Filio.

Quòd Spiritus Sanctus à Patre procedat, negârunt Eunomiani, ex S. Basilio, lib. 2 adversùs Eunomium; sed error ille adeò claris Scripturæ textibus refellitur, ut altas radices agere non poterit. Non ita est de altero errore, juxta quem dicitur Spiritum Sanctum ex Patre, et non ex Filio suam originem ducere; jamdudùm enim

in Oriente natus, hodiedùm apud Græcos perseverat, ipsosque ab Ecclesiâ Catholico-Romanâ disjungit.

Photius, pseudo-patriarcha Constantinopolitanus, IX Ecclesiæ seculo, in odium Ecclesiæ Romanæ, à quâ justè fuerat depositus, dogma processionis Spiritûs Sancti ex Patre simul et Filio impugnavit, et Latinos assertores hujus velut hæreticos traduxit. Exindè, et hâc plurimùm de causâ, graves et variæ Græcos inter et Latinos exortæ sunt contentiones, pace non semel initâ, sed ferè statim à Græcis ruptâ. XI Ecclesiæ seculo, instaurata est inter utramque Latinam et Græcam Ecclesiam pugna, et consummatum schisma, promovente Michaele Cærulario, Patriarchâ Constant. Quamobrem varia subindè Concilia ad pacem ineundam habita sunt, præsertim Lateranense IV, sub Innoc. III Pontifice, anno 1215, et Lugdunense II anno 1274, sub Greg. X Papâ; et Florentinum, anno 1439, sub Eugenio IV Summo Pontifice. In his omnibus Concilis verè œcumenicis pax inter utramque Ecclesiam sancita, et dogma processionis Spiritûs Sancti à Patre et Filio stabilitum est. At pro innatâ Græcis inconstantiâ ad errorem reversi sunt; contra quos sit

PROPOSITIO.

Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tanquam ex unico principio verè procedit.

Prob. 1.ª *pars*, quòd scilicet Spiritus Sanctus *à Patre verè procedat.* 1.° *Ex Script.* Joan. c. 15, ℣. 26 : *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

2.° *Ex SS. PP.* quorum testimonia in probatione secundæ partis exscribentur.

3.° *Ex Synodo Constantinopolitanâ*, generali II, quæ processionem Spiritûs Sancti ex Patre solemniter definivit, et Symbolo Nicæno addi voluit contra Eunomianos.

Prob. 2.ª *pars*, nempè, quòd Spiritus Sanctus *procedat ex Filio.* 1.° *Ex Script.* Joan. c. 15, ℣. 26 : *Cùm venerit Paracletus quem ego,* inquit Christus, *mittam vobis à Patre ;* c. 16, ℣. 7 : *Si abiero, mittam eum* (Paraclètum) *ad vos.* Undè sic argumentor : In divinis, persona quæ mittitur, à personâ mittente procedit : atqui ex mox allatis Scripturæ textibus, Spiritus Sanctus mittitur à Filio ; ergo, etc.

Et verò, missio non aliter fieri concipitur, quàm per imperium, aut consilium, vel per emanationem seu processionem : atqui Spiritus Sanctus, ut potè Deus, à Filio mitti non potest primo et secundo sensu ; igitur postremo sensu mittatur necesse est. Deniquè, Spiritus à Filio dicitur missus, sicut et ipse à Patre suo missus est, Joan. c. 16 : atqui Filius à Patre non missus est, nisi quia suam à Patre ducit originem : ergo Spiritus, ut potè missus à Filio, suam quoque ab illo ducit originem. Quòd missio personæ divinæ, ab aliâ processionem importet, declarant Patres, inter quos Augustinus, lib. 4 de Trinit. cap. 20 : *Pater...*, inquit, *non dicitur missus, non enim habet de quo sit aut ex quo procedat ;* ergo quia missus est à Filio Spiritus, ab eo quoque suam ducere originem censendus est.

Act. c. 16, ℣. 6 et 7 : Paulus et Silas *vetati sunt à Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asiâ. Cùm venissent autem in Mysiam, ten-*

tabant ire in Bithyniam; et non permisit eos Spiritus Jesu. Gal. c. 4, ℣. 6: *Misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater.* Undè sic argumentor: In divinis, persona alterius personæ dici non potest, nisi ab eâ procedat: atqui in Scripturâ Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii; ergo Spiritus Sanctus à Filio procedit. Et verò, quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris, indè colligitur ipsum à Patre procedere; ergo à pari, etc.

Joan. c. 16, ℣. 15: *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt,* inquit Filius. *Propterea dixi: Quia* (Spiritus veritatis) *de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Undè sic argumentantur plures: In divinis, persona non aliter ab aliâ recipit quàm viâ processionis: atqui ex mox prolato textu, Spiritus veritatis à Filio ut veritatem doceret accepit; ergo, etc. Præterea, Christus ibi probat Spiritum veritatis de suo accepturum esse, quia quæcumque habet Pater sua sunt: atqui Pater est principium Spiritûs Sancti; ergo similiter Filius.

2.° *Ex SS. PP.* S. Athan., lib. de humanâ naturâ susceptâ, dixit *Filium esse fontem,* id est, principium *Spiritûs Sancti;* et Oratione 4 contra Arianos: *Quæcunque habet Spiritus, hæc habet à Verbo.* Sed, ut jam diximus, in divinis, persona non aliter accipit ab aliâ quàm viâ processionis. Et Epist. 9 ad Serapionem: *Ex Verbo, Spiritus Sanctus effulget, et ab eodem mittitur et datur.*

S. Gregor. Nyssenus, lib. 1 contra Eunomium, in fine: *Nam ut Patri conjunctus est Filius, et cùm ex illo esse habeat, non tamen posteriùs existit, sic etiam Spiritus Sanctus proximè*

hæret Filio, qui solâ cogitatione secundùm rationem principii priùs consideratur. Ergo Filius Spiritûs Sancti principium est.

S. Basilius contra Eunomium lib. 2, n. 34: *Non est aliquid in rebus quod Filio insit, et à Patre alienum sit; omnia enim*, inquit, *mea, tua sunt, et tua, mea. Quomodò igitur* Eunomius *Spiritûs causam* Unigenito *soli attribuit?*

S. Cyrillus Alexand. Epist. ad Nestorium de Excommunicatione, n. 10: *Spiritus Sanctus profunditur à Filio non minùs quàm ex Deo Patre*. Et ista Patrum Græcorum sufficiunt testimonia, quæ cùm à popularibus sint, adversarios, Græcos scilicet, magìs premunt; ex Latinis verò inter alios citari solent.

Tertullianus, lib. contra Praxeam, cap. 4: *Spiritum non aliundè puto, quàm à Patre per Filium.*

S. Hilarius, lib. 2 de Trinitate, cap. 29: *Spiritus Sanctus Patre et Filio auctoribus confitendus est.*

S. Ambrosius, de Symb. cap. 3: *Spiritus Sanctus*, inquit, *verè Spiritus est procedens à Patre et Filio.*

S. Aug. lib. 4 de Trin. cap. 20: *Nec possumus dicere quòd Spiritus Sanctus à Patre et à Filio non procedat; neque enim frustrà et Patris et Filii Spiritus dicitur*. Quæ verba S. Doctoris non modò thesim nostram, sed etiam probationem ejus continent.

S. Fulg. lib. de Fide, ad Petrum, cap. 11: *Firmissimè tene et nullatenùs dubites Spiritum Sanctum... de Patre et Filio procedere.*

Has omnes contra Græcos auctoritates adduci oportuit, ut pateat quantæ temeritatis et injus-

titiæ rei sint, cùm Latinos novitatis et erroris incusant.

3.° *Ex Conciliis.* Conc. Lateran. IV, generale XII, cap. 1, sic pronuntiavit: *Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter.*

Lugdunense II, generale XIV, ex Græcorum consensu sic definivit fidei professionem: *Fatemur quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit.*

Florentinum, etiam generale, cui plures tam Græci quàm Latini adfuerunt Episcopi; quorum vota sic expressit Eugenius IV Papa: *Sacro universali approbante Florentino Concilio, definimus ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, quòd Spiritus Sanctus ex Patre et Filio... æternaliter tanquam ab uno principio et unicâ spiratione procedit.*

Etiam antiquiora totius Ecclesiæ Concilia hanc nostram de processione Spiritûs ex Filio doctrinam suâ velut auctoritate munierunt, approbando scilicet Epistolam S. Cyrilli ad Nestorium, in quâ continetur his verbis: *Spiritus appellatus est Spiritus veritatis; et Christus veritas est: undè ab isto similiter, sicut ex Patre, procedit;* quæ verò prædictam S. Cyrilli epistolam approbârunt Concilia, sunt Ephesinum, Chalcedonense, et Constantinopolitanum II et III.

4.° *Ratione theologicâ.* Ex axiomate, *In divinis, omnia communia sunt, ubi non obviat relationis oppositio,* id est, quæ conveniunt uni personæ, conveniunt alteri, demptâ tantùm relatione originis, juxta quam Pater non est Filius,

et Spirans non est Spiritus Sanctus : atqui inter filiationem et spirationem activam seu actionem quæ est productiva Spiritûs Sancti, nulla est relationis oppositio in origine fundata, ut patet; ergo, etc.

Prob. 3.ª *pars propositionis*, quòd scilicet Spiritus Sanctus procedat ex Patre et Filio *tanquam ex unico principio ;* ante cujus probationem, observandum est duplex esse principium *quod* Spiritûs Sancti, Patrem scilicet et Filium; et hoc sensu quidam Theologi dixerunt duo esse Spiritûs Sancti principia; ita Robertus Pullus, Sententiarum parte 1.ª cap. 61; Durandus, Gregorius Ariminensis. Verùm agitur de principio *quo* Spiritûs Sancti, an scilicet duplex sit, vel unicum, id est, quæritur an spiratio activa seu actio per quam Spiritus Sanctus producitur, una eademque sit in Patre et Filio. Pars affirmans, ut potè definita, non potest non defendi; itaque

Prob. 1.° *ex SS. PP.* inter quos unus sufficiat Aug. lib. 5 de Trinit. cap. 14 : *Fatendum est*, inquit, *Patrem et Filium principium esse Spiritûs Sancti, non duo principia; sed sicut Pater et Filius... ad creaturam relativè unus creator et unus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum, unum principium.*

2.° *Ex Conc.* quorum decreta mox protulimus.

3.° *Ratione theologicâ.* Certè Pater et Filius sunt unicum Spiritûs Sancti principium, modò virtus productiva Spiritûs Sancti, quæ spiratio activa dicitur, una eademque numero sit in Patre et Filio : atqui res ita se habet; namque inter Patrem et Filium omnia sunt communia, eis tantùm demptis per quæ relationem originis ad se invicem dicunt, hoc est, paternitate et filiatione.

Obj. 1.° contra 2.am partem propositionis, quòd, scilicet, *Spiritus ex Filio procedat.* In Scripturâ expressè dicitur Spiritum ex Patre Deo procedere, nec additur ex Filio; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. 1.° Quia præter Scripturam, Traditio est altera fidei nostræ regula. 2.° Quia processio Spiritûs Sancti ex Filio, verbis æquivalentibus legitur in Scripturâ, ut evincunt probationes nostræ.

Obj. 2.° Synodus Constantinop., generalis II, loquens de processione Spiritûs Sancti, dixit ipsum procedere ex Patre, nullâ Filii mentione factâ; ergo censuit Spiritum non procedere ex Filio.

Resp. Nego consequent. Si enim Patres asserere voluissent Spiritum ex Filio non procedere, tunc in suâ definitione posuissent, Credo in Spiritum Sanctum qui ex *solo* Patre procedit. Itaque ratio propter quam agentes de processione Spiritûs Sancti nullam Filii mentionem fecêre, ista est, quòd nulla quæstio vel dubium tunc temporis moveretur de processione Spiritûs Sancti ex Filio, sed tantùm ex Patre, contra Eunomianos. Hæc est enim Conciliorum praxis, ut nihil definiant ac multò magis ut in Symbolum nihil inferant, nisi hæresis alicujus confutandæ necessitas postulet.

Obj. 3.° Theodoretus in confutatione anathematismi IX contra Nestorium editi, sic loquitur: *Quòd autem Cyrillus Spiritum Sanctum Filii proprium esse dixit: si ut ejusdem cum Filio naturæ et ex Patre procedentem Spiritum significaret, ita locutus est, simul confitebimur... Si verò tanquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat, hoc ut impium et blasphemum rejiciemus;* ergo, etc.

Resp. non unam esse Theologorum huic objectioni responsionem. Alii, et quidem doctissimi, inter quos Petavius, de Trinitate lib. 7, cap. 16 et 17, Theodoretum ut malè sentientem de processione Spiritûs Sancti ex Filio derelinquunt. Cùm autem premuntur auctoritate Synodi Ephesinæ, quasi silentio suo istam Theodoreti probaverit doctrinam; coram ipsâ enim lectæ sunt confutationes anathematismorum, ex quibus tesmonium in objectione contentum desumptum est; lectæ sunt, inquam, nec tamen error iste ab eâ notatus fuit, respondent 1.° quòd articulus de processione Spiritûs Sancti ex Filio, fuerit quæstio incidens, cujus solvendæ causâ PP. Ephesini congregati non fuerant. 2.° Hanc perversam Theodoreti doctrinam implicitè damnatam fuisse à Patribus Ephesinis, in quantùm probârunt epistolam S. Cyrilli ad Nestorium, in quâ dogma processionis Spiritûs Sancti ex Patre et Filio expressè traditur.

Alii verò Theodoretum defendunt, benigniori et catholico sensu textum propositum accipientes, ita ut, juxta ipsos, Theodoretus asserendo impium et blasphemum esse tueri Spiritum Sanctum ex Filio vel per Filium suam habere existentiam, non Spiritûs ex Filio processionem negaverit, sed tantùm ejus per Filium creationem : hunc enim errorem Eunomii et Macedonii proprium S. Cyrillo errore facti imputabat Theodoretus; talem verò ipsius esse sensum constat, 1.° ex probatione quam immediatè subjicit, Credimus enim Domino dicenti : *Spiritus qui ex Patre procedit :* atqui textus ille probat quidem Spiritum Sanctum à Filio creatum non fuisse, nullatenùs verò ipsum à Filio non procedere.

2.° Ex notâ quam inurit; impium est, inquit, et blasphemum tueri Spiritum à Filio vel per Filium suam habere existentiam : atqui talis nota convenit quidem huic propositioni intellectæ ad sensum creationis, minùs verò si de processione ex Filio intelligatur. 3.° Quia Theodoretus à nullo ex veteribus accusatus est erroris.

Obj. 4.° S. Joannes Damascenus, lib. de Fide orthodoxâ, cap. 8 : *Spiritum Sanctum*, inquit, *et ex Patre esse profitemur, et Patris Spiritum appellamus : ex Filio autem non dicimus Spiritum, sed eum Filii Spiritum nominamus;* et cap. 12 : Spiritus Sanctus *Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quòd per ipsum ex Patre procedat; solus enim Pater principium est.* Undè sic : Qui Spiritum ex Filio, et Filium Spiritûs principium esse negat, ille procul dubio negat processionem Spiritûs ex Filio : atqui Joannes Damascenus, etc.; ergo, etc.

Resp. 1.° Sunt qui concedunt Joannem Damascenum negasse processionem Spiritûs Sancti ex Filio, ita tamen ut hæreseos notam ac crimen prorsùs effugiat, quia tunc temporis, VIII scilicet Ecclesiæ seculo, res nondùm eliquata et ab Ecclesiâ expressè determinata fuerat.

Resp. 2.° *Dist. min.* S. Joannes Damascenus negat Spiritum ex Filio esse tanquam ex primo fonte; item, negat Filium esse principium Spiritûs Sancti, principium, inquam, sine principio, *conc.;* negat eo sensu quòd Spiritus non procedat à Filio tanquam ex secundario fonte, *nego.* Itaque cùm particula, *ex*, præcipuè denotet primum ac principale principium, illud scilicet quod vim ab alio non accepit; item, quia principii nomen simpliciter et sine addito primario

maximè convenit; hinc factum est ut S. Joan. Damascenus negaverit Spiritum ex Filio, et Filium Spiritûs principium esse, non enim à seipso, sed à Patre, à quo cuncta quæ habet accepit, spirationem activam seu vim Spiritûs Sancti productivam habet. Sed propterea negasse censendus non est processionem Spiritûs à Filio; siquidem in proposito textu expressè asserit Spiritum Sanctum Filii Spiritum esse, necnon à Patre per Filium procedere; quæ duo processionem Spiritûs à Filio æquivalenter continent.

Obj. 5.° Pater est principium sufficiens Spiritûs Sancti, alioquin vis spirandi in ipso finita esset, quod nimis absurdum; ergo in vanum admittitur Filium esse principium Spiritûs Sancti.

Resp. 1.° *Retorqueo argument.* Pater est principium sufficiens universitatis hujus; ergo solus Pater est creator.

Resp. 2.° *Nego cons.* Non enim dicimus Filium esse principium Spiritûs Sancti ut compleat spirationem activam Patris, cùm de fide sit ipsam sicuti naturam in Patre et Filio unam et eamdem numero esse; sed quia in divinis omnia inter personas communia sunt, ubi non obviat oppositio relationis in origine fundata.

Obj. 6.° Vel spiratio activa est perfectio essentialis, vel personalis : si primum, jam tribus personis et ipsi Spiritui Sancto convenit, quod nimis absurdum est; si secundum, jam uni personæ tantùm convenire potest.

Resp. dari medium inter hæc duo : nimirùm, spiratio activa non potest numerari inter proprietates Dei essentialiter sumptas, ut potè quæ sint tribus personis communes; nec etiam præcisè inter personales, quia nec Patrem nec Filium

personas constituit, sed jam constitutas supponit; ergo notionalis dicenda est, character scilicet ac nota discernens Patrem et Filium à Spiritu Sancto.

ARTICULUS II.

De particulâ, Filioque, *Symbolo postmodùm insertâ.*

Quia Symbolum est publica et solemnis fidei tessera, hinc necessum est ad demonstrandam unius fidei perpetuitatem, ut semper idem, quantùm fieri potest, perseveret, ita ut si necessitas additionem per modum expositionis exigat, ipsa non privatâ sed publicâ auctoritate fiat. Hinc Græcorum adversùs Latinos querelæ: contendunt enim, tametsi Spiritus Sanctus procederet ex Filio, licitum tamen non fuisse Latinis hunc articulum Symbolo adjicere.

PROPOSITIO.

Particula, Filioque, *meritò addita est Symbolo.*

Prob. 1.° *ex Florent. Synodo,* quæ consentientibus Græcis et Latinis, ita pronuntiavit: *Definimus explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ et imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

2.° Hæc additio legitima est, quæ gravi de causâ per idoneam auctoritatem facta est: atqui particula, *Filioque,* Symbolo addita fuit, 1. gravi de causâ, scilicet ob exortam de processione Spiritûs Sancti hæresim, ne tunc temporis imperiti legentes in Symbolo Spiritum ex Patre procedere, nullâ Filii mentione factâ, errandi

occasionem sumerent. 2. Per idoneam auctoritatem, Ecclesiæ scilicet; quamvis enim additio præfata nonnisi à particularibus Ecclesiis, Hispanâ nimirùm et Gallicâ primùm invecta fuerit; brevi tamen in Romanâ, imò totâ passim obtinuit Ecclesiâ.

3.° Si licuit Ecclesiæ in Concilio Nicæno congregatæ, vocem *Consubstantialis*, addere Symbolo Apostolorum; si eidem in Concilio Constantin., generali II, Symbolo Nicæno quædam, putà Spiritûs Sancti ex Patre processionem adjicere licitum fuit: nonne manifestum est Ecclesiam pari jure ob novam de processione Spiritûs Sancti exortam hæresim, particulam, *Filioque*, Symbolo Constantinopolitano adjicere potuisse? Et certè, minor non est Ecclesiæ noni vel decimi, quàm Ecclesiæ quarti vel quinti seculi auctoritas.

Obj. 1.° Conc. generale Ephesinum prohibuit sub pœnâ depositionis et anathematis prolationem, scripturam vel compositionem alterius à Nicænâ fidei: atqui particula, *Filioque*, Symbolo addita, est prolatio alterius à Nicænâ fidei; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Prohibuit alteram à Nicænâ, id est, contrariam Nicænæ proferri vel scribi fidem, *conc.;* alteram fidei Nicænæ non contrariam, ejusque tantùm explicationem, *subdist.* Prohibuit istud à privatis fieri, *conc.;* ab Ecclesiâ, *nego.* In hâc igitur Concilii Ephesini prohibitione, mens ejus ac intentio fuit, ut nihil fidei Nicænæ contrarium induceretur; non autem ut nihil ipsi, etiam ab Ecclesiâ per modum expositionis, adjiceretur; et constat 1.° ex occasione hujus prohibitionis; facta est enim occasione Symboli Nestoriani, cujus subscriptionem exigebat Nestorius ab iis qui Ecclesiæ Catholicæ nomen dare

vellent: porrò istud Symbolum Nicænæ fidei contrarium erat. 2.° Ex ipsâ Patrum Ephesinorum agendi ratione; definierunt enim beatam Mariam Virginem esse Deiparam, quem titulum Nicæni Patres Mariæ non tribuerant. 3.° Ex praxi Conciliorum generalium, quæ Synodum Ephesinam præcessère ac subsecuta sunt; nempè Concilium generale Constantin. I Symbolo Nicæno adjecit processionem Spiritûs Sancti ex Patre. Quæ verò subsecuta sunt Ephesinum Concilia, pro datâ occasione, contra novas hæreses novas edidère professiones. 4.° Ex ipsâ rei naturâ et conditione; cùm enim Ecclesia eadem semper sit, parique semper auctoritate polleat, si aliquo tempore Symbolo jam facto quædam addere potuit, subindè alia adjicere potuit : atqui reverà Patres Nicæni Symbolo Apostolorum, *Consubstantialis* nomen adjecerunt; ergo qui post ipsos veram rexerunt Ecclesiam, ab aliquâ additione Symbolo Nicæno faciendâ prohiberi non potuerunt.

Si quis autem pertinaciter contendat prohibitionem Ephesinæ Synodi non solùm de contrariâ formulâ fidei Nicænæ intelligendam esse, sed etiam de quâvis alterâ ipsi etiam consentaneâ, tunc dicendum est prohibitionem illam ad privatos spectare, non ad Ecclesiam, cujus auctoritas in hàc parte ligari non potest, ut modò dicebamus.

Obj. 2.° Hæc additio facta est Symbolo ab Ecclesiâ Latinâ, inconsultis Græcis; ergo legitima non est.

Resp. Nego consequens. Profectò satis in Ecclesiâ Latinâ auctoritatis fuit, ut particulam, *Filioque*, occasione datâ et urgente necessitate, Symbolo adderet; cæterùm, hæc additio, si non

expressè, saltem tacitè consentientibus Græcis facta est à Latinis; cùm enim nono Ecclesiæ seculo, Photius Patriarcha Constantinopolitanus hâc de re graves adversùs Latinos querelas instituisset, paulò post ex utrâque gente habitum est Concilium generale VIII, ubi res tantâ utrinquè concordiâ gestæ sunt, ut ne leve quidem exspostulationis vestigium appareat. Deniquè, Græci præfatam additionem cum Latinis approbârunt in Concilio generali Florentino.

Obj. 3.° Leo III Papa, consultus à Carolo Magno de additione, *Filioque,* Symbolo factâ et in Galliis jam decantari solitâ, illam improbavit, et ut ampliùs non decantaretur auctor fuit; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Leo III enim hanc additionem improbavit, non definiendo sed disputando, non quasi existimaret eam nec ab Ecclesiâ fieri posse, sed quòd ipsi videretur hujus additionis faciendæ nondùm sat gravis necessitas, aut ad eam minorem adhuc accessisse auctoritatem. Nunc autem, quia, urgente magis necessitate, omnis Ecclesia in hanc additionem conspiravit, manifestè liquet rationes quibus olim ad dissentiendum movebatur Leo III, nullius jam esse ponderis.

De tempore quo particula, *Filioque*, Symbolo addita fuit, necnon de primo auctore ipsius, apud eruditos non constat : hæc dixisse sufficiat.

1.° Constat particulam istam in Symbolo Ecclesiæ Hispanæ contineri, sexto labente seculo : hanc enim legere est in Concilio Toletano III, anno 589, in quo Rex Recaredus hanc formulam fidei recitavit : *Credimus et in Spiritum Sanctum..... ex Patre Filioque procedentem.*

2.°

2.° Apud Gallos et Germanos saltem octavo seculo recepta est, ut patet ex actis Concilii Francofordiensis et Forojuliensis, ubi declarant Patres *propter Hæreticos qui susurrant Spiritum Sanctum solius esse Patris, et à solo Patre procedere, additum* esse Symbolo Nicæno, *Qui ex Patre Filioque procedit.*

3.° In Ecclesiâ Romanâ additio probabatur seculo nono, quippe Photius, circa annum 858, Latinis exprobrabat quòd *Symbolum falsare aggressi essent.* Quam criminationem Ratramnus, Corbeiensis Monachus, diluere suscipiens, factum non negat, sed solummodò defendit.

SCHOLIUM.

Sic paucis resumo totam de divinis originibus seu processionibus dissertationem: Pater innascibilis est, seu suam à nullo ducit originem; Filius à Patre verè et propriè generatur; Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tanquam ex unico principio procedit. Ex quibus sequentia deducere licet:

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo duæ sunt in Deo Processiones.

Prob. Tot sunt in Deo processiones, quot dantur personæ procedentes: atqui duæ sunt personæ procedentes, nempè Filius qui ex Patre Deo procedit viâ generationis, ut probatum est; et Spiritus Sanctus, qui, ex dictis, quoque procedit ex Patre et Filio tanquam ex unico principio; ergo, etc.

COROLLARIUM II.

Ergo nonnisi duæ sunt in Deo Processiones.

Prob. Certè non plures in Deo sunt processiones, quàm personæ procedentes : atqui duæ tantùm sunt personæ procedentes, Filius nimirùm et Spiritus Sanctus ; Pater enim principium est sine principio. Et verò, inquiunt Theologi, duæ tantùm sunt in Deo facultates immanentes seu ad intrà operantes, intellectus et voluntas, quæ quidem, ut potè essentialiter, ideò vim omnem exerunt suam ; ergo duæ tantùm dantur personæ procedentes, nimirùm Filius qui per intellectum, et Spiritus qui per voluntatem procedit ; ergo duæ tantùm processiones.

Nec ideò credas Patrem esse Filio perfectiorem ; tam enim bonum est Filio ut gignatur à Patre, quàm Patri ut gignat Filium. Similiter dicendum est de Spiritu Sancto; non enim ex defectu seu impotentià Filius aliud Verbum, et Spiritus alterum non producit Spiritum, sed potiùs illa in utroque sterilitas, si ita loqui fas est, ex infinità eorum perfectione dimanat; ideò enim Filius alium non gignit, quia ipse est infinitus, totam intellectùs divini exhauriens seu adæquans fecunditatem. Similiter ratiocinandum est de Spiritu Sancto. Deindè perfectionem quam unaquæque persona non habet formaliter, eam identicè seu virtualiter possidet, ob ejusdem numericæ naturæ communionem. Deniquè, processiones divinæ nedùm imperfectionem importent, sunt ipsæmet perfectiones, ut jam diximus ubi de Generatione Filii, quippe quæ sint 1.° immanentes, 2.° æternæ; 3.° substantiales, id est, ter-

minos habeant subsistentes et personales, non verò accidentales; 4.° necessariæ, à quibus divina essentia temperare non potuerit; 5.° tandem metaphysicæ, quia sunt puræ emanationes, absque ullà mutatione ex parte subjecti et ex parte termini, absque ullà prioritate temporis aut naturæ in unà personà, absque ullà dependentià, divisione, partione, aut separatione substantiæ, uno verbo, absque ullà imperfectionis umbrâ.

COROLLARIUM III.

Ergo duæ sunt in Deo Missiones.

Prob. In divinis, missio est productio unius personæ ab aliâ; sic arbor suos mittere ramos dicitur, in quantùm producit eos : atqui, ex probatis, duplex in Deo persona producitur, Filius nempè ac Spiritus ; ergo, etc.

Confirmatur ex Script. Gal. c. 4, ℣. 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et Joan. c. 15, ℣. 26 : Paracletum *mittam vobis à Patre*, inquit Christus.

In divinis, missio, præter originem unius ab aliâ, includit etiam quemdam effectum à personâ missâ provenientem. Hinc missio adæquatè sumpta definiri potest, *Æterna productio divinæ personæ aliquid ad extrà de novo agentis.* Sic Pater mittit Filium, quia ab æterno gignit eum, naturam humanam in tempore sibi assumentem. Pater verò et Filius Spiritum Sanctum mittunt, in quantùm ex utroque procedit auctor alicujus operis ad extrà. Hinc sequitur Patrem à nemine mitti, cùm à nullo procedat.

Missio duplex, *visibilis*, cùm persona quæ missa dicitur, opere externo apparet, qualis est

missio Verbi in incarnatione; et *invisibilis*, quandò persona missa modo insensibili ad extrà operatur; talis est missio Spiritûs Sancti in collatione gratiæ sanctificantis.

DISSERTATIO QUARTA.

DE RELATIONIBUS, SUBSISTENTIIS ET NOTIONIBUS DIVINIS, NECNON DE NOMINIBUS CUIQUE PERSONAE PROPRIIS.

Hæc omnia ob affinitatem eorum jungimus, de singulis breviter in quatuor capitibus acturi.

CAPUT PRIMUM.

De Relationibus Divinis.

Relatio in genere definitur, *Habitudo seu respectus unius rei ad alteram.* Sic in hominibus, inter patrem et filium suum existit relatio originis. Plures sunt in Deo relationes, nimirùm relatio identitatis, æqualitatis, etc., de his quæstio non instituitur: agitur solummodò de relationibus originis, et quæritur an sint in Deo hujusmodi relationes, quot sint, an reales perfectiones, quomodò à se invicem et ab essentiâ divinâ distinguantur.

Constat 1.° *esse in Deo relationes.* Etenim sunt in Deo processiones unius personæ ab alterâ: sed istæ concipi non possunt sine relationibus originis, per quas persona producta ad producentem referatur; ergo, etc. Et verò, nomina quibus personæ divinæ designari solent, scilicet nomina Patris, Filii et Spiritûs Sancti, relatio-

nem secum important; non enim concipitur pater sine relatione ad filium suum, et vicissim; similiter spiritus ordinem dicit ad principium à quo spiratur seu producitur; ergo, etc.

Constat 2.° *quatuor admittendas esse in Deo relationes.* Etenim fides docet duas esse in Deo processiones : atqui ex duabus in Deo processionibus manifestè quatuor dimanant relationes, nimirùm ex primâ processione exsurgit relatio duplex, Patris ad Filium, et Filii ad Patrem, quæ congruenter nominibus *Paternitatis* et *Filiationis* designantur; item ex secundâ processione duplex adhuc exsurgit relatio, Patris nempè ac Filii tanquam unici principii ad Spiritum Sanctum, hæc *Spiratio activa* dicitur; et relatio Spiritùs Sancti ad Patrem et Filium tanquam ad unum et idem principium, et ista *Spirationis passivæ* nomen obtinet; ergo, etc.

Si quis autem duas tantùm in Deo relationes admittere velit, contendens, v. g., ordinem Patris ad Filium et Filii ad Patrem unam et eamdem numero relationem esse, quia relationes non augentur ut termini, sed potiùs ut ordo et habitudo inter illos; si quis, inquam, ita contendat, in eo refellendo tempus non insumemus, quia de re consentiens, litem de vocabulo unicè movet. Culpandus tamen in hâc parte foret, ob suam à vulgari Theologorum loquendi modo discessionem.

Constat 3.° *relationes illas esse reales perfectiones*, hoc sensu quòd paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva, non sunt meræ mentis nostræ abstractiones, sed fundamentum reale habent in origine reali quam una persona ab aliâ verè ducit : undè tam realis est, v. g.,

relatio Patris ad Filium, quàm relatio hominis cujusdam ad filium suum naturalem.

Et verò, illud realiter existit, per quod divinæ personæ à se invicem distinguuntur : atqui reverà divinæ personæ per relationes distinguuntur à se invicem : quid enim Patrem, v. g., ab aliis distinguit, nonne paternitas? et sic de cæteris; ergo, etc.

Observandum tamen relationes non esse perfectiones *simpliciter simplices*, ut aiunt, quas scilicet melius est habere quàm oppositas; sed perfectiones *simplices*, quæ oppositis meliores non sunt. Res utcunquè illustrari potest exemplo ex rebus physicis : in triangulo, v. g., tres sunt anguli qui relationem positionis ad se invicem habent : sed non melius est uni talem habere relationem quàm alteram, et reciprocè; quælibet enim positio respectu ipsorum nec melior nec deterior est alterâ.

Constat 4.° *aliquam inter relationes divinas admittendam esse distinctionem :* quod ut clarum fiat, observandum est quatuor relationes mox expositas conferri posse vel secum invicem, vel cum essentiâ divinâ; si prius, vel comparantur cum relationibus sibi oppositis, v. g., paternitas cum filiatione; vel cum relationibus non oppositis, sed, ut loquuntur Theologi, disparatis, v. g., paternitas et filiatio cum spiratione activâ. Hâc semel factâ distinctione,

1.° Relationes divinæ, paternitas scilicet et filiatio, etc., ab essentiâ divinâ realiter non distinguuntur; nam ex axiomate, *In divinis, omnia sunt unum, ubi non obviat oppositio relationis in origine fundata :* atqui nulla est oppositio inter essentiam divinam, etc.; ergo, etc.

2.° Relationes disparatæ à se invicem realiter non distinguuntur, nimirùm paternitas et filiatio realiter non distinguuntur à spiratione activâ; quod probatur tum ex mox prolato axiomate, tum ex Concilio Lateranensi IV, juxta quod in Deo non quaternitas sed trinitas tantùm admitti debet: atqui tamen si paternitas et filiatio realiter distinguerentur à spiratione activâ, tunc in Deo foret rerum distinctarum quaternitas, nempè paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva.

3.° Relationes divinæ ab oppositis relationibus, hoc est, paternitas à filiatione, et activa spiratio à passivâ, realiter distinguuntur: ea enim distinguuntur realiter, quorum unum est principium alterius: âtqui ex relationibus oppositis una est principium alterius, v. g., paternitas principium est filiationis; ergo, etc.

Quæ ulteriores de relationibus nonnunquàm in scholis agitantur quæstiones, otiosæ ac inutiles nobis videntur.

CAPUT II.

De divinis Subsistentiis.

Persona in genere definitur, *Substantia singularis, rationalis, alteri substantiæ non conjuncta à quâ perficiatur:* undè ubi substantia seorsim existens, sui juris, et in actionibus suis ab aliâ non pendens, ibi persona reperitur.

Personalitas et subsistentia indiscriminatim accipiuntur, et significant hunc seorsim existendi modum, quo fit ut substantia singularis sit

sui juris, independens, uno verbo, sit persona. Indè meritò deducitur quòd, in creatis, personalitas sit mera negatio unionis cum alterâ substantiâ perfectivâ. Sed de his fusiùs *Tract. de Incarnatione*, in ipso tractatûs limine, *de notionibus prævüs.*

Quæritur quid sit in Deo personalitas seu subsistentia, id est, per quid constituantur personæ divinæ. Difficultas in præsenti oritur ex eo quòd unica sit in Deo natura, tres verò personæ : de Deo proindè aliter ratiocinandum ac de homine; evidens est enim quòd personalitas divina aliquid præter naturam includat. Quid sit ergo illa personalitas, paucis aperiendum.

Statuimus subsistentias divinas esse *eas proprietates relativas quæ singulis personis propriæ sunt.*

Prob. Natura divina, licèt unica, tres existendi modos habet reales et essentiales, nempè paternitatem, filiationem et spirationem passivam, quæcunque sit illarum perfectionum seu modorum ratio, quam non satis cognoscimus; ergo natura divina triplici modo existit, et ut tali modo existens, alteri incommunicabilis est, sub eo respectu : quod verò naturam divinam quasi contrahit et terminat, eamque alteri sub tali respectu incommunicabilem reddit, id profectò eam in ratione personæ constituit; ergo, etc. Scimus equidem res divinas supra conceptum humanum esse positas, nec mens nostra est eas cum creatis æquiparare : sed ad juvandum aliquantisper imbecillitatem intelligentiæ humanæ, comparatione uti juvat, quam urgere absurdum foret. Exemplum trianguli, quod præcedenti capite adduximus, rem de quâ agitur illustrare

aliquatenùs poterit. Spatium tribus lineis inclusum, sit ad instar essentiæ in triangulo: jam verò hæc essentia tribus modis terminatur; ex quo fit ut tres sint anguli, quorum unusquisque eamdem omninò essentiam habet, scilicet idem spatium diversimodè contractum: attamen realiter à se invicem distinguuntur, ob istam præcisè rationem, quòd idem spatium diversimodè terminent.

CAPUT III.

De Notionibus divinis.

NOTIONES divinæ sunt notæ seu caracteres proprii, quibus personæ ab invicem distinguuntur et nobis innotescunt.

Porrò nullus est qui neget quasdam ejusmodi esse notiones. Etenim, juxta fidem catholicam, tres sunt personæ in Deo realiter distinctæ: atqui ex eo quòd tres sint, etc., manifestè sequitur singulis earum aliquid inesse proprium et speciale quo distinguuntur et nobis innotescunt, in quo notionis natura posita est.

Jam verò notiones illæ sunt paternitas, filiatio, spiratio activa et spiratio passiva, quibus permulti, post S. Thomam, innascibilitatem adjungunt, ut significent Patrem esse principium absque principio; sicque non augetur personarum divinarum numerus. Sextam et septimam notionem superaddunt pauci, nempè ingenerabilitatem respectu Filii, et improductivitatem respectu Spiritûs Sancti. Sed quia Theologorum de numero notionum concertationes ad fidem minùs

spectantes, laboris multùm et parùm utilitatis habent, propterea diutiùs hìc non immorabimur.

CAPUT IV.

De personarum divinarum Nominibus.

Inter varia nomina quibus unaquæque ex personis divinis designari solet, quædam ipsi propriè et exclusivè conveniunt, scilicet quæcunque relationem originis exprimunt; alia verò ipsi tantùm per appropriationem, ut aiunt, conveniunt: hujusmodi sunt appellationes quæ attributum aliquod Dei essentiale exprimunt, ac proindè tribus personis commune, quod tamen uni personæ præ aliis tribuitur, ob quamdam specialem rationem. Hoc prænotato,

Quæres 1.° quænam sint nomina primæ personæ, sive propria, sive appropriata.

Resp. Primæ personæ tria sunt nomina propria. 1.° Enim dicitur *Primum Principium, et fons totius divinitatis*, eo quòd essentiam suam à nullo accipiat, è contrà Filio et Spiritui Sancto communicet. 2.° *Ingenitus, innascibilis,* ob eamdem rationem, quippe qui nec generatur, nec producitur. 3.° Tandem et præcipuè, *Pater*, quia Filium unigenitum consubstantialem sibi generat.

Per appropriationem Patri tribuuntur appellationes quæ potentiam exprimunt. Nam, juxta doctrinam D. Thomæ, 1.ª parte, quæst. 39, art. 8, si ad Deum spectare velimus veluti omnium causam, tria in ipso relucere videmus attributa, *potentiam* nempè, *sapientiam*, et *bonita-*

tem : in quibus, potentia est quasi cæterarum principium, et semper præsupponitur; nemo enim sapienter aliquid simul et rectè ordinaverit, nisi priùs agendi potentiam habuerit; ergo ex hâc parte, potentia similitudinem habet cum Patre, qui est primum principium, et ipsi rectè appropriatur. Hinc prima persona dicitur *Pater creaturarum, Creator, Omnipotens,* ut in Symbolo decantamus : *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ.*

Quæres 2.° quibus nominibus designetur secunda persona.

Resp. Dicitur 1.° *Filius,* quia ex propriâ Patris substantiâ ab æterno gignitur. 2.° *Verbum Patris,* quæ denominatio ex aliquâ similitudine nostrî deducitur. Nam sicut in humanis, *verbum* internum vocamus hunc secretissimum sermonem, cogitationem scilicet, quâ mens omnia et seipsam repræsentat ac cognoscit : ita Verbum dicimus Filium Dei, quia est terminus substantialis divinæ intelligentiæ, imago et repræsentatio vivens, in quâ Pater seipsum et omnia videt. Observandum autem obiter miram esse similitudinem (quantùm sinit infinita Dei distantia à creatis) inter Verbum et cogitationem nostram. Nam perindè ac Verbum, cogitatio à mente procedit, et tamen ipsi indivulsè hæret; per eam mens seipsam et res omnes contemplatur; per eam opera sua dirigit et exsequitur; mens ut se hominibus manifestet, verbum suum foràs emittit materiali formâ indutum, per vocem scilicet aut scripturam.

3.° Secunda persona vocatur etiam *Imago Patris,* cujus nominis rationem apprehendere facile est, ex his quæ modò diximus.

Filio per appropriationem tribuimus sapientiam et sapientiæ opera, eo quòd sapientia, ex doctrinâ iterùm D. Thomæ, nihil aliud sit quàm conceptio intelligentiæ; hoc ergo nomen convenit Filio, qui per intellectionem Patris producitur; et quia operans sua consilia per sapientiam et intelligentiam ad finem perducit, Pater cuncta creasse per Verbum seu Sapientiam dicitur.

Quæres 3.° quænam sint nomina tertiæ SS. Trinitatis personæ.

Resp. Scriptura vocat tertiam personam, 1.° *Spiritum*, non tantùm quia immaterialis est; nam et Pater et Filius hoc sensu sunt spiritus, sed quia est terminus amoris mutui quo se Pater et Filius prosequuntur. Etenim, cùm amor ad unionem cum objecto suo tendat, qui amat, spirare, id est, tendere ad objectum desiderii sui dicitur; spiritus proindè hìc significat terminum spirationis Patris et Filii.

2.° Dicitur *Amor* et *Charitas*, à Patribus nuncupatur pariter *nexus*, *amplexus*, *unio*, quæ omnia vivè exprimunt processionem tertiæ personæ ex amore et quasi amplexu Patris et Filii. 3.° *Donum*; amor enim donum est, et quidem maximum, ex quo omnia cætera dona fluunt.

Hinc tertiæ personæ per appropriationem tribuimus quæcunque procedunt ex amore et bonitate: sic justificare, sanctificare dicitur, consolari animas per gratiæ diffusionem, ex quo nomen *Paracleti* sortitur, quod idem sonat ac *Consolator*.

Finem imponentes his quæ de SS. Trinitate nobis dicenda erant, quasdam de more trademus regulas in expositione hujus mysterii tenendas.

Traduntur Regulæ ad rectè loquendum de mysterio SS. Trinitatis.

Hæc est summa totius mysterii, ut pluries diximus, unitas naturæ, personarum pluralitas. Ad illud semper respiciat, qui de Trinitate loquitur. Hinc regulæ sequentes :

Regula prima. Nomina quæ divinam essentiam, vel attributa absoluta directè exprimunt, nunquàm plurali numero enuntiari possunt : v. g., dici nequit, *Tres sunt Dei*, aut *deitates*, *tres sunt omnipotentiæ*, *sapientiæ*, etc. Ratio per se patet; quod enim unum est, pluraliter affirmari nequit : porrò essentia divina necnon attributa Dei absoluta, sunt eadem numero in tribus personis.

Regula secunda. Nomina adjectiva quæ divinam essentiam et attributa indirectè tantùm significant, directè verò subjectum sive personam, pluraliter enuntiari possunt. Sic, v. g., dici potest, *Tres sunt personæ æternæ*, *omnipotentes*. Ratio est quòd, nomine pluraliter enuntiato, multiplicentur tantummodò personæ, non attributa. Nec huic regulæ contradicit istud Symboli Athanasiani : *Non tres æterni, sed unus æternus ; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens ;* in hoc enim loco nomina, *æterni*, *omnipotentes*, substantivè usurpantur, non adjectivè ut in exemplo mox allato.

Regula tertia. Quæ propria sunt personis, et earum originem et relationes exprimunt, de essentiâ non sunt prædicanda : indè dici nequit, *Essentia generat* aut *generatur ; producit*, aut *producitur;* hæc enim supponere videntur aliam esse essentiam quæ generat, aliam quæ genera-

tur. Dici tamen potest, *Deus generat, Deus producitur,* eo quòd ibi vox, *Deus*, non sumitur absolutè pro essentiâ divinâ, sed relativè tantùm pro unâ speciali personâ, quæ verè Deus est.

Regula quarta. Nomina quæ numerum et distinctionem personarum indicant, congrua sunt; ab his verò abstinendum quæ vel distinctionem naturæ vel inæqualitatem inter personas importare videntur, licèt distinctionem et numerum personarum significent. Hinc 1.° rectè dicitur, *Trinitas* est in Deo, minimè autem, *triplicitas;* eâdem ratione, Deus est *trinus,* non verò *triplex.* Hinc 2.° rectè dicitur, *alius* Pater, *alius* Filius, *alius* Spiritus Sanctus; nunquàm tamen, *aliud.* È contrà dici nequit, Pater est *unus* cum Filio et Spiritu Sancto, sed dici debet, *unum.* Hinc 3.° legitimè omninò pronuntiatur, Deus *unus* est; non verò, Deus est *singularis, solus, solitarius,* quia posteriora verba non tantùm deorum, sed etiam personarum pluralitatem excludunt. Hinc 4.° rectè dicitur, Tres personæ à se invicem *distinctæ* sunt, non verò, *diversæ;* item dicimus tres personas esse *unius* substantiæ, non autem *similis*, quia ille loquendi modus indicat naturæ distinctionem. Hinc 5.° dici nequit *tria* esse in Deo *individua*, quia plura individua dicuntur in ordine ad unam specie naturam, diversam tamen numero; et natura divina non tantùm specie, sed et numero una est.

APPENDIX.

Dissertatio de versiculo VII capitis V Epistolæ primæ S. Joannis.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. Sic habet versiculus ille celebris, de quo duo quæruntur : 1.um an versus ille sit authenticus, id est, à S. Joanne verè conscriptus ; an spurius, fraude vel inscitiâ sacro textui assutus. 2.um An versiculus ille, posito quòd sit authenticus, dogma Trinitatis contineat.

Circa primam quæstionem, Sociniani cum Socino docent hunc versiculum esse suppositum et alienâ manu insertum textui : inter Protestantes, Joannes Clericus idem tenuit libro cui titulus, *Ars critica ;* etiam inter Catholicos, Erasmus, et Richardus Simon, in suâ novi Testamenti Historiâ criticâ, cap. 18, eamdem amplexi sunt opinionem, à quâ tamen prior recessit, ita ut in 3.â editione suæ versionis novi Testamenti, restituerit præfatum S. Joannis versiculum, quem in duobus prioribus expunxerat.

Circa secundam quæstionem, quæ est de legitimâ versiculi interpretatione, Sociniani putant ipsum nullius esse roboris ad evincendam Trinitatis doctrinam, quia, juxta ipsos, unitas Patris, Verbi et Spiritûs Sancti in hoc textu expressa, de unitate testimonii, non autem naturæ, intelligenda est. Duo igitur contra ipsos probanda suscipimus, 1.° versiculum esse authenticum, 2.° dogma Trinitatis ex eo invincibiliter adstrui.

PROPOSITIO PRIMA.

Versiculus VII capitis V Epistolæ primæ Joannis, genuinus est et authenticus.

Prob. 1.° *ex auctoritate Concilii Tridentini,* quod versionem quam Vulgatam dicimus, authenticam esse declaravit, prohibens ne quis quovis prætextu rejicere audeat, vel præsumat: atqui versiculus ille in vulgatâ editione legitur; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex consensu utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ.* Nimirùm, utraque Ecclesia præfatum versiculum in publicis conventibus legit: de Ecclesiâ Latinâ constat apud omnes; quoad Ecclesiam Græcam, controversia dirimitur ex ipsâmet adversariorum confessione, fatentem enim habemus Richardum Simonem in suâ Historiâ criticâ novi Testamenti; aliundè probatur ex Lectionario quo utitur Ecclesia Græca, in quo continetur ille versiculus: porrò quanta sit ejusmodi consensûs auctoritas, nemo non videt; quî enim fieri potuit ut Ecclesia, tam Græca quàm Latina, hunc versum publicè legat, nisi gravissimis inducta fuisset momentis ad credendum authenticum esse Apostoli textum, non alienâ manu, ex inscitiâ sive ex fraude corruptum?

Prob. 3.° *ex SS. PP.* qui hunc versiculum allegârunt. Tertullianus, lib. adv. Praxeam, cap. 25, ad hunc textum respicere videtur, etsi illum non expressè proferat.

S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ, clariùs loquitur; sic enim habet: *Dixit Dominus: Ego et Pater unum sumus: et iterùm, de*

Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est : Et hi tres unum sunt : porrò ubi scriptum illud legebat, nisi in Epist. S. Joannis?

S. Fulgentius, Resp. ad decimam objectionem Arianorum, *In Patre*, inquit, *et Filio et Spiritu Sancto unitatem substantiæ accipimus : personas confundere non audemus, beatus enim Joannes Apostolus testatur, dicens : Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.*

V. Seculo, Virgilius Tapsensis, seu Idacius Clarus, libro contra quemdam Arianum, cap. 5 : *Joannes Evangelista ait : Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.*

Eugenius, Carthaginiensis Episcopus, in Professione fidei quam à quadringentis unitis Episcopis Africanis obsignatam obtulit Hunerico Vandalorum regi, Ariano, anno 484 : *Ut adhuc luce clariùs*, inquiunt præfati Antistites, *unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur; ait namque : Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.* Ergo 1.° versiculus ille tùm temporis legebatur in exemplaribus Scripturæ quibus utebatur Ecclesia Africana; nemo enim dixerit Episcopos suâ in fide constantiâ claros, et Confessorum titulo decoratos, impudenter mentiri voluisse coram rege Ariano, eorum persecutore, cujus intererat fraudem, si qua fuisset, per seipsum vel per Episcopos Arianos ipsi adhærentes detegere. 2.° Nullibi legitur Arianos contra hanc fidei professionem reclamasse, quasi textum supposititium

pro genuino S. Joannis textu allegasset. Plus dico, etiam positivè probari potest Arianos nunquàm adversùs præfati testimonii allegationem reclamasse, probari, inquam, potest ex eo quòd S. Fulgentius, Ruspensis in Africâ Episcopus, paucis ab illâ professione per Catholicos editâ annis, idem testimonium, *Tres sunt*, etc., contra Arianos protulerit, nullius objectionis ab Arianis factæ adversùs authenticitatem ejus mentionem faciens : porrò silentium eorum demonstrat præfatum illud testimonium tunc reverà legi in exemplaribus Scripturæ.

Cassiodorus, VI seculo, in opere, quod inscripsit, *Complexiones in Epistolas Apostolorum;* ipse enim tradens summarium c. 5 Ep. I S. Joannis, versiculi de cujus authenticitate disputamus, claram mentionem facit, his verbis : *Qui Deum J. C. credit, iste sine dubio fidelis est, cui rei testimonium perhibent in terrâ tria mysteria, nimirùm aqua, sanguis et spiritus, quæ in passione Domini leguntur impleta; in cœlo autem, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: et hi tres unus Deus.* Nihil expressius desiderari potest. Observandum est autem, ut major testimonio Cassiodori accedat auctoritas, ipsum expressis verbis asserere, se codices sacros quos potuit antiquiores et emendatiores undequaquè collegisse.

S. Hieron. in Prologo ad Epist. canonicas : In *quâ*, inquit, loquens de I Epist. S. Joan., *ab infidelibus translatoribus multùm erratum esse fidei veritate comperimus : trium tantùm vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis et spiritûs in suâ editione ponentes; et Patris Verbique ac Spiritûs testimonium omittentes, in quo maximè*

et fides catholica roboratur, et Patris et Filii ac Spiritûs Sancti una divinitatis substantia comprobatur. Scio quidem doctos jam consentire S. Hieron. hujus prologi non esse auctorem, de quo vide Patres Benedictinos, in suâ operum S. Hieron. editione. At nihilominùs allegari potest testimonium auctoris hujus, quisquis sit; constat enim ætatem ipsius ultra VII seculum differri non posse, cùm ab VIII et IX seculo, quidam auctores Prologi hujus mentionem faciant.

Auctor Græcus disputationis cujusdam cum Ario, inter opera S. Athanasii, tom. 3, hunc S. Joannis versiculum adduxit in probationem consubstantialitatis Verbi cum Deo Patre. Auctor ille creditus est olim Athanasius, sed nunc contrarium apud eruditos constat, etsi non mediocris antiquitas ipsi tribuatur.

Alter auctor Græcus, lib. de unicâ Deitate Trinitatis, inter opera ejusdem S. Athanasii, sic habet : *Dicente Joanne Evangelistâ, in Epist. suâ : Tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.*

Ut autem argumenti hujus ex Patribus deducti vis et robur meliùs apprehendatur, Calmeti verba referre juvat : *L'autorité* des Pères qui ont cité le passage de S. Jean, *est beaucoup plus forte et plus expresse que celle des manuscrits, pour deux raisons : la première, parce que les Pères sont presque tous plus anciens que les manuscrits les plus vieux qui soient parvenus jusqu'à nous ; car où est le manuscrit, par exemple, qui soit du temps de Tertullien ou de S. Cyprien ? La seconde, le témoignage des Pères est lié avec l'histoire de leur siècle et*

de leur personne, et avec le témoignage de l'Eglise de leur temps, ce qui leur donne un nouveau degré de force et de supériorité. Si S. Cyprien et Tertullien citent ce passage, il était donc dans les exemplaires de leur temps et de leur pays : il contenait la doctrine et la foi de leur Église. Car, enfin, ce passage n'est point sur une matière indifférente et commune; il regarde un des points les plus importans de notre créance : il n'était point aisé ni de le retrancher des exemplaires, s'il y était, ni de l'y ajouter s'il n'y était point.

Prob. 4.° *ex manuscriptis codicibus*, tum græcis, tum latinis, in quibus continetur ille de quo agitur versiculus. Legitur in celebri et antiquissimo codice Britannico, græco, in manuscripto Dubliniensi, item græco; juxta plures, exstabat in septem codicibus græcis quos adhibuit Robertus Stephanus in suâ adornandâ editione græcâ, sed illud non omninò constat. Quoad codices latinos, ex iis plures, et antiquissimi, et optimæ notæ, hunc versiculum continent. Nempè, reperitur in manuscriptis vetustissimis et castigatissimis quibus usi sunt editores Polyglottæ Complutensis; in pluribus numero codicibus ad quos Theologi Lovanienses Scripturæ vulgatam editionem recognoverunt; et in aliis, quorum mentionem facit Calmetus.

Prob. 5.° *ex auctoritate Criticorum* qui de authenticitate hujus versiculi ex professo egerunt; ex iis enim plerique, doctissimi et probatissimi homines, non modò inter Catholicos, sed etiam apud Protestantes, authenticitatem præfati versiculi vindicaverunt : Jacobus Stunica, in libello adversùs Erasmum, Natalis Alexander, Millius, David, etc.

Objiciunt Sociniani. Ille textus non est authenticus, de quo Patres Græci et Latini ferè omnes tacent, iis præcisè circumstantiis in quibus eum invocare non omisissent, si contentus fuisset in iis quibus utebantur codicibus : nimirùm ubi, de trinitate personarum, adversùs Sabellianos; de consubstantialitate Verbi, adversùs Arianos; de Spiritûs Sancti divinitate, contra Macedonianos agebant : atqui nec S. Athanasius, qui per totam vitam Verbi divinitatis hostes debellavit, nec S. Epiphanius, aut Patres Concilii Sardicensis, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, Didymus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, et plures alii, ullam hujus versiculi mentionem fecerunt. De eo silent S. Hilarius, S. Phebadius, Faustinus, S. Augustinus; imò, S. Ambrosius, lib. 3 de Spiritu Sancto, versiculum sextum S. Joannis cum octavo conjungit, omisso septimo; ergo, etc.

Resp. patres de hoc versiculo tacuisse, alios quidem non datâ eum citandi occasione; non enim putandum est omnes de Trinitatis mysterio disputasse; alios autem acceptâ sanè occasione illum citandi, sed non omninò necessariâ, cùm plures ipsis præstò fuerint Scripturæ textus ad evincendam consubstantialitatem trium personarum in Deo; alios tandem siluisse, quia non exstabat in codicibus quibus utebantur; quæ omissio non ex suppositione versiculi, sed ex amanuensium incuriâ provenit. Scilicet, cùm ista septimi versiculi verba, *Tres sunt,* etc., versiculo octavo repetantur, errante oculo, factum est ut scriba prætermittens versiculum septimum, ad octavum transierit. Docet enim experientia satìs communem esse ejusmodi lapsum,

cùm duæ lineæ nullo aut brevi intervallo sejunctæ, ab iisdem verbis incipiunt. Monachi Benedictini in suis ad Prologum Hieronymi annotationibus, plura hujusmodi omissionum exempla proferunt: sic, lib. Josue c. 21, quia versiculis 35, 36, 37, trinâ vice repetitur ista clausula, *Civitates quatuor cum suburbanis suis*; factum est hâc verborum similitudine, ut in pluribus manuscriptis versiculus 36 exciderit. *On avoue*, inquit jam citatus Calmetus, *que hors l'Eglise d'Afrique, les anciens Pères... ne paraissent pas l'avoir connu* (ce verset),... *et que jusqu'au 7.e et 8.e siècle, il est rare de le trouver dans les Pères et dans les manuscrits. Mais c'est apparemment que quelques-uns des premiers exemplaires, copiés sur l'original, s'étant trouvés défectueux par la négligence ou la précipitation des copistes, la plupart des copies qu'on en tira, et ensuite les traductions que l'on fit sur ces copies imparfaites, se répandirent partout; et le respect qu'on avait pour l'antiquité, et l'impuissance où l'on était de confronter les exemplaires avec les originaux, firent qu'on se défia même des exemplaires plus corrects où il était; en sorte que plusieurs siècles s'écoulèrent avant que l'on pût reconnaître le défaut et l'erreur. On ne les reconnut qu'à la longue, d'où vient que plusieurs ne le mirent encore que sur la marge de leurs exemplaires... Ce que nous supposons de la corruption casuelle de plusieurs des premières copies, n'est ni incroyable ni extraordinaire. On a dans l'Ecriture même de l'ancien Testament, des fautes de copistes qui y subsistent depuis plusieurs siècles, et qui ne viennent que de l'ignorance, ou de la négli-*

gence, ou de la méprise des copistes. Cela arrive encore tous les jours, sur-tout lorsqu'il s'agit de copier des textes où le même mot se trouve plus d'une fois ; à moins d'une attention extraordinaire, ou d'une révision très-exacte, on est très-exposé à se tromper. Dans cet endroit-ci, l'écrivain ayant trouvé deux fois ces mots, Tres sunt qui testimonium dant, *a sauté du premier au second, et comme cela n'interrompait pas le sens, on ne s'est aperçu de la méprise que très-long-temps après, lorsqu'on a comparé les anciennes copies les unes aux autres.* Eadem solutio applicari debet objectioni desumptæ ex manuscriptis in quibus desideratur iste versiculus.

Et verò, facilè concipitur quomodò versiculus ille 7.us propter hæc verba, *Tres sunt*, etc., ipsi cum versu 8.° communia, potuerit amanuensium incuriâ excidere. Repugnat autem moraliter quòd idem versiculus alienâ manu per fraudem sacro textui fuerit insertus, absque eo quòd Catholici Scripturarum integritatis studiosi, necnon Hæretici tam invicto confossi telo reclamaverint : porrò sola ratio dictat ut ex duobus quorum alterutrum necessariò contigit, factum fuisse asseratur illud quod facilè contingere potuit, præ altero quod moraliter impossibile concipitur.

Inst. Omnes Scripturæ versiones orientales, demptâ tantùm Armenâ, hunc versiculum non habent; non legitur in versione Syriacâ, nec in Æthiopicâ, Arabicâ, Ruthenâ et Cophticâ, etc. ; ergo, etc.

Resp. nego consequent. Cùm enim versiones illæ omnes ad normam Syriacæ versionis factæ sint, non majorem simul junctæ quàm sejunctim

faciunt auctoritatem; tota ergo difficultas est an versio Syriaca, quæ cæteris dedit originem, præfato S. Joannis versiculo carere potuerit, salvâ tamen versiculi hujus authenticitate : atqui reverà, etc.; supposità enim authenticitate præfati textûs, explicari potest quomodò in versione Syriacâ desit, recurrendo scilicet ad mendosum codicem Græcum, ad cujus normam facta est.

PROPOSITIO II.

Versiculus S. Joannis ritè intellectus, probat mysterium Trinitatis.

Prob. Mysterium Trinitatis in eo positum est, quòd sint tres personæ realiter distinctæ in unicâ Dei naturâ : atqui 1.° conficitur ex hoc textu tres esse personas realiter distinctas. Quid enim aliud naturaliter significant, *Tres sunt qui testimonium dant, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus?* Et verò, fatentur adversarii Patrem et Verbum duas esse personas; idem ergo sentiant de Spiritu Sancto necesse est, cùm ibi jùngatur Patri et Filio, et in eodem ordine collocetur. Præthereà, vel Pater, Verbum et Spiritus Sanctus tres ibi personas, vel unicam cum suâ virtute et efficaciâ designant : posterius autem repugnat; namque dicitur in hoc textu Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum tres esse testimonium perhibentes : atqui absurdum foret dicere personam unicam cum suâ virtute et efficaciâ tres efficere testes.

2.° Eodem textu conficitur tres illas personas in unicâ Dei naturâ subsistere, cùm tres *unum esse* dicantur. Et verò ista, *tres unum sunt*, litteraliter intellecta, unitatem naturæ significant : atqui litteraliter intelligi debent, cùm neque fides,

fides, neque ratio evidens, nec boni mores, nos ab illo sensu litterali ad metaphoricum transire cogant. Aliundè verba Scripturæ juxta Traditionem interpretari oportet : atqui Patres hujus versiculi mentionem facientes, ipsum de unitate naturæ interpretati sunt. Postremò, ista 7.ⁱ versiculi, *Et hi tres unum sunt*, intelligenda sunt de unitate naturæ, vel de unitate testimonii : atqui posterius admitti non debet; si enim Apostolus ibi tantùm significare voluisset Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum unitatem testimonii tantùm habere, non ita simpliciter locutus fuisset, *et hi tres unum sunt*, sed, Hi tres in unum sunt vel conspirant.

Obj. Ejusdem S. Joan. Epistolæ ℣. 8.us sic legitur : *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus, aqua et sanguis : et hi tres unum sunt.* Undè sic arguunt : Unitas ℣. 7.° expressa, eodem modo intelligi debet ac illa quæ ℣. 8.° continetur: atqui evidens est unitatem spiritûs, aquæ et sanguinis, ℣. 8.° expressam, non esse naturæ sed testimonii; ergo à pari, etc.

Resp. Nego maj. 1.° Quia unitas ℣. 8.° expressa, non potest intelligi de unitate naturæ, cùm manifestè repugnet spiritum, aquam et sanguinem unicam esse substantiam; è contrà, ut jam dictum est, nec evidens ratio, nec fides repugnat unitati naturæ in tribus personis; ergo juxta regulam Scripturas interpretandi à Theologis post S. Aug. traditam, ℣. 7.us S. Joan. litteraliter de unitate naturæ intelligendus est; ℣. autem 8.us, metaphoricè accipi debet, hoc est, de unitate morali sive testimonii. 2.° Non de eâdem unitate intelligendus est uterque versiculus, si diversimodè exprimatur : atqui res ita est, non

quidem in versione latinâ sed in textu græco qui sic habet de spiritu, aquâ et sanguine, *et hi tres in unum sunt,* id est, in unum conspirant testimonium; versu autem 7.° de tribus personis simpliciter enuntiatur, quòd *sint unum.* 3.° Juxta quosdam, ista versûs $8.^{i}$, *et hi tres unum sunt,* tolli debent, ut potè textui sacro humanitùs adjecta, sive per fraudem Arianorum, ut suspicatur Grotius, sive incuriâ scribarum. Quidquid sit, constat hæc verba desiderari in multis sive græcis sive latinis codicibus : Theologi Lovanienses, qui ad vulgatæ versionis accuratam editionem triginta tres manuscriptos codices consuluêre, testantur hanc clausulam ℣. $8.^{i}$ *et hi tres unum sunt,* deesse in quindecim ex illis manuscriptis codicibus. *S. Thomas,* inquit Calmetus, *soutient que ces derniers mots ne se lisaient pas dans les vrais exemplaires ; Lorin, Luc de Bruges et Hessel reconnaissent qu'il y a plusieurs exemplaires latins où ils ne se trouvent point ; on ne les lit ni dans le grec ni dans le latin de la Bible Polyglotte de Complute, ni dans le manuscrit Alexandrin, ni dans celui d'Angleterre dont parle Erasme, ni dans deux manuscrits de S. Germain-des-Prés.*

TRACTATUS

DE SANCTISSIMO MYSTERIO

INCARNATIONIS.

Mysterium quod exponere suscipimus, ipsum est de quo sublimiter et magnificè loquitur Apostolus, I ad Timoth. c. 3, ℣. 16, cùm illud vocat, *Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.* Tanti dogmatis cognitionem hauriant Ecclesiæ Ministri, ut et ipsi fidelibus tradere valeant accuratam, quantùm fieri licet, Christi Salvatoris notitiam, cujus necessitatem Dominus ipse commendavit, Joan. c. 17, ℣. 3: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Sed priusquàm rem aggrediamur, nonnullas hic repetere juvat ab Ontologiâ notiones; quarum si intelligentia desit, mysterium clarè et accuratè exponi nequit.

Notiones præviæ de Substantiâ, Personâ et Unione hypostaticâ.

1.° *Substantia* à Metaphysicis vocatur ens illud quod *in se ipso* subsistit, id est, quod ad existendum non indiget alio cui inhæreat, per oppositionem ad *modificationes*, quæ non possunt concipi existentes, nisi cum subjecto cui inhæ-

rent : anima, arbor, lapis, sunt substantiæ; cogitatio, color, odor, sunt modificationes.

2.° Substantia alia est *totalis* et *completa*, alia *partialis* et *incompleta*. *Totalis* est substantia quæ *per se* subsistit, id est, quæ non conjungitur alteri substantiæ à quâ perficiatur, sed est sui juris, ut aiunt, estque principium suarum functionum : tales sunt, homo, Angelus, etc. *Partialis* verò substantia, illa est quæ unitur alteri substantiæ à quâ perficitur; sic corpus humanum, quod perficitur per suam cum animâ conjunctionem.

3.° Omnis substantia totalis et completa vocatur *individuum* aut *suppositum*; peculiari autem denominatione, *persona* appellatur si sit rationis particeps.

Quod apud Latinos persona, apud Græcos *hypostasis* dicitur. Observandum tamen est, in legendis operibus SS. PP., hanc hypostaseos notionem nonnisi labente seculo IV passim et universaliter receptam fuisse. Quid autem illâ voce prioribus seculis significatum fuerit, disputant eruditi : vid. Petavium, lib. 4 de Trinitate, nec non lib. 2 de Incarn. cap. 3; et Bullum in suâ Nicænæ Fidei Defensione, sect. 2, cap. 9.

4.° Ex his liquet quòd Hypostasis seu Persona rectè possit definiri, *Substantia singularis, rationalis, totalis et completa*; seu clariùs, *Substantia singularis; rationalis, alteri substantiæ non communicata à quâ perficiatur.*

Dicitur 1., *substantia singularis*; evidens est enim quòd substantia universalis, v. g., natura humana in genere et abstractè sumpta, cùm non existat nisi per abstractionem mentis nostræ, non possit esse persona.

Dicitur 2., *incommunicata alteri substantiæ à quâ perficiatur*; et in hoc præcisè consistit persona. Nam ex eo quòd substantia non communicetur alteri perfectivæ, sequitur quòd sit sui juris, in operationibus independens, quòd sit talis et non alia, ac proindè quòd possit dicere, *Ego*. Hinc axioma apud Philosophos receptum: *Actiones sunt suppositorum*, id est, tribuuntur suppositis, et non possunt tribui nisi suppositis.

Dicitur 3., *alteri à quâ perficiatur*; nempè ut substantia desinat esse persona, non sufficit ut communicetur alteri substantiæ, qualiscunque ea sit; sed requiritur ut conjungatur alteri à quâ perficiatur, quæ ipsam regat et moderetur. Sic in Christo Verbum divinum, licèt intimè humanitati conjunctum, non desiit esse persona, quia ab illâ minimè perficitur.

5.° Hâc semel admissâ personæ definitione, facilè intelligitur quid sit *personalitas*. Scilicet; personalitas et persona non aliter differunt quàm humanitas et homo; undè illa definiri potest, *Modus existendi in quo substantia singularis incommunicata est alteri perfectivæ.*

6.° *Unio hypostatica* seu personalis est unio plurium substantiarum in unam eamdemque numero personam, ita ut deinceps, licèt inconfusæ remaneant naturæ, unicam efforment substantiam totalem et completam, sui juris et suarum functionum principium.

Ex his omnibus colliges 1.° naturam et personam in hoc differre, quòd per naturam alicujus substantiæ disignetur solummodò complexio eorum omnium quæ hanc substantiam constituunt; persona verò insuper includat negationem unionis hujus substantiæ cum alterâ perfectivâ.

Colliges 2.° personalitatem *in creatis*, non esse aliquid positivum substantiæ superadditum, quo reddatur incommunicata; sed esse meram negationem unionis cum alterâ. Undè, ut substantia acquirat vel amittat personalitatem, minimè requiritur ut in se recipiat vel rejiciat à se aliquid positivum : sufficit, in priori casu, ut non communicetur alteri; in posteriori verò, ut uniatur modo jam exposito.

Definitio Mysterii et divisio Tractatûs.

Incarnatio, juxta vim nominis, unionem cum carne significat. Juxta verò Ecclesiæ usum, significat unionem Verbi divini cum humanitate, prout humanitas animâ et corpore constat. Hoc sensu accepta, incarnatio variis nominibus designari solet à Patribus græcis et latinis. Dicitur enim à Græcis *OEconomia* sive dispensatio, attemperatio; *Epiphania* seu apparitio; *Theophania* seu Dei manifestatio. A Latinis verò appellatur *Exinanitio, Abbreviatio, Demissio*, sed præcipuè et frequentiùs *Incarnatio*. Hæc ultima vox perantiqua est, et æquivalenter exprimitur in Scripturis, Joan. c. 1, ℣. 14 : *Et Verbum caro factum est;* eamque usurpatam expressè legimus à S. Iræneo, qui II seculo floruit, et deindè à Patribus Concilii Nicæni, in Symbolo fidei : *Incarnatus est..., et homo factus est.* De variarum autem illarum vocum significatione legi potest Petavius, lib. 2 Dogmatum theolog. cap. 1 et 2.

Incarnationis Mysterium definiri solet, *Unio duplicis naturæ, divinæ scilicet et humanæ, in unicam Verbi divini personam.*

Dicitur 1.°, *unio naturæ duplicis;* quia, juxta

fidem catholicam, Christus naturâ divinâ et humanâ ita constat, ut integram utramque habeat.

Dicitur 2.°, *in unicam personam;* nam ex conjunctione duplicis naturæ resultat totum, Christus scilicet, ac proindè unica persona, ex jam dictis; eodem ferè modo quo ex animâ et corpore unica exsurgit persona.

Dicitur 3.°, *in unicam Verbi divini personam;* quia cùm humanitas per suam cum divinitate unionem perficiatur, jam desiit esse sui juris, sed à Verbo divino regitur, ac proindè suam amisit personalitatem. At Verbum divinum, licèt per assumptionem nostræ naturæ, novas functiones obeat, quales sunt nasci, loqui, ambulare, mori, etc., quia per has functiones minimè perficitur, suam retinet personalitatem; ergo remanet unica in Christo persona, persona nempè Verbi divini.

His itaque præmissis, præsentem tractatum in octo dissertationes distribuimus. 1.ª Erit de possibilitate Incarnationis; 2.ª de illius existentiâ; 3.ª de necessitate; 4.ª de causis; 5.ª de effectibus, ubi de satisfactione Christi; 6.ª de naturâ Incarnationis; 7.ª de perfectionibus Christi; 8.ª de variis Christi titulis; appendicem adjungemus de cultu Christi et Sanctorum.

DISSERTATIO PRIMA.

DE POSSIBILITATE MYSTERII INCARNATIONIS.

Certum est 1.° Incarnationem ex revelatione certò demonstrari possibilem; namque existentia rei possibilitatem ejus supponit: atqui existentia

Incarnationis ex revelatione certò demonstratur, ut ex infrà dicendis patebit; ergo et ejus possibilitas.

Certum est 2.° possibilitatem Incarnationis ex solo lumine naturali non posse demonstrari, id est, certè et evidenter deduci ex principiis evidentibus. Dicitur enim à SS. PP. mysterium incomprehensibile, investigabile, ineffabile; ita S. Ambros. de Fide, lib. 1, cap. 10 aliàs 5; S. Cyrillus Alexand. initio lib. 3 contra Nestorium; Dionysius, lib. de divinis Nominibus, cap. 1, § 2; S. Aug. Epist. 137 aliàs 3, ad Volusianum; S. Gregorius Magnus, Homil. 7 in Evangelia, etc.

Itaque status controversiæ is est, utrùm Incarnatio possit ex lumine rationis demonstrari negativè, solvendo nimirùm objectiones adversùs illam fieri solitas. Inter alios, Sociniani negant, rati illud mysterium repugnare: contra quos sit

PROPOSITIO.

Mysterium Incarnationis negativè demonstrari potest.

Prob. Illud negativè demonstrari potest, adversùs quod nullæ fiunt objectiones penitùs insolubiles: atqui contra illud mysterium nullæ fiunt objectiones penitùs insolubiles, ut mox patebit ex responsionibus nostris ad Socinianorum argumenta.

Præcipuæ objectiones generales quibus mysterium Incarnationis et cætera Religionis Christianæ mysteria impugnantur, jam solutæ sunt in *Tractatu de Religione*, ubi de Possibilitate Revelationis. Quæ igitur huic mysterio propriæ sunt et speciales, eas tantùm hìc diluemus.

Obj. 1.° Verbum, ut potè Deus, immutabile est: atqui non posset incarnari, quin mutaretur; ergo, etc.

Resp. Nego min. Namque in Incarnatione Verbum nullam de novo perfectionem acquisivit, vel pristinam amisit: idem semper in se remansit, sed tota mutatio facta est in humanitate, quæ per illam unionem infinitum adepta est honorem.

Inst. 1.° Per Incarnationem Verbum caro factum est *intrinsecè*, *naturaliter*, et *substantivè*; his enim vocibus interdùm utuntur sancti Patres, explicando mysterium Incarnationis: atqui Verbum non potuit fieri caro intrinsecè, naturaliter et substantivè, absque suî mutatione; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ad cujus refutationem, exponere sufficiat quonam sensu Patres dixerint Verbum *intrinsecè*, *naturaliter* et *substantivè* carnem factum fuisse. Hæc, scilicet, usurpata sunt vocabula, ad significandam unionem Verbi cum naturâ humanâ esse hypostaticam, id est, personalem, et ad excludendam unionem metaphoricam, impropriam et moralem, à Nestorio introductam. De sensu illarum vocum vide Petavium, tom. 3, cap. 4.

Inst. 2.° Per Incarnationem Verbum Dei factum est homo; ergo mutatum est, sicut, v. g., mutaretur qui ex rege pastor fieret.

Resp. Nego cons. Etenim mysterio Incarnationis Verbum caro factum est, non per *conversionem* suî in aliud, ita ut desierit esse Deus ut fieret caro; sed per *accessionem* sive susceptionem humanitatis in unitatem personæ. Paritas autem instituta in objectione, nulla est; qui enim

ex rege fieret pastor, ideò mutaretur, quia rex esse desineret : Verbum autem, ut jam dixi, sic caro factum est, ut non desierit esse Deus.

Inst. 3.° Ens duplici modo mutari potest, perdendo vel acquirendo; esto igitur quòd Verbum in Incarnatione non fuerit priori sensu immutatum, cùm, juxta mox datam responsionem, non desierit esse Deus; saltem negari non potest quin novâ humanitatis accessione et acquisitione, mutationem aliquam expertum fuerit; nam quod fit aliud novæ cujuspiam rei accessione, illud sanè mutatur : atqui in hoc mysterio Verbum aliud factum est, homo scilicet, per novam acquisitionem sive assumptionem humanitatis.

Resp. Dist. maj. Quod fit aliud mutatur, si accessione illius rei perficiatur, *conc.;* secùs, *nego.* Similiter *dist. minorem.* Itaque Verbum assumendo in tempore naturam humanam, nullam ex eâ traxit vel trahere potuit perfectionem, cùm sit ipse perfectionum origo; ex quo sequitur Verbum, mutatâ quidem humanitate, solum mansisse immutatum.

Inst. 4.° In unione corporis cum animâ, non solùm corpus, quod ab animâ perficitur, mutationi est obnoxium, sed ipsa quoque mutatur anima, quia corpus perficit; ergo à pari, Verbum quandò cum naturâ humanâ jungitur, etsi illam perficiat, mutationem experiri debet.

Resp. Nego paritatem. Disparitas enim est, quòd anima sic corpus perficiat, ut vicissìm ab illo perficiatur; in Incarnatione autem, Verbum perficiendo naturam humanam, nullo modo ab illâ perficitur.

Et verò, si dicas humanitatem et Verbum esse aliquid perfectius quàm Verbum solum, negabi-

mus, quia infinita perfectio nullum additamentum pati potest.

Inst. 5.° Quod novam in seipso recipit formam, verè mutatur : atqui Verbum in Incarnatione novam in se recepit formam; ergo, etc.

Resp. Nego min. Verbum Dei per seipsum et immediatè conjungitur humanitati, in personæ unitatem assumpsit eam, nullâ in se ipso factâ additione; quod probatur negativè, quia objectio proposita non est demonstrativa, cùm unionis hypostaticæ naturam ignoremus.

Obj. 2.° Repugnat Verbum incarnari, quin simul incarnentur Pater et Spiritus Sanctus : atqui tamen, juxta fidem catholicam, Verbum unicè caro factum est; ergo mysterium Incarnationis, prout à Catholicis defenditur, repugnantiam et contradictionem involvit.

Resp. Nego maj. Juxta fidem, Verbum à Patre et Spiritu Sancto distinguitur realiter; ergo nihil obstare videtur quominùs solum potuerit incarnari.

Inst. 1.° Incarnatio Verbi dicitur unio naturæ divinæ et humanæ in ipsâ Verbi personâ; ergo cùm natura divina divinis tribus personis communis sit, una non potuit absque aliis incarnari.

Resp. Nego cons. Natura divina spectari potest vel *absolutè,* prout communis est tribus personis, vel *relativè,* prout contrahitur et terminatur ab unâquaque SS. Trinitatis personâ. Hâc præmissâ distinctione, fateor illud omne tribus personis esse tribuendum, quod naturæ divinæ sub primo respectu spectatæ convenit; sed non ita est de eo quod ad ipsam sub posteriori tantùm respectu, id est, relativè spectatam pertinet; igitur, cùm Incarnatio sit unio naturæ humanæ cum divinâ, non

absolutè sed relativè spectatâ, id est, prout à Verbo contrahitur et terminatur, nemo non intelligit quomodò Verbum absque Patre et Spiritu Sancto fuerit incarnatum.

Inst. 2.° Ex vulgari axiomate, omnia opera Dei quæ dicuntur *ad extrà*, communia sunt tribus personis; sic creatio mundi cuilibet Trinitatis personæ tribuenda est : atqui Incarnatio est opus Dei ad extrà; cùm sit assumptio naturæ humanæ Deo prorsùs extrinsecæ; ergo, etc.

Resp. Nego min. Opus ad extra actionem sonat : atqui Incarnatio formaliter spectata non est actio, sed unio; ergo, etc.

Distingui etiam potest minor propositio. Incarnatio est opus ad extrà, si spectetur efficienter, *conc.*; formaliter, *nego.* Itaque Incarnatio spectata *efficienter*, id est, in causâ suâ, prout decreta est à Deo, tribus personis communis est; decretum enim est operatio pertinens ad voluntatem, quæ una est in Patre, Filio et Spiritu Sancto : at non ita est de Incarnatione spectatâ *formaliter,* pro ipsâ Verbi unione; etenim cùm personam ejus aliis duabus minimè communem afficiat, propria non communis dicenda est.

Obj. 3.° Incarnatio majestatem Verbi dedecet; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Peracta est Incarnatio, ut constabit ex dicendis; ergo majestatem Verbi non dedecet; Deus enim nihil se ipso indignum velle potest et agere.

Inst. 1.° Summè dedecet personam increatam, immortalem, beatam, uno verbo infinitam, perficere et in personæ unitatem assumere naturam creatam, mortalem, miseriis obnoxiam, saturatam opprobriis : atqui per Incarnationem Verbum

Dei seu persona infinita, in personæ unitatem assumpsit naturam saturatam opprobriis; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Namque *prædicamus,* inquit Apost. I Cor. c. 1, ℣. 23 et 24, *prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Porrò quod Dei virtutem necnon sapientiam ejus commendat, illud sanè majestatem ejus non dedecet. Et verò, ut Incarnatio Verbi majestatem ejus non dedeceat, duo sufficiunt, 1.° ut Verbum, assumendo naturam humanam in personæ unitatem, à divinitate suâ et perfectionum infinitarum cumulo non exciderit; 2.° ut naturam assumptam ultra modum perfecerit : atqui hæc duo vera sunt. 1.um Quidem; sic enim juxta fidem catholicam, Verbum caro factum est, ut Deus esse nullo modo desierit. 2.um Quoque, cùm ex dicendis, omnes actiones vel passiones humanitatis Christi, virtute unionis ejus cum Verbo, excellentiam et valorem infinitum acquirant. Deniquè, illud maximè conveniens est Deo, per quod ejus attributa mirificè exprimuntur : atqui per Incarnationem Dei attributa, etc. 1.° Bonitas ejus infinita, cùm in præfato mysterio seipsum ex merâ liberalitate et modo perfectissimo creaturæ suæ communicet; 2.° justitia, quatenùs Incarnatio dirigitur ad satisfactionem infinitam Deo propter delicta mundi superabundanter exhibendam ; 3.° sapientia ejus : Verbum enim, assumendo naturam humanam, tum justitiæ punientis, tum misericordiæ condonantis jura mirè conciliavit; 4.° omnipotentia ejus, siquidem *omni miraculo mirabilius est,* inquit S. Bernard. Serm. 3, de Vigiliâ Nativitatis Domini,

quomodò tam diversa, tamque divisa ab invicem (Verbum et homo), *invicem potuêre conjungi.*

Inst. 2.° Admissâ Incarnatione, verum est dicere filium Dei, Deum ipsum, esse natum in tempore, indigna quæque passum fuisse ab hominibus, ipsum inter latrones duos patibulo fuisse suspensum : atqui hæc et similia majestatem Dei summoperè dedecent; hinc tot congesta in Religionem Christianam à Paganis convicia; hinc tot blasphemiæ, quas in ipsam de die in diem audaciores facti ore impio evomunt Deistæ.

Resp. Dist. maj. Admissâ Incarnatione, verum est dicere filium Dei natum, passum et mortuum fuisse, secundùm naturam humanam liberè assumptam, *conc.;* secundùm naturam divinam, *nego.* Similiter *distinctâ minore, nego cons.* Solutio patet. Hinc videre est convicia in Religionem Christianam occasione mysterii Incarnationis à gentilibus olìm, nunc autem à quibusdam Deistis inverecundè congesta, aut crassam in eis arguere ignorantiam, si nimirùm ignorent passionem et mortem de Christo secundùm naturam ejus humanam tantùm prædicari; aut malitiam et impietatem non satis puniendam, si hanc nostram cognoscendo fidem, blasphemiis eam insectari non desistant. Nos verò tanti memores doni, libenter in hæc cum S. Bernardo erumpamus : *Tantò mihi carior* (Deus), *quantò pro me vilior.*

Ejusdem ope distinctionis, altera solvi potest objectio, juxta quam dicitur quòd, positâ Incarnatione, multa de Verbo contradictoria possent affirmari, nempè quòd esset æternum simul et temporale, creator et creatum, etc.; cùm enim hæc omnia de Christo prædicentur secundùm duas ejus naturas, jam omnis evanescit contra-

dictio, quæ est affirmatio et negatio simul ejusdem, de eodem, et sub eodem respectu.

Obj. 4.° In mysterio Incarnationis natura humana in personæ unitatem à Verbo assumpta, caret suâ personalitate : atqui illud repugnat; ergo, etc.

Resp. Nego min. In creatis enim, ut ab initio Tractatûs diximus, personalitas non est, ut innuere videtur objectio, aliquid positivum substantiæ superadditum; sed tantùm negatio unionis, proindèque modus existendi, sine quo optimè concipitur substantiam existere posse; non secùs ac existere potest sine aliis quibuscunque modis.

Inst. 1.° Nihil seipso carere potest : atqui personalitas ipsa est natura, nec ab illâ distinguitur; ergo humana Christi natura non potest carere propriâ suâ personalitate.

Resp. Dist. min. Personalitas et natura non distinguuntur realiter, tanquam substantia à substantiâ, *conc.;* non distinguuntur virtualiter, tanquam modus à re, *nego.* Natura, ut jam diximus, est complexio omnium quæ substantiam constituunt, dùm personalitas est modus existendi illius substantiæ; ergo distinctio virtualis intercedit personalitatem inter et naturam, quæ distinctio sufficit ut unam sine alterâ existentem concipiam; quemadmodùm nihil vetat quin supponant digitum sine inflexione existentem, licèt digitus et ipsius inflexio non realiter, sed virtualiter tantùm à se invicem distinguantur.

Inst. 2.° Atqui saltem humana natura in Christo non est perfecta nec integra, cùm propriâ careat personalitate; ergo, etc.

Resp. nego ant. Humanitas Christi integra est, quæ omnia habet quibus componitur essentia

humanæ naturæ, scilicet animam suis ornatam facultatibus, intellectu, voluntate, etc., et corpus organis instructum : personalitas verò non est nisi negatio unionis. Ut ergo objectio allata aliquid valeret, demonstrandum esset adversariis quòd plus inesset perfectionis humanitati Christi, si sola existeret, cæterorum ad instar hominum, quàm receperit per suam unionem cum secundâ SS. Trinitatis personâ.

Obj. 5.° Quæ infinito distant intervallo, non possunt secum uniri : atqui Verbum et natura humana infinito distant intervallo; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Quæ infinito distant intervallo non possunt secum uniri, si nulla sit inter ea proportio habitudinis, *conc.;* si sit quædam, *nego.* Itaque nulla est *entitatis* proportio Verbum inter et naturam humanam; proportio enim entitatis in personarum æqualitate sita est, sed inter utrumque reperitur proportio *habitudinis*, id est, relatio potentiæ seu capacitatis unius ad aliud; siquidem ex unâ parte, natura humana id habet quod in personæ unitatem assumi queat; ex alterâ autem parte, Verbum, quia infinitum, naturam humanam complere potest.

Et verò, distantia inter Verbum et hominem, licèt infinita, facilè tamen transcenditur per vim infinitam : atqui naturam ultimò complendi vis inest infinita Verbo, ergo, etc.

SCHOLIUM.

Observa argumenta contra Incarnationem ex lumine naturali desumpta, non ex necessitate, sed ad juris abundantiam à nobis fuisse soluta; namque, ut pluries diximus, cùm agitur de cognitione mysteriorum, via auctoritatis sola est suf-

ficiens, brevis, omnibus pervia, et tuta; dùm altera quam tenent Rationalistæ, mysteria Religionis ad rationis humanæ normam expendentes, sit longa nimis, omnibus penè impervia, plena periculi. In eâ etiam proceditur à minùs noto ad magìs notum, contra Logicæ regulas. Spretâ ergo Rationalistarum methodo, viæ auctoritatis inhæreamus. Vide, si lubet, quæ hâc de re diximus in *Prolegomenis* Theologiæ, cap. 2, art. 3, et in *Tractatu de Religione*, ubi de Possibilitate Revelationis.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

Ad duplicem classem possunt revocari qui mysterium Incarnationis impugnârunt. In priori classe numerantur Pagani, Judæi, et quotquot fuère omnium temporum increduli: eos omnes jam confutavimus in *Tractatu de Religione*, ubi ex oraculis Prophetarum et factis evangelicis demonstravimus Jesum Christum, Deum et hominem, Messiam esse in antiquâ lege promissum. Ad posteriorem verò classem pertinent Hæretici. Porrò, inquit S. Augustinus, *Hæreticorum de Christo error tribus generibus terminatur: aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroque* (id est, de utriusque nexu) *falluntur*. Sed quia hoc primum erroris genus refellimus in Tractatu de SS. Trinitate, duo posteriora tantùm totidem capitibus aggredimur.

CAPUT PRIMUM.

De Existentiâ Incarnationis adversùs Hæreticos qui Christi Humanitatem impugnârunt.

Tres erunt istius capitis articuli : in 1.° disseremus de corpore et animâ Christi; in 2.° de proprietatibus Corporis Christi; in 3.° expendemus utrùm Christi corpus ex B. Virgine et operante Spiritu Sancto formatum fuerit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Corpore et Animâ Christi.

Triplex Hæreticorum error hîc confutandus : 1.us est Phantasiastarum, qui, Tertulliano teste, de Præscript. cap. 46, corpus Christi fuisse merè phantasticum docuerunt; 2.us est Valentini, Apellis, et Cerdonis, juxta quos Christi corpus verum quidem fuit, sed cœleste et sidereum, et ex elementis non ex B. Mariæ sanguine conflatum; 3.us Apollinaristarum, qui initio suæ hæreseos, inquit Socrates, lib. 2 Histor. cap. 46, dicebant corpus humanum sine animâ à Verbo assumptum esse; posteà verò tanquam pœnitentiâ deducti, emendantes, ad pristinum errorem adjecerunt animam quidem à Verbo assumptam fuisse, sed quæ mentem non haberet; Verbum autem loco mentis esse in homine assumpto. Contra quos omnes sit unica

PROPOSITIO.

Christus habuit corpus verum, terrenum, ex B. Mariâ conceptum, veramque mentem humanam.

Tres sunt propositionis partes.

Prob. 1.ª *pars, de vero non phantastico Christi corpore.* 1.° *Ex Script.* Psal. 39, ℣. 7: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, sive, ut loquitur Paulus, ad Heb. c. 10, ℣. 5, Christus *ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Apud Lucam, c. 24, ℣. 39, sic discipulos Christus alloquitur: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Joan. c. 1, ℣. 14: *Verbum caro factum est.* Heb. c. 2, ℣. 14: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse Christus similiter participavit iisdem.* Et verò, juxta Scripturas, Christus ex Mariâ natus, passus, mortuus est, et resurrexit: atqui hæc mysteria non potuerunt in ipso compleri absque vero corpore; ergo, etc.

2.° *Ex communi Patrum consensu.* S. Aug. Quæst. 14, sic habet: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est: est autem veritas Christus, non igitur phantasma fuit corpus ejus.* Cæteri omnes, nec diffitentibus adversariis, in eâdem fuêre sententiâ.

Prob. 2.ª *pars,* quòd nempè, *Christo fuerit corpus terrenum, ex Mariâ conceptum.* 1.° *Ex Script.* Luc. c. 1, ℣. 31: *Ecce,* inquit Angelus ad Mariam, *ecce concipies in utero et*

paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Rom. c. 1, ℣. 3, Christus dicitur *factus ex semine David secundùm carnem.* Gal. c. 4, ℣. 4 : *Misit Deus filium suum factum ex muliere.*

2.° *Ex SS. PP.* quos, quia dimittuntur nobis, exscribere supervacaneum esset.

3.° *Ex Symbolo Nicæno* : Jesus Christus *incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Mariâ Virgine.*

Prob. 3.ª *pars,* scilicet, quòd *Christus habuerit veram mentem humanam.*

1.° *Ex Script.* Psal. 15, ℣. 10 : *Non derelinques animam meam in inferno;* quæ de Christo intelligenda esse docuit S. Petrus, Act. c. 2, ℣. 27. Matth. c. 26, ℣. 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joan. c. 10, ℣. 15, Christus ait : *Animam meam pono pro ovibus meis ;* et c. 12, ℣. 27 : *Nunc anima mea turbata est.* Hæc autem anima quæ Christo inest, rationalis est; illa enim rationalis est anima, cui proprietates insunt vim intelligendi supponentes, nimirùm *spiritus sapientiæ,.... spiritus consilii,.... spiritus scientiæ et pietatis,* Isaiæ c. 11, ℣. 2; voluntas, Luc. c. 22, ℣. 42 : *Non mea voluntas sed tua fiat;* libertas, Joan. c. 10, ℣. 17, 18 : *Ego pono animam meam...; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.*

Et verò Christus, ut legitur Philip. c. 2, ℣. 7, *in similitudinem hominum factus est* : atqui homines rationalem obtinent animam ; ergo, etc.

Deindè singulis fermè Scripturarum paginis Christus vocatur filius hominis et homo, Joan. c. 8, ℣. 40; Act. c. 2, ℣. 22; Rom. c. 5, ℣. 15 : atqui tamen, ut habet S. Aug. Epist. 57 ad Dar-

danum, *Non est homo perfectus si vel anima corpori, vel animæ ipsi mens humana* (seu rationabilitas) *defuerit.*

2.° Juxta fidei Symbolum, Christus est *perfectus Deus, perfectus homo, ex animâ rationali et humanâ carne subsistens.*

3.° *Ratione theologicâ.* Juxta fidem, Christus passione et morte nobis promeruit vitam : atqui mors, passio et meritum Christi rationalem in ipso animam fuisse supponunt : mors enim ipsa est corporis ab animâ separatio ; dolor autem in animam solummodò cadere potest ; deniquè, meritum supponit libertatem, quæ extra substantiam rationalem subsistere nequit ; ergo, etc.

4.° Eadem doctrina, Patrum unanimi sensu roborata, in multis quoque Conciliis, sive particularibus, sive generalibus, asserta est, quorum textus, ut potè claros et satìs notos, hìc exscribere nimis longum et inutile esset.

Obj. contra 1.am *propositionis partem.* Ex Apost. Rom. c. 8, ℣. 3, *Deus* misit *filium suum in similitudinem carnis ;* ergo Christus non verum sed umbrativum corpus habuit.

Resp. Dist. ant. Deus misit filium suum in similitudinem carnis peccati, ut ibidem subjungitur, *conc. ;* in similitudinem carnis simpliciter, *nego.* Hæc itaque carnis similitudo vel figura non præcisè afficit carnem Christi, quæ vera, realis et solida fuit, ut modò probavimus, sed carnem peccati, id est, peccato inquinatam, cujus apparentiam Christus tantummodò habuit. Ita respondet Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 16 : *Apostolus dicit in similitudinem carnis peccati fuisse Christum, non quòd similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis,*

et non veritatem, sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi, etc.

Inst. 1.° Ex eodem, Philip. c. 2, ℣. 7, Christus *in similitudinem hominum factus* est; ergo figuratè tantùm homo fuit.

Resp. Nego cons. Similitudo enim duplex: vera seu naturalis, qualis reperitur inter duos homines; et adumbrata, quæ penes externam speciem tantummodò se tenet; hoc sensu tabella dicitur similis objecto ad cujus normam expressa fuit. Porrò in textu qui nobis objicitur, res est de verâ et naturali similitudine, ut clarè ostendunt verba immediatè præcedentia : Christus *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam*, id est, naturam, *servi accipiens, in similitudinem hominum factus.*

Inst. 2.° II. Corinth. c. 5, ℣. 16 : *Et si cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus;* ergo et Apostoli postmodùm agnovêre veram defuisse Christo carnem.

Resp. Nego cons. Sensus Apostoli non est ille quem adversarii fingunt; namque eodem sensu asserit se non ampliùs cognoscere Christum secundùm carnem, quo antè dixerat, *nos ex hoc neminem novimus secundùm carnem :* atqui hæc ultima non significant ex hoc neminem Apostolis fuisse notum qui verâ carne præditus esset; ergo à pari hæc ejudem Apostoli verba, *secundùm carnem Christum jam nunc non novimus*, nullo modo significant veram Christo defuisse carnem. Hæc est ergo naturalis textûs propositi interpretatio : et si olim cognovimus, id est, gloriati sumus in Christo secundùm carnem, vel secundùm carnales et terrenos affectus,

nempè quòd ex gente nostrâ natus, in eâ versatus fuit, etc., jam ad hujusmodi temporalia et sensibilia non attendimus; nunc de Christo sublimiùs sentientes, eum tantummodò novimus secundùm spiritum, id est, maximè respicimus ad bona spiritalia quæ nobis per vitam et mortem suam promeruit.

Obj. contra 2.am partem propositionis. Angelus Josephum alloquens, Matth. c. 1, ℣. 20, ait Jesum *in Mariâ* non autem *ex Mariâ* natum esse; ergo, etc.

Resp. Nego cons. In Mariâ siquidem, ait Tertullianus, *natum erat quod ex eâ natum erat.* Id patet ex aliis Scripturæ locis, Luc. c. 1, ℣. 35: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei;* Gal. c. 4, ℣. 4: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.*

Inst. 1.° Matth c. 12, ℣. 47 et 48: *Dixit* Jesu *quidam: Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* ergo Mariam ut matrem non agnoscebat.

Resp. Nego cons. Hæc dixit Jesus non quòd Mariam pro matre abnegaret, sed ut ostendat cognationem spiritalem carnali præponendam esse: ideò *extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

Inst. 2.° Joan. c. 2, ℣. 4, Christus Mariæ dicit: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Porrò si nihil est commune Jesum inter et Mariam, ex eâ certè corpus non assumpsit; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Nil est commune ratione di-

vinitatis, *conc.*; ratione humanitatis, *nego.* Hanc solutionem affert S. August. lib. de Fide et Symbolo, cap. 4 : *Nec nos*, inquit, *ad negandam Christi matrem cogit quod ab eo dictum est, quid mihi et tibi*, etc., *sed admonet potiùs ut intelligamus secundùm Deum non habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo.*

Inst. 3.° I Cor. c. 15, ℣. 47, Christus vocatur *homo de cœlo cœlestis;* ergo non terrenum ex Mariâ sed cœleste corpus habuit.

Resp. Nego cons. Christus vocatur homo de cœlo cœlestis, quia secundùm suam personam divinam è cœlo descendit, non secundùm corpus, quasi ex cœlestibus elementis compactum fuerit.

Obj. 1.° *contra* 3.am *propositionis partem.* Joan. c. 1, ℣. 14 : *Verbum caro factum est.* Undè sic : Eam tantùm hominis partem Verbum assumpsit, cujus meminit S. Joannes in Evangelio, ubi mysterium Incarnationis recenset : atqui solius carnis meminit; ergo, etc.

Resp. Nego maj. In textu S. Joannis pars pro toto, id est, corpus seu caro quæ hominis pars est pro toto homine sumitur. Hæc autem figurata locutio in Scripturis pluries adhibetur, putà, Gen. c. 6, ℣. 12 : *Omnis caro corruperat viam suam super terram ;* Psal. 64, ℣. 3 : *Ad te omnis caro veniet;* Joan. c. 17, ℣. 1, 2, Jesus dixit : *Pater ,..... clarifica filium tuum , ut filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Hinc pro istis Evangelistæ verbis, *Verbum caro factum est :* Patres Nicæni de Filio dixerunt, *Homo factus est.* Hujus nostræ responsionis auctor est S. Aug. Epist. 140 aliàs

aliàs 120 : *Scriptura*, inquit, *ut Christi humilitatem magìs ostenderet.., carnem pro homine posuit. Neque enim quia scriptum est, « Videbit omnis caro salutare Dei, » animæ ibi non sunt intelligendæ : nihil proindè aliud dictum est, « Verbum caro factum est », quàm si diceretur, Filius Dei Filius hominis factus est.*

Obj. 2.° In mysterio Incarnationis, Verbum supplere potuit vices animæ rationalis; hanc ergo, ut potè inutilem, non assumpsit.

Resp. Nego ant. Si Verbum animam rationalem corpori unitam non assumpsisset, nec dolores experiri, nec mortem subire, nec veniam hominibus mereri potuisset; hæc enim divinitatem et corpus inanimatum afficere non possunt.

Obj. 3.° SS. Athanasius, Basilius, necnon alii veteres Catholici, Apollinari, Laodiciæ Episcopo, conjunctissimi fuêre; ergo non putàrunt sententiam ejus sanæ fidei contrariam esse.

Resp. Apollinarem cum præfatis Ecclesiæ Doctoribus communionem servasse, quandiù conceptam hæresim in mente retinuit; sed ubi eam protulit exteriùs, statìm eos sensit adversarios.

ARTICULUS II.

De Proprietatibus corporis Christi.

De formâ et passibilitate corporis Christi quæstio instituitur. Circa primum nihil certi statui potest, cùm 1.° hâc de re omninò sileant Scripturæ; textus enim sacri qui ipsius pulchritudinem indicare videntur, v. g., *Speciosus formâ præ filiis hominum*, Psal. 44, ℣. 3, de animâ intelligi possunt; ii verò qui ejus deformitatem significant, ad tempus illius passionis possunt restringi.

2.° SS. PP. variè opinati sunt, pro diverso sensu juxta quem præfata Scripturæ testimonia intellexerunt. 3.° Si verò, supposità fide, consulatur ratio, videtur quòd fini Incarnationis conveniens non fuisset Christum eâ venustate donari quæ hominum admirationem rapuisset; venerat enim ut suo exemplo contemptum rerum sensibilium animis nostris ingereret; videtur proindè dicendum valdè fuisse consentaneum muniis quibus Christus fungebatur in terris, ut mediocri esset specie et staturâ.

Circa secundum, certum est inter omnes Catholicos, 1.° Christi corpus non subjacuisse infirmitatibus quæ toti humanæ naturæ non conveniunt, et ipsi sunt accidentales, quales sunt, v. g., morbi. Certum est 2.° Christum obnoxium fuisse dolori et communibus naturæ humanæ infirmitatibus, putà, siti, fami, frigori, etc. 3.° Apud eosdem etiam constat, magnum discrimen fuisse inter modum quo Christus iis subjacuerit, et nostrum. In Christo enim non erant pœna peccati ab ipso commissi; aliundè rationis ejus advertentiam non prævertebant, nec ipso invito excitabantur, nec ipsum perturbabant. At, salvâ fide, disputant utrùm Christus ex voluntate tantùm, non verò ex necessitate naturæ quam assumpsit, dolorem fuerit expertus, id est, utrùm naturâ suâ fuerit immunis à dolore, ita ut miraculo fuerit opus ad hoc ut pateretur.

PROPOSITIO.

Christus dolori et communibus naturæ humanæ infirmitatibus fuit obnoxius, et quidem naturaliter.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Isaiæ c. 53, ℣. 2, 3 : *Vidimus eum... virum dolorum et scientem infirmitatem.* Matth. c. 4, ℣. 2 : Jesus *cùm jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, posteà esuriit.* Joan. c. 4, ℣. 6 : *Jesus fatigatus ex itinere sedebat... supra fontem.* Luc. c. 24, ℣. 26 : *Oportuit pati Christum.* I Petri c. 2, ℣. 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hæc clara sunt nullàque interpretatione indigent.

2.° *Ex SS. PP.* Sufficiat Hieronymus, in cap. 53 Isaiæ : *Qui verè languores nostros et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putativè ut nova et vetus hæresis suspicantur, sed verè crucifixus est, verè doluit.*

3.° *Ex Symbolis,* in quibus Christi passiones asseruntur.

Prob. 2.ª *pars, Christum,* scilicet, non *ex voluntate* tantùm, sed *ex naturali humanitatis assumptæ statu* seu conditione, dolori et infirmitatibus humanæ naturæ communibus obnoxium fuisse. 1.° *Ex Script.* Heb. c. 2, ℣. 17 : Christus *debuit per omnia fratribus similari ;* et c. 4, ℣. 15 : *Tentatus* est *per omnia pro similitudine, absque peccato.*

2.° *Ex ratione.* Verisimillimum est Christum assumpsisse naturam per se Incarnationis fini accommodatam ; ergo, etc.

Obj. 1.° Clemens Alex. lib. 5 Stromatum : Christus *comedebat non propter corpus, quod sanctâ virtute continebatur, sed ne iis qui unà cum eo versabantur in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut certè posteà quidam existimârunt eum apparuisse visione et phantasmate ; ipse autem, ut semel dicam, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor ;* ergo, etc.

Resp. Nego cons. Hoc unum significare voluit, Christum non ex necessitate, sicut in nobis contingit, sed ex liberà electione, dolori obnoxium fuisse. Interpretationis hujus ratio sumitur ex aliis operum ejus locis, in quibus dogma catholicum clariùs expressit vel supposuit.

Obj. 2.° S. Hilarius, lib. 10 de Trinitate, n. 23 : *In quo* (Christo), inquit, *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet,... afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent ; ut telum aliquod aut aquam perforans,... aut aera vulnerans. Omnes quidem has passiones naturæ suæ infert ut foret, ut compungat, ut vulneret ; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dùm in naturâ non est vel aquam forari... vel aerem vulnerari, quamvis naturæ teli sit et vulnerare... et forare. Passus quidem est Dominus J. C. dùm cæditur, dùm suspenditur... ; sed in corpus Domini irruens passio nec non fuit passio ;... et virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis excepit..., habens ad patiendum quidem corpus, et passus est, sed naturam non habens ad dolendum ;* ergo, etc.

Resp. 1.° Vel ille S. Hilarii textus benignam pati potest interpretationem, ut pluribus vide-

tur, vel non potest, ut etiam non paucis inter Catholicos visum est : si primum, noster est S. Doctor; si secundum, non minùs illius auctoritate et suffragio gloriamur. Tunc enim priorem sententiam revocasse, nostramque amplexus fuisse dicendus est; namque Tractatibus in Psal., post opus de Trinitate conscriptis, veros dolores Christo, ut homini, disertè tribuit; sic in Psal. 53 : *Christus*, inquit, *omnia quæ hominum sunt passus est, esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, flevit, passus et mortuus est;* et in Psal. 68 : *Christus omnia ut homo et patitur et loquitur;* ut ergo verè loquitur ut homo, ita verè ut homo patitur.

Resp. 2.° Testimonii hujus multiplex à Catholicis afferri solet interpretatio. Aliqui putant S. Hilarium dolores Christo ut Deo tantùm abnegasse. Alii volunt ipsum à Christo non dolorem sed dolores subeundi necessitatem removisse. Juxta quosdam, Hilarius à Christo subduxit tantùm dolores nostris similes, junctos scilicet cum animi perturbatione et anxietate.

Quod contra thesim objicitur ex visione intuitivâ, quâ Christus potitus est, solvemus Dissert. 7, cap. 1.

ARTICULUS III.

Utrùm Christi corpus ex Virgine et operante Spiritu Sancto efformatum fuerit.

Olim negârunt Cerinthus et Carpocras matrem Christi virginem fuisse, tum ante partum, tum in partu, tum post partum. Jovinianus, IV seculo, admisit quidem B. Mariam in conceptu et ante partum fuisse virginem, sed affirmavit vir-

ginitatem amisisse in partu, et Christum peperisse instar aliarum mulierum. Erravit etiam hâc in parte Helvidius, asserendo B. Mariam post Christi partum virginem non remansisse, et multos cum S. Josepho habuisse filios. Hunc etiam errorem docuerunt Apollinaristæ, teste S. Epiphanio, Hæresi 77, n. 26.

PROPOSITIO.

Beata Maria fuit Virgo, sive ante partum, sive in partu, sive post partum.

Propositio est de fide quoad omnes partes.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* In *Tractatu de Religione*, probavimus Messiam ex virgine esse nasciturum, juxta illud Isaiæ vaticinium, c. 7, ℣. 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel;* ergo Christus, qui est Messias, ex virgine conceptus est; ergo B. Maria, quæ fuit mater Christi, virgo fuit in ipso conceptu, seu ante partum.

Matth. c. 1, ℣. 18 et seqq.: *Antequàm convenirent* (Maria et Joseph), *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Et paulò post: *Quod in eâ natum est, de Spiritu Sancto est... Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino...: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium.* Luc. c. 1, ℣. 30 et seqq.: *Ne timeas,* inquit Angelus ad Mariam, *invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies... et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altis-

simi obumbrabit tibi. Ex quibus testimoniis manifestè sequitur B. Mariam ante partum fuisse virginem.

2.° *Ex Traditione*, quæ docet semper habitos fuisse ut hæreticos, qui contrariam doctrinam tenuère, et è contrario Catholicos omnes nostrum dogma constanter professos fuisse. Traditionis testimonia infrà referemus.

Prob. 2.ª *pars*, scilicet, *B. Mariam in partu virginem permansisse.* 1.° *Ex Script.* Isaiæ c. 7, ℣. 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Matth. c. 1: *Virgo in utero habebit et pariet filium;* ergo in ipso partu, illibata mansit B. Mariæ virginitas.

2.° *Ex Traditione*, quæ testatur Jovinianum habitum fuisse ut hæreticum, eo quòd contrarium assereret. Præsens dogma asseruère S. Gregorius Nyssenus, Orat. in Nativ. Christi; S. Irenæus, lib. 5, cap. 19, contra Hæreses; S. Ambrosius, in Epist. ad Siricium Papam, etc.

3.° *Ratione congruentiæ.* Convenientissimum quippe erat ut mundi salvator mirabili modo ac contra consuetum ordinem conciperetur et nasceretur, sicque infinitam suæ divinitatis potentiam ostenderet.

Prob. 3.ª *pars. Ex Traditione :* 1.° ex Conc. Chalcedonensi, generali IV, quod in Allocutione ad Marcianum Imperatorem ait: *Virginitatem Mariæ à Christo sacratam esse, etiam post partum, uterumque ejus fuisse obsignatum, ut nullius injuriæ indè pateret.* 2.° Ex SS. PP., quorum longam seriem hic exhibet Petavius, lib. 14, cap. 3, 5 et 6; unum aut alterum appellabimus: S. Hieron. in toto libro contra Helvidium. S. Aug. Serm. 18: *Maria virgo con-*

cepit, virgo peperit, post partum illibata permansit. S. Basil. Hom. 25 : *Christi amantes audire non sustinent quòd Deipara aliquandò desierit esse virgo.* S. Ambros. præfatâ Epist. ad Siricium Papam: *Fuerunt qui negarent Mariam virginem permansisse ; hoc tantùm sacrilegium indemnatum non putamus relinquendum.* S. Epiphanius quam refellimus hæresim 78 numerat, illam in Apollinaristis reprehendit, illamque *Antidicomarianitarum* vocat.

Et verò, Maria dicta fuit à SS. PP. *Aiparthenos,* id est, perpetua virgo ; dicta fuit per excellentiam, antonomasticè, *Virgo ;* vix unquàm appellata est B. Maria, quin virginis nomen adjunctum fuerit, inquit S. Epiphanius, Hæresi 78 ; ergo semper habita fuit à Catholicis ut virgo post partum. De his lege Petavium, lib. 14, cap. 3.

Cæterùm, *nota* 1.° docuisse SS. PP. Beatam Virginem et Christi gestatione et partu nullum dolorem expertam fuisse. Lege Petavium, lib. 14, cap. 6.

Nota 2.° docuisse SS. PP. B. Mariam votum virginitatis emisisse. Hoc Mariæ votum indicant hæc Evangelii verba: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Non constat autem utrùm illud votum emiserit antequàm desponsaretur cum Josepho, utrùm verò virginitatem ante illud tempus duntaxat sibi proposuerit, et post desponsationem de consensu Josephi voverit.

Nota 3.° S. Epiphanium existimasse cum quibusdam aliis, Josephum ex altero conjugio præcedenti filios habuisse ; Josephum tamen semper virginem fuisse verisimilius est, inquit Petavius,

lib. 14, cap. 3. Hæc Petavii sententia, quæ ad fidem non attinet, multò plures habet patronos.

Nota 4.° Christi corpus ex substantiâ B. Mariæ virginis conceptum et efformatum fuisse; alioquin enim B. Maria nec Christum concepisset, nec esset ipsius mater, nec Christus esset ex semine Abraham, ut asseritur Heb. c. 2.

Obj. Matth. c. 1, ℣. 18: *Antequàm convenirent* Maria et Joseph, *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto;* ergo saltem posteà convenerunt.

Resp. Nego cons. Quòd dicitur, inquit S. Hieronymus, *antequàm convenirent, non sequitur ut posteà convenerint;* sed *Scriptura quòd factum non sit ostendit.*

Inst. 1.° Matth. c. 1, ℣. 25: Joseph *non cognoscebat* Mariam, *donec peperit filium suum primogenitum;* ergo posteà cognovit eam.

Resp. Nego cons. Particula, *donec*, quid ante Mariæ partum factum non sit unicè demonstrat. Sic ex eo quòd Deus, apud Isaiam c. 22, ℣. 14, dixit: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini,* nemo colligit hanc iniquitatem post mortem peccatoris dimittendam esse.

Inst. 2.° Ibidem, ℣. 25, Christus dicitur filius Mariæ *primogenitus;* ergo ex eâ prodierunt alii; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Primogenitus enim dicitur ille ante quem nullus, non post quem necessariò alius.

Inst. 3.° Fratres Christi nominantur in Scripturis, Matth. c. 13, ℣. 55; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Juxta morem Scripturæ, non solùm ejusdem patris et matris filii dicuntur

T 5

fratres, sed etiam cognati : Gen. c. 13, ℣. 8; et c. 29, ℣. 15.

CAPUT II.

De existentiâ Incarnationis adversùs Hæreticos qui Unionem Verbi cum Naturâ humanâ impugnârunt, aut labefactârunt.

Præsentis capitis quatuor erunt articuli : 1.us de hæresi Nestorianâ; 2.us de hæresi Eutychianâ; 3.us de hæresi Monothelitarum; 4.us de communicatione idiomatum adversùs Nestorianos et Lutheranos.

ARTICULUS PRIMUS.

De Hæresi Nestorianâ.

Nestorius primùm Monachus, deindè Clericus et Presbyter in Antiochenâ Ecclesiâ, tandem, ob eloquentiæ et pietatis famam, ad Constantinopolitanam sedem evectus est, anno 428; non multò post ex pastore versus in lupum, per se et per suos suam disseminavit hæresim. Docuit enim unionem Verbi divini cum naturâ humanâ non esse substantialem et hypostaticam, sed moralem tantùm, qualis reperitur inter amicos, templum inter et commorantem in eo, inter artificem et instrumentum ejus, inter veritatem et figuram, Deum et imaginem ejus. Hinc 1.° duas in Christo personas, divinam et humanam, duosque filios, naturalem et adoptivum, prædicabat. Hinc 2.° utriusque naturæ proprietatum nullam in Christo communicationem admittendam esse putabat, ideòque, juxta ipsum, nefas erat dicere, *Deus est*

homo, Homo est Deus, sed tantùm *deifer.* Hinc 3.° asserebat B. Virginem non esse *Theotocon* seu Deiparam; quippe quæ genuisset hominem cum Verbo divino tantùm moraliter unitum. Hinc 4.° docebat à Verbo assumptam fuisse naturam humanam cum suâ humanâ personalitate.

Præcipuus catholicæ fidei defensor fuit S. Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, qui et nomine Papæ Cœlestini I præfuit Concilio Ephesino, generali III, anno 431. In eo Concilio damnata est hæresis Nestoriana, et ipse Nestorius pertinax anathemate percussus; qui et jussu Theodosii Junioris Imperatoris, Oasim Ægypti oppidum relegatus, ibi, linguâ vermibus exesâ, mortuus est.

PROPOSITIO.

Natura divina et humana hypostaticè seu personaliter uniuntur in Christo; sive unica est in Christo persona Verbi, naturam utramque, divinam et humanam, terminans.

Prob. 1.° *ex Script.* Joan. c. 1, ℣. 14 : *Verbum caro factum est,* id est, filius Dei factus est homo. Undè sic arguitur : Vel filius Dei factus est homo per substantialem et hypostaticam suî cum humanâ naturâ unionem, eam in personæ suæ unitatem assumendo, vel per moralem duntaxat unionem, vel per suî conversionem : atqui duo posteriora dici nequeunt. 1.° Quidem filius Dei non homo factus est per conversionem suî in naturam hominis : talis enim conversio immutabilitati et perfectioni Dei repugnat. 2.° Neque per unionem moralem, qualis, v. g., reperitur inter amicos, templum inter et habitantem in eo; moralis enim

et accidentalis duorum unio non sufficit ut propriè dicatur unum fieri alterum; ergo, etc. Et verò solus Dei filius homo factus est : atqui tamen Pater et Spiritus unà cùm Filio in justis habitant, velut in templo : *Si quis,* dicit Christus, Joan. c. 14, ℣. 23, *diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* I Cor. c. 3, ℣. 16 : *Nescitis,* inquit Apostolus, *quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis;* ergo moralis et accidentalis unio Verbi per inhabitationem in homine, non sufficit ut homo fieri propriè dicatur : aliundè, Verbum non potuit caro fieri per suî conversionem; igitur caro factum fuisse in Evangelio dicitur, propter substantialem et hypostaticam suî cum humanâ naturâ unionem.

Idem argumentum erui potest ex c. 2, ℣. 6 et 7, Epist. ad Philip. in quo de Jesu sic loquitur Paulus : *Qui cùm in formâ,* id est, naturâ *Dei esset,..... semetipsum exinanivit formam* seu naturam *servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Insuper in Script. passim Verbum seu filius Dei, hominis filius et homo prædicatur, Joan. c. 1, et Phil. c. 2, ut suprà; et vice versâ, *hominis* seu Mariæ *filius, Dei filius et Deus* nuncupatur, Matth. c. 16, ℣. 13 ad 16 : *Jesus...... interrogabat discipulos suos dicens : Quem dicunt homines esse filium hominis?..... Respondens Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei;* et Joan. c. 20, ℣. 27, 28 : Jesus *dicit Thomæ :... Affer manum tuam et mitte in latus meum.... Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus.* Item, quæ humanitatis propria sunt de Verbo divino

affirmantur, Rom. c. 8, ℣. 32 : Deus *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et vicissim, quæ divinitatis propria sunt, hominis filio tribuuntur, Joan. c. 3, ℣. 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Atqui ejusmodi nominum et attributorum utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ communio et reciproca affirmatio, manifestè supponit eas secum invicem substantialiter, et in personæ unitatem conjungi; duo enim quoad naturam distincta, non possunt de se invicem legitimè prædicari, quin identificentur : sed non identificantur quoad naturam, ex hypothesi; superest ergo ut quantùm ad personam identificentur, ita ut in unicà subsistant personâ.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Athanasius, lib. de Incarn. contra Paulum Samosatensem : *Homo una persona est et unum animal, ex spiritu et carne compositum, ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam, et non duas.*

S. Gregorius Nazianz. Orat. 51 : *Si quis duos filios, alterum ex Deo Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eumdem induxerit, is ab eâ quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quanquam enim Deus et homo duæ naturæ sint, quemadmodùm et anima et corpus, non tamen duo filii, nec Dii, quemadmodùm ne hìc quidem duo homines.*

S. Ambros. lib. de Incarn. Domini, cap. 5 : *Non alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.*

S. Aug. in Enchiridio, cap. 35 : *Christus Jesus est Deus et homo : Deus, quia Dei Verbum;*

homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro. Hæc Patrum testimonia, quibus aliorum plurima subjicere possemus, adeò clara sunt, ut expositione non indigeant.

Prob. 3.° *ex Conc. Ephesino, generali III,* quod duodecim S. Cyrilli contra doctrinam Nestorii anathematismos probavit, quorum secundus ita concipitur : *Si quis non confitetur Verbum Dei Patris, carni secundùm hypostasim* (id est, personam) *unitum, unumque unâ cum suâ esse Christum, eumdem nimirùm Deum simul et hominem ; anathema sit.*

Prob. 4.° *ex Symbolis,* Apostolico nempè, Nicæno et Athanasio, in quo posteriori sic legitur : *Qui* (Christus) *licèt Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus : unus... assumptione humanitatis in Deum, unus... unitate personæ.*

Prob. 5.° *Ratione theologicâ.* Ea doctrina est prorsùs rejicienda, quæ mysteria Incarnationis et redemptionis, ipsumque Religionis Christianæ fundamentum evertit : atqui doctrina Nestoriana evertit mysteria Incarnationis, etc.

1. Mysterium Incarnationis evertit : In hoc enim consistit illud mysterium, ut solum Verbum sit incarnatum : atqui si personalis non sit unio Verbi cum humanitate, tunc Pater ac Spiritus Sanctus pariter cum Verbo incarnati fuissent, quippe, præter personalitatem, omnia tribus personis sunt communia.

2. Mysterium redemptionis destruit : Si enim in Christo duplex sit persona, vel redemptio generis humani fieret à personâ divinâ, vel à personâ humanâ : atqui non à personâ divinâ,

quæ in suâ naturâ nec pati nec mori potuit; non etiam à personâ humanâ, quæ parem non posset pro peccatis offerre satisfactionem.

3. Tollit fundamentum Religionis Christianæ, quæ Christo nato ex virgine, crucifixo, etc., adorationis cultum semper exhibuit : sed positâ Nestorii doctrinâ, adorationis cultus Christo ex virgine nato, crucifixo, etc., non foret exhibendus; namque, juxta Nestorium, Christus natus, crucifixus, etc., mera est hominis persona, moraliter quidem Deo Verbo conjuncta, sed quæ idcircò non desiit esse mera hominis persona; ergo, etc.

Obj. 1.° Puris hominibus Dei et filii Dei nomen aliquandò tribuit Scriptura, Exod. c. 4, ℣. 22, et c. 7, ℣. 1; Psal. 81, ℣. 6; ergo, licèt Christus homo seu Mariæ filius appelletur Deus et filius Dei, minimè sequitur ipsum in unâ Verbi personâ subsistere.

Resp. Nego cons. Namque in objectis Scripturæ locis, Dei et filii Dei vocabula, nonnisi metaphorico sensu intellecta puris hominibus tribuuntur; Dei autem et filii Dei nomen litterali et maximè propriâ significatione, Christo homini seu Mariæ filio tribuitur, ut constat ex textibus Scripturæ mox citatis et aliis, in quibus dicitur *Filius Dei proprius; Deus, super omnia benedictus in secula :* porrò, ex eo quòd aliquis homo metaphoricè Deus appelletur, reverà concludere non licet hominem illum in aliquâ Trinitatis personâ subsistere. È contrà, si Dei vel filii Dei nomine absque metaphorâ nuncupetur, tunc assumptionem ejus in personæ unitatem credere tenemur; homo enim non potest dici propriè Deus et filius Dei, quin cum Deo identifice-

tur; sed homo non potest cum Deo identificari quoad naturam; superest ergo ut quoad personam identificetur. Ergo ex Scripturæ testimoniis, in quibus Christus homo, Deus et filius Dei vocatur, meritò credimus ipsum hypostaticè cum Verbo conjungi, quamvis nihil simile inferri liceat ex paucis Scripturæ locis in quibus Dei vel filii Dei nomina puris tribuuntur creaturis.

Obj. 2.° Joan. c. 2, ℣. 19, 21 : *Solvite*, inquiebat Jesus, Judæos alloquens, *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud;... ille autem dicebat de templo corporis sui :* atqui Verbum hypostaticè non unitur cum templo suo; ergo, etc.

Resp. Nego min. Sicut enim corpus nostrum rectè dicitur in nobis templum animæ: quamvis in personæ unitatem cum ipsâ conveniat, ita Christi humanitas hypostaticè Verbo uniri potest, quamvis sub alio respectu eadem humanitas spirituale Verbi templum sit; itaque non in eo situs est error Nestorii, quòd humanam Christi naturam templum Verbi appellaret, sed quòd nonnisi templum existimaret. Nam utrumque simul verum est, nempè Verbum in personæ unitatem Mariæ filium assumpsit, et in eo velut in spirituali templo per gratiam suam specialiter habitavit.

Obj. 3.° Multi Patres eodem modo de Incarnatione locuti sunt ac Nestorius; ergo unionem hypostaticam Verbi cum naturâ humanâ negârunt. *Antec.* verum est; quidam enim pronuntiant hominem fuisse à *Verbo assumptum*, ita S. Ambr. lib. de Fide, cap. 4; S. Aug. lib. 11 de Civitate Dei, cap. 2. Alii Christum vocant hominem *Deiferum, Deificatum, et Dominicum*,

S. Basil. lib. de Spiritu Sancto, S. Athan. in Expositione Fdei, et S. Aug. lib. 83, quæst. 36. Sunt qui humanitatem Christi *templum* seu *domum* vel *domicilium Dei* appellant, S. Athanas. lib. de Incarn.; S. Gregor. Nyssenus, lib. 2 contra Eunomium. Alii *divinitatis instrumentum* eam vocant, S. Athan. Ibidem; S. Cyrill. dialogo de Incarn. : atqui omnes istæ loquendi formulæ à Nestorio usurpatæ sunt; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Multi Patres eodem modo de Incarnatione locuti sunt ac Nestorius, sed planè diverso et opposito sensu, *conc.*; eodem sensu, *nego*. Itaque non rarò contingit ut idem loquendi modus in variis à quibusdam usurpatus, non solùm diversam, sed etiam contrariam habeat significationem; ut ergo demonstrarent adversarii Patres citatos Nestorio favisse, non sufficit ut quædam eorum proferant testimonia, quoad expressionem quibusdam loquendi formulis à Nestorio usurpatis similia; insuper requiritur ut evincant sensum ex utrâque parte unum et eumdem fuisse, quod certè nunquàm exsequi poterunt. Imò, contrarium facilè probatur; scilicet, præfatæ loquendi formulæ in ore Nestorii hæresim sonant, tum quia eas, licèt catholico dogmati exprimendo insufficientes, semper adhibuit; tum etiam quia plures alias adjecit, impietatem omninò spirantes. In ore verò Patrum, qui mysterium Incarnationis accuratè in aliis operum suorum locis tradunt, sensu catholico intelligi debent; nempè, cùm aiunt *hominem* à Verbo *fuisse assumptum*, hominem in abstracto, pro naturâ scilicet humanâ, usurpant. Deindè, Christum vocant *Deiferum*, eo sensu quòd Deum ferat sibi intimè et personaliter unitum;

Dominicum, quia simul Dominus et homo est, appellant; *Deificatum*, id est, Deum hominem factum. *Templum Verbi* nuncupant, sed juxta sensum Apostoli, de Christo dicentis, Col. c. 2, ℣. 9: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, id est, substantialiter, per unionem hypostaticam. Deniquè, *Verbi instrumentum*, sed intimè ac personaliter unitum Verbo.

Cæterùm quia Patres illi ante Nestorianam hæresim scripserunt, mirum nulli videbitur, si quasdam minùs accuratas in explicando Incarnationis mysterio voces identidem adhibuerint, idque Nestorianis respondere possumus, quod Pelagianis olim S. Aug., lib. 1 contra Julianum, cap. 6: *Vobis nondùm litigantibus*, Patres *securiùs loquebantur*.

Obj. 4.° S. Chrysost. Homil. 3 in Epist. ad Heb., sic loquitur: *Apostolus hìc*, scilicet c. 1, ℣. 8, *et Judæos et Pauli Samosateni asseclas, et Arianos, Marcellumque et Sabellium feriit et Marcionem. Quomodò, Judæos quidem, ostendens duas personas, et Deum et hominem*, etc.; ergo duas in Deo et homine, Christo scilicet, personas agnovit Chrysostomus.

Resp. 1.° Etsi daremus adversariis S. Chrysostomum, ante damnatam Nestorii hæresim ipsi patrocinatum fuisse, non ideò fides catholica nutaret; quid enim unus contra omnes? Sed absit ut tam impium errorem S. Doctori tribuamus; itaque

Resp. 2.° *Nego cons.* Ab intrinseco enim, et independenter à discussione præfati textûs, constat Chrysostomum, nec in loco citato, nec in alio quovis, Nestorianam hæresim propinasse;

namque 1.° unicam in Christo esse personam tradidit in Epist. ad Cæsarium, his verbis : *Pium et valdè pium Christum confiteri in divinitate perfectum, et in humanitate perfectum, non alterum et alterum, absit ; sed unum et eumdem Dominum Jesum Deum Verbum, carne nostrâ amictum... Etsi enim duplex natura, veruntamen indivisibilis... unio, quam in unâ filiationis confiteri debemus personâ, et unâ subsistentiâ ;* hæc autem in gratiam catholici dogmatis tam clarè quàm expressè asserta sunt, ut contrariam hæresim in Homiliâ quæ nobis objicitur tradere non potuerit sine manifestâ contradictione, quæ in Doctore tam eximio, et circa fundamentalem Religionis articulum, omninò repugnat. 2.° Nestorius, licèt palàm à plebe suâ novitatis accusatus, in judicium licèt vocatus eo quòd à prædecessorum suorum Gregorii, Nectarii, Chrysostomi et aliorum doctrinâ recessisset, licèt non ignarus Homiliæ S. Chrysostomi quæ nobis objicitur, cùm à Constantino, Presbytero Antiocheno, statim post S. Doctoris obitum evulgata fuerit, Nestorius, inquam, et fautores ejus, nunquàm in hæreseos suæ præsidium prædictam S. Præsulis Homiliam protulerunt ; ergo reverà huic hæresi non favet. 3.° Nullus ex veteribus Catholicis Chrysostomum Nestorianismi accusavit ; imò, ex testimoniis ejus, necnon eximiâ auctoritate, plures Nestorium impugnârunt ; nempè, Cassianus, lib. 7 de Incarnat. Christi, cap. 30 ; S. Cœlestinus Papa, et S. Cyrillus, in Epistolis suis ad Clerum et populum Constantinopolitanum ; ergo, etc.

Resp. 3.° textum in objectione propositum diversimodè legi : editio græca Veronensis, cui

pleræque versiones latinæ concordant, sic habet: *Apostolus... ostendens duas personas, et Deum et hominem.* In editione græcâ Etonensi, quam Savilius Anglus ex variis manuscriptis adornavit, cuique nova Patrum Benedictinorum editio conformis est, in illâ, inquam, sic legitur: *Apostolus..... ostendens eumdem esse duo, et Deum et hominem.* Deniquè, versio latina, quam Mutianus, jussu Cassiodori, VI edidit seculo, ita Chrysostomi mentem exhibet: *Apostolus... ostendens duas personas, et unum Deum;* quibus expositis, sic argumentor: Certè Chrysostomus in textu objecto Nestorianam hæresim minimè obstruit, si textus ille, quoquo modo legatur, à Nestorianâ lue sit immunis: atqui res ita est. 1.° Si tertiam Mutiani lectionem amplectamur; tunc enim sensus erit, Apostolus Judæos unicam in Deo personam confitentes refellit, *ostendens* eis *duas* in Deo *personas,* Patrem et Filium, qui sunt unus et idem Deus. 2.° Si Etonensem sequamur lectionem; quippe tunc sensus erit, *ostendens* adversùs Judæos, Christi divinitatem negantes, eumdem Christum esse *duo,* id est, duas habere naturas, divinam et humanam. 3.° Tandem, si cum editore Veronensi legamus, *ostendens duas personas, et Deum et hominem,* locus etsi paululùm difficilis, catholico tamen sensu in hunc modum accipi debet: ostendens adversùs Judæos duas personas in Deo, Patrem et Filium, et simul ostendens Deum et hominem in Christo; hæc autem interpretatio, maximè catholica, probari potest ex voculâ, *et,* quæ *Deum et hominem* immediatè præcedit. Scilicet conjunctionis hujus ea vis est, ut *Deum et hominem ad* participium

ostendens referat, et repetitionem ejus suppleat, quasi dictum fuisset ostendens duas in Deo personas, et simul ostendens Deum et hominem in Christo. Sin minùs arriserit hæc explicatio, mendum in textu irrepsisse supponendum est.

Obj. 5.° Synodus Ephes. generalis non fuit, nec judicium ejus canonicum; ergo non valet ipsius definitio, quam in nostræ thesis probationem attulimus.

Resp. Nego ant. quoad utramque partem. 1.° Conc. Ephesinum generale debet reputari; illud enim est Concilium generale, quod inter generalia Concilia ab omnibus computatur Catholicis : atqui Concilium Ephes. inter generalia Concilia ab omnibus computatur Catholicis, ut constat ex iis qui de hoc Concilio scripsêre; undè ista S. Gregorii, Papæ, in Epist 25 aliàs 24, ad Joannem, Patriarcham Constantinopolitanum : *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor, Nicænum scilicet..., Constantinopolitanum..., Ephesinum, in quo Nestorii impietas judicatur, et Chalcedonense.* Et verò, Synodus Ephes. generalis fuit, 1. *convocatione :* ad eam siquidem vocati sunt omnes ex orbe catholico Episcopi, ut testantur ipse Theodosius Imperator, in Epist. suâ ad Cyrillum, quæ exstat primâ parte Concilii Ephes., cap. 31; Evagrius, lib. 1, cap. 3; Liberatus, cap. 5 Breviarii; et Nicephorus, lib. 10 Hist., cap. tertio. 2. *Congregatione;* ipsi enim adfuerunt Episcopi numero sufficientes ad repræsentandam omnem Ecclesiam, ducenti scilicet Orientales, ex libello S. Cyrilli et Memnonis, Ephesinæ Synodi Patribus oblato; tres verò ex Occidente à Cœles-

tino Papâ deputati, qui locum ejus tenerent, et fidem Occidentalium in Synodo Romanâ paulò ante confirmatam testarentur, ut constat ex actione 3.â Concilii, col. 627, tom. 3 Concil. edit. P. Labbæi. 3. *Exitu;* in eâ siquidem communibus votis, non per vim extortis, sed liberè prolatis fides asserta, et Nestorii depositio facta fuit, cujus rei fidem faciunt Concilii Acta, necnon Epistola Imperatoris ad Patres Concilii, per Candidianum Comitem missa, Conciliorum tom. 3, col. 441. Ergo 1.° Synodus Ephes. generalis dicenda est.

2.° Judicium ejus canonicum fuit; latum est enim, 1. ab auctoritate legitimâ, nempè à Patribus in Concilio generali congregatis; 2. adversùs hæreticum debitè convictum et pertinacem, Nestorium scilicet; ipse enim pluries venire compulsus, ut responderet de iis quæ ipsi tum scripto, tum citra scriptum objiciebantur, constanter autem renuens, ex propriis operibus suis in Concilio latis, et ex testimonio quorumdam Episcoporum, nefandæ hæresis auctor defensorque est inventus, Actione 1.â, col. 504 et seqq. 3. Servata fuit quæ à Canonibus præscripta est judiciorum forma, nempè Concilium sententiam adversùs Nestorium non tulit, nisi postquàm ter citatus fuisset, Actione 1.â, col. 533 et seqq.; ergo 2.°, etc.

COROLLARIUM.

Ergo B. Virgo Maria verè Theotocos seu *genitrix Dei est, appellarique debet.*

Prob. Ex dictis, unica est in Christo Verbi divini persona, naturam utramque, divinam scilicet et humanam, terminans; ergo utriusque

naturæ hujus proprietates, de personâ Verbi, quæ Deus est, prædicari possunt et debent; ergo de personâ Verbi seu de Deo affirmari debet quòd ex Mariâ Virgine conceptus, natusque fuerit, et consequenter de Mariâ, quòd mater Dei sit.

Eadem veritas catholica 1.° ex Scripturis adstruitur, Luc. c. 1, ℣. 43: *Undè hoc mihi,* inquit Elisabeth Mariam alloquens, *ut veniat mater Domini mei ad me?* Gal. c. 4, ℣. 4: *Misit Deus filium suum factum*, id est, genitum *ex muliere,* Mariâ scilicet: porrò si filius Dei, et consequenter Deus, ex Mariâ genitus sit, Dei mater ipsa dicatur necesse est; etenim duo sunt correlata, quorum unum non potest esse neque concipi absque altero.

2.° Ex SS. PP. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 51: *Si quis S. Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* S. Hieron. lib. contra Helvidium: *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus*, in Scripturis scilicet. S. Aug. in Enchiridio, cap. 36: *Invenisse apud Deum gratiam* (Maria) *dicitur ut Domini sui, imò omnium Domini mater esset;* et cæteri omnes, quos exscribere nimis longum foret.

3.° Ex Concil. Ephesino, general. III: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, et ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundùm carnem); anathema sit.*

Obj. Virgo Maria non genuit divinitatem; ergo mater Dei non est.

Resp. Nego cons. Ut enim verè Deipara sit et nominetur, satis est quòd secundum carnem genuerit eum qui Deus est, in personâ Verbi

subsistens; nec requiritur ut divinitatem genuerit, quemadmodùm ut mulier aliqua sit mater cujusdam hominis, necesse non est ut animam genuerit, sed sufficit ut secundùm corpus ortum homini dederit.

Inst. 1.° Mulier ex eo quòd corpus filio suo præbuerit, dici quidem potest causa, seu mater istius corporis, vel etiam totius compositi ex animâ et corpore talis hominis, putà Jacobi; sed à nullo dicitur mater animæ, cujus auctor non fuit; ergo à pari, Maria dici potest mater hominis, vel etiam Christotocos (mater Christi) ut dicebat Nestorius, non verò mater Dei.

Resp. Nego cons. et parit. Disparitas est quòd anima non sit persona in homine; ideò non possunt de animâ prædicari, quæ corporis humani propria sunt, dicendo scilicet quòd genita nataque sit ex matre. In Christo autem Deus est ipsa Filii persona seu hypostasis, de quâ, ut potè naturam humanam cum divinâ terminante et ultimò complente, possunt imò debent affirmari omnia quæ humanitatis propria sunt, putà, quòd genitus, natusque sit ex Mariâ Virgine; undè sequitur Mariam ipsius esse matrem.

Inst. 2.° Mater debet esse filio suo consubstantialis : atqui Maria non est Deo consubstantialis; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Mater debet esse filio consubstantialis, secundùm aliquam filii sui partem seu naturam, *conc.;* omni ex parte, *nego.* Similiter *dist. min.* Maria non est cônsubstantialis Deo, secundùm naturam divinam, *conc.;* secundùm naturam in tempore ab illo assumptam, *nego.* Solutio patet.

Inst. 3.° Si Maria dicatur mater Dei, excusabilis

bilis erit gentilitas, matres diis subintroducens; falsum *cons.*; ergo et *ant.*

Resp. Nego ant. Gentiles enim Deos suos ex matribus secundùm naturam divinam ortos esse dicebant; nos verò dicimus ex Mariâ Deum prodiisse, secundùm carnem tantùm.

Inst. 4.° Saltem ab ejusmodi locutione abstinendum foret, ne simplices putent Mariam esse deam, divinitatisque matrem.

Resp. Nego ant. Titulus Deiparæ quem Virgini tribuimus, ex se nullum menti perversum ingerit sensum, imò catholicum, et Reginæ cœli summè gloriosum naturaliter repræsentat. Undè silentio premi non debet propter scandalum à simplicibus removendum, cùm alterâ et facili viâ tolli possit ejusmodi scandalum, explicando scilicet mysterium Incarnationis.

ARTICULUS II.

De Hæresi Eutychianâ.

Eutyches, Presbyter et Archimandrita Constantinopolitanus, ante medium V seculi, cùm veritatem de unicâ Christi personâ contra Nestorium acerrimè propugnasset, in errorem oppositum lapsus est. Docuit enim post unionem hypostaticam duarum in Christo naturarum, unicam remansisse. Hanc impietatem sic evomuit in Concilio Constantinopolitano: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem; post unionem verò confiteor unam naturam.* At quomodò ex duabus naturis unam resultasse dixerit Eutyches, an per conversionem, vel confusionem, aut compositionem, disputatur. De hâc quæstione,

1.° Certum est præfatum Hæresiarcham, cùm à Patribus Synodi Constantinop. compelleretur ut suam aperiret mentem, ab explicatione exspostulatâ constanter abstinuisse: *Ego non veni disputare*, inquiebat, *sed veni suggerere sanctitati vestræ quid sentiam.*

2.° Probabilius videtur hoc sensu Eutychianos naturam unicam in Christo post unionem admisisse, quòd, scilicet, humanitas à divinitate, in quam conversa est, absorpta fuerit. Testis est ipse Theodoretus, auctor coætaneus, in suo contra Eutychianos Dialogo, in quo sic loquentem inducit Eutychianum: *Ego dico mansisse divinitatem, ab hâc verò absorptam fuisse humanitatem, ut mare guttam mellis si accipiat. Statìm enim gutta illa evanescit, maris aquæ permixta... Non dicimus deletam esse naturam quæ assumpta est, sed mutatam esse in substantiam divinitatis.* Fatendum tamen est quosdam Eutychetis asseclas postmodùm hæresim magistri temperasse, dicendo scilicet, unam ex duabus naturis integris remanentibus per compositionem coaluisse, quomodò ex animâ et corpore unica resultat natura, humana, scilicet.

Damnatus est Eutyches, anno 448, in Concilio privato Constantinopolitano. Concilium istud approbavit S. Leo, Summus Pontifex, qui egregiam de Incarnatione epistolam ad Flavianum, Patriarcham Constantinopolitanum, rescripsit. Ab Imperatore Theodosio obtinuit tamen Eutyches ut causa de novo expenderetur: atque ideò Ephesi coactum est Concilium, anno 449, quod, cùm in eo per fas et nefas, duce Dioscoro, Patriarchâ Alexandrino, omnia acta fuerint, *Latrocinium Ephesinum* dictum est. Tandem sub

Marciano, Theodosii successore, anno 451, Concilium generale IV Chalcedonense celebratum est, cui per suos legatos præfuit S. Leo, Summus Pontifex, et in eo irreformabiliter damnata est Eutychiana hæresis.

Non tamen hujus Concilii auctoritate penitùs exstincti sunt Eutychiani; imò verò, innumeris exindè cædibus ac turbis Orientalem Ecclesiam miscuerunt, præsertim cùm anno 482 Zeno, Imperator, suo edicto, quod *Henoticum* seu unitivum appellatur, solam Symboli Nicæni professionem, tacitâ Chalcedonensis Synodi formulâ, ab omnibus teneri præscripserit.

Præcipuæ Eutychianorum sectæ ad duas generatim revocari solent, alteram *Theopaschitarum*, qui ideò sic sunt appellati, quòd divinitatem, in quam conversam dicebant humanitatem, passam fuisse docerent; alteram *Acephalorum*, id est, sine capite, sic dicti eo quòd Petrum Moggum Pseudo-Patriarcham Alexandrinum secuti, ab eo posteà scissi sunt. Ex Acephalis originem ducunt Jacobitæ, à Jacobo quodam Syro nuncupati: quod nomen hodiè Nestorianis et Eutychianis in Ægypto et per totum Orientem commune est. His historicè præmissis, sit

PROPOSITIO.

Duæ sunt in Christo naturæ realiter distinctæ, divina scilicet et humana.

Prob. 1.° *ex Script.* Phil. c. 2, ℣. 6 et 7: *Christus..., cùm in formâ Dei esset,... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ille duas habet naturas, qui formam, id est, naturam Dei simul

et formam servi, id est, naturam hominis possidet : atqui, ex allato textu, Christus, etc. ; ergo, etc. Deindè, in pluribus Scripturæ locis, Christus homo Deusque vocatur, ipsique tribuuntur proprietates divinitatis et humanitatis, ut suprà probavimus; ergo divinam humanamque naturam habet.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Gregorius Nazianzenus, Carmine 2 :

Deus et mortalis in orbem
Venit, naturam duplicem complexus in unum.

S. Ambros. libro 2 de Fide, cap. 9 : *Servemus distinctionem divinitatis ; unus in utrâque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura est.*

S. Cyrillus, Epist. 2 ad Nestorium : *Quamvis naturæ sint diversæ, verâ tamen unione coeuntes unum nobis Christum et filium effecerunt. Non quòd naturarum differentia propter unionem sublata sit, verùm quòd divinitas et humanitas, secretâ quâdam ineffabilique conjunctione, in unâ personâ unum nobis Jesum Christum et filium constituerint.*

Prob. 3.° *ex Symbolis.* In Symbolo Athanasiano sic legitur : Christus *perfectus Deus, perfectus homo, ex animâ rationali et humanâ carne subsistens.*

Prob. 4.° *ex Concilio Chalcedonensi, generali IV*, cui adfuêre quingenti numero et ampliùs Episcopi : *Confitemur*, inquiunt, Actione 5.ª, *unum eumdemque Christum, filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquàm sublatâ differentiâ na-*

turarum, propter unitionem, magìsque salvâ proprietate utriusque naturæ.

Prob. 5.° *ex ratione theologicâ.* Si ex duabus naturis unica post unionem in Christo remansisset, vel illud fuisset factum ope confusionis seu permixtionis, vel ope conversionis, vel postremò compositionis ope: atqui nihil horum dici potest. Non 1.um: summa enim divinitatis perfectio ac immutabilitas ejus, permixtioni cum naturâ creatâ et confusioni repugnat penitùs. Non 2.um: namque divinitas in humanitatem converti non potuit, alioquin fuisset mutata, nec humanitas in divinitatem, quæ in hâc hypothesi passa et mortua fuisset. Nec 3.um: etenim unica natura per compositionem exsurgere non potest ex partibus completis, sed ex incompletis tantùm: atqui natura divina, prout subsistit in Verbo, et humanitas ab illo assumpta completæ sunt, id est, non indigent inter se substantialiter uniri, ut ex certis fidei rationisque principiis evidenter deducitur; ergo, etc.

Obj. 1.° Joan. c. 1, ℣. 14: *Verbum caro factum est;* ergo reverà conversum est in carnem seu hominem; ac proindè unica post unionem remanet natura, humana scilicet.

Resp. Nego cons. Namque ut loquitur S. Joannes Damascenus, lib. 3, cap. 6, ℣. 11, *Verbum carnem fieri, idem est ac ipsam Verbi personam, sine ullâ mutatione, carnis* (id est, naturæ humanæ) *personam factam esse.* Quam interpretationem exemplo familiari illustrat S. Augustinus, Serm. 187 aliàs de tempore 27: *Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cùm id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed, illo integro, ista in quâ proce-*

dat assumitur, ut et intùs maneat quod intelligatur, et foris sonet quod audiatur : hoc idem tamen profertur quod antè sonuerat in silentio; atque ita verbum, cùm fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, et assumptâ carnis voce procedit ad audientem et non deserit cogitantem : ita Verbum in se manens, caro factum est. Itaque sensus testimonii Joannis iste est : Verbum, ab æterno habens divinitatem, factum est in tempore habens simul humanitatem. Et verò, duplici tantùm sensu intelligi potest Verbum carnem factum fuisse, nempè per unionem hypostaticam Verbi cum carne, vel per conversionem Verbi in carnem : atqui sensus posterior, ut potè rationi necnon Scripturis evidenter contrarius, à mente S. Joannis omninò alienus est; ergo prior eligi debet.

Inst. Joan. c. 2, ℣. 9, ubi dicitur *aquam vinum* esse *factam*, sensus est aquam in vinum fuisse conversam; ergo à pari, cùm dicitur *Verbum caro*, etc.

Resp. Nego cons. et parit. Subjectæ materiæ diversitas exigit ut duo textus illi diversimodè intelligantur, nimirùm aqua facilè potest à Deo in vinum converti; Deus autem in hominem mutari nequit.

Obj. 2.° Juxta Symbolum Athanasianum, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus :* atqui ex animâ et corpore simul junctis unica exsurgit natura, humana scilicet; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Hæc nimirùm comparatio ab auctore Symboli usurpata, non in omnibus usurpari debet, juxta illud effatum : *Omnis comparatio claudicat.* Penes personam, non

verò naturam, se tenet, ita ut sensus iste sit, quemadmodùm anima et corpus in unicam personam conveniunt, sic Deus et homo in unicâ Christi subsistunt personâ. Hæc responsio probatur ex aliis ejusdem Symboli versiculis, qui duas in Christo naturas apertiùs exprimunt.

Obj. 3.° Multi Patres, quos citatos videris apud Petavium, lib. 3, cap. 2, unionem naturarum in Christo *mixturam* et *mixtionem* vocant; ergo censuerunt illas in unicam per confusionem coaluisse.

Resp. Nego cons. Mixturæ et mixtionis nomina quæ Patres identidem adhibuêre ad exprimendam unionem duarum in Christo naturarum, ad vivum resecanda et crassiori sensu intelligenda non sunt, quasi voluerint duas naturas in Christo per confusionem ad unam reducere, cùm præfati Doctores alibi et sæpiùs duplicis in Christo, etiam unione factâ, naturæ integritatem admittant. His ergo nominibus usi fuêre ad significandam unionem duarum in Christo naturarum, arctissimam esse et totalem, ut contingit in liquoribus, qui arctissimè et inseparabiliter secundùm omnes suî partes, etiam minutissimas, localiter uniuntur. Et verò, idem sit judicium de omnibus aliis Ecclesiæ Doctoribus qui hanc loquendi formulam usurpârunt, ac de S. Aug.: atqui ille S. Doctor, mixturæ nomen in carne applicando, naturarum confusionem introducere noluit; sic enim legitur Epist. 137 ad Volusianum: *In hâc* Christi *personâ mixtura est Dei et hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri ut neuter servet integritatem suam: quanquam et in ipsis corporibus, aeri lux in-*

corrupta misceatur. Duas ergo Christi naturas ita per unionem misceri volebat Augustinus, ut suam utraque, præter id quod in liquoribus contingit, integritatem servaret.

Obj. 4.° S. Cyrillus Epist. 1 ad Successum : *Post unitionem*, inquit, *dicimus unam naturam Verbi Dei incarnatam ;* ergo, etc.

Resp. Nego cons. Ex objectis S. Cyrilli verbis è contrario sequitur ipsum duas in Christo naturas admisisse, unam scilicet assumentem, et alteram assumptam; nempè si dixisset simpliciter unam esse in Christo naturam, tùm quidem valeret objectio ; sed quia incarnatam subdidit, hoc ipso naturam alteram, carnem nimirùm, id est, humanitatem similiter admisisse censendus est. Hanc solutionem ipse protulit Cyrillus, Epist. ad Successum : *Si cùm unam*, inquit, *diximus naturam, tacuissemus, nec statìm adjunxissemus incarnatam, probabilitate non careret eorum sermo*, qui, scilicet, unicam ab ipso propugnari naturam calumniabantur.

Inst. Idem, Epist. 2 ad Successum : *Duas*, inquit, *naturas asserimus unitas; post unitionem verò, sublatâ in duas divisione, unam esse credimus Filii naturam, tanquam unius sed incarnati;* ergo, etc.

Resp. Nego cons. Nempè, quatenùs in illo textu asseritur unam esse naturam Filii incarnati, eadem recurrit quæ mox data est solutio : quatenùs autem in eo legimus post unionem naturas non ampliùs in duas dividi, consequens est Cyrillum naturas in Christo non separasse, quod verum est; non autem distraxisse minimè sequitur.

ARTICULUS III.

De Hæresi Monothelitarum.

Monothelitæ suum ab hæresi quæ *unicam* in Christo *voluntatem* tuetur, nomen sortiti fuêre. Primum, ut vulgò dicitur, habuit defensorem Athanasium, Patriarcham Jacobitarum, quem toto conatu subindè juvârunt plures, maximè Sergius, Pyrrhus et Paulus, Patriarchæ Constantinopolitani; Theodorus, Pharanensis Episcopus; Cyrus, Patriarcha Alexandrinus, et Macharius Antiochenus, inter Monothelitas celebrior. Fautores habuit imperatores duos, Heraclium, qui famosam *Ecthesim* seu expositionem à Joanne IV Papâ in Synodo Romanâ damnatam promulgavit, et Constantem, Heraclii nepotem, auctoremque edicti quod *Typus* appellatum est, in quo sicut in Ecthesi, prohibitum fuit ne unius aut duplicis in Christo voluntatis mentio fieret. Inter præcipuos catholicæ fidei contra Monothelitas defensores eminent Sophronius, Jerosolymarum Episcopus; S. Maximus, sub Constante Martyr; Martinus I, et Agatho, sub cujus pontificatu, imperante Constantino Pogonato Constantis filio, habita est, anno 680, III Synodus Constantinopolitana, generalis VI, quæ Monothelismum irreformabili judicio damnavit.

Quo sensu Monothelitæ unicam in Christo voluntatem et operationem admiserint in scholis disputatur. De hâc quæstione certum est, 1.° quòd hæc unica quam Christo tribuebant voluntas et operatio, divina esset, ita ut naturam humanam suâ naturali voluntate nec non operatione spoliarent. 2.° Omnes fermè Theologi, post S. Tho-

mam, putant Monothelitas non solùm humanæ voluntatis actum, sed etiam volendi facultatem, Christo detraxisse.

PROPOSITIO.

Duplex est in Christo voluntas et operatio, divina et humana.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 26, ℣. 39 : Jesus *procidit in faciem suam orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Marc. c. 14, ℣. 36 : *Dixit Jesus : Pater,... transfer calicem hunc à me; sed non quod ego volo, sed quod tu.* Joan. c. 6, ℣. 38 : *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* In his omnibus Scripturæ textibus, voluntas Christo tribuitur à voluntate Patris distincta, quæ nonnisi humana esse potest; aliis verò Scripturæ locis, divina quoque eidem Christo, nec diffitentibus Monothelitis, conceditur; ergo utramque habuit Christus, divinam scilicet et humanam.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Athan., de Humanâ naturâ susceptâ, contra Arianos, postquàm hæc Christi verba retulit, *Non mea voluntas, sed tua fiat*, sic habet : *Duas voluntates hìc ostendit Christus, alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam, quæ Dei est.* S. Leo, Epist. 24 ad Flavianum, cap. 24 : *Qui verus est Deus, idem verus est homo;... sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma* (id est, natura) *cum alterius communione, quod proprium est : Verbo scilicet operante quod est Verbi; et carne exsequente quod carnis est.*

Prob. 3.° *ex Conc. generali VI,* quod statuit, Actione 18.â, *duas naturales voluntates in eo* (Christo), *et duas naturales operationes, indivisè, inconvertibiliter, inconfusè, secundùm Patrum doctrinam* prædicandas esse.

Prob. 4.° *ex rationibus theologicis.* 1.a De fide est Christum pro nobis orasse, meruisse, et satisfecisse : atqui hæc omnia facere et operari non potuit secundùm voluntatem divinam; ergo, etc. 2.a Ex Scripturâ, Patribus et Symbolis, Christus perfectus Deus est, perfectus et homo : atqui ad integritatem et perfectionem Dei et hominis, duplex requiritur voluntas, divina scilicet et humana; ergo utramque habuit Christus. 3.a Juxta SS. PP., Verbum ex homine assumpsit quidquid in homine sanavit : atqui voluntatem humanam peccato Adami læsam sanavit Christus; ergo, etc.

Obj. 1.° ex S. Dionysio, Epist. 4 ad Caium : Ab Incarnationis tempore *non secundùm Deum divina gessit Christus, nec humana secundùm hominem : verùm, Deo viro facto, novam quamdam theandricam seu Dei-virilem operationem expressit in vitâ;* ergo, etc.

Resp. Nego cons. Adeò certum est Monothelitarum causam à præfato S. Doctoris textu præsidii nihil accipere, ut corruptionem ejus tentaverint; cùm enim legendum sit, *novam,* etc., ipsi fraudulenter substituerunt, *unam,* sicut monet Concilium generale VI, actione 14.â Et verò duplex affingi solet Dionysii testimonio sensus, Monothelitarum hæresi minimè favens : juxta primum, nova quædam post Incarnationem exstitit Dei-virilis operatio, non quasi unica sit operationum in Christo species, sed quia ex Incarnatione novum quoddam prodiit genus operis

V 6

mixti, cui producendo divinitas et humanitas Christi simul concurrant. Ad cujus intelligentiam, observandum triplex operationum genus in Christo distingui : aliæ, scilicet, sunt propriæ humanitatis, ut ambulare, manducare; aliæ divinitatis tantùm, ut peccata dimittere, dare Spiritum Sanctum; aliæ tandem utrique naturæ communes, eo sensu quòd utriusque concursum et influxum postulent, v. g., mortuos verbo suscitare, tactu corporis morbos curare : porrò de hâc ultimâ operationum specie loquitur S. Dionysius. Alter sensus quo idem textus à multis intelligitur, talis est ut significare voluerit Dionysius, à peracto Incarnationis Mysterio, omnem Christi operationem sive à naturâ divinâ sive ab humanâ profectam, esse novam, eo sensu quòd sit Dei-hominis, non verò Dei tantùm, vel hominis tantùm; nempè sublato Incarnationis Mysterio, id est, si natura divina Verbi non fuisset humanitati hypostaticè juncta, tùm ea quæ prior fecisset natura, Dei tantùm, non verò Dei-hominis opera fuissent. Et vicissìm, quæ gessisset humanitas, hominis tantùm, non Hominis-Dei actus reputarentur. Porrò utraque interpretatio, Monothelitarum hæresi nullomodò favet; utraque graves habet defensores : posterior tamen magìs nativa, verborumque S. Doctoris sensui naturali magìs accommodata videtur.

Obj. 2.° S. Athanasius, lib. de salutari Adventu Christi : *Voluntas*, inquit, de Christo loquens, *erat solius divinitatis ;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Solius in Christo fuit divinitatis voluntas, per exclusionem voluntatis contrariæ, *conc.;* per exclusionem voluntatis alterius, conformis quidem, sed tamen distinctæ, *nego.*

Itaque mens S. Doctoris ea tantùm fuit, ut à Christo voluntatem divinæ repugnantem voluntati excluderet, ut patet ex antecedentibus: *Ille vir* (Christus nimirùm) *natus est ex muliere, sed sine voluntatibus carnalibus; voluntas enim erat solius divinitatis.*

Obj. 3.° In Christo unica est persona; ergo unica operatio, etc.

Resp. Nego consequent. Operationes enim multiplicantur, prout multiplicantur naturæ: atqui in Christo duplex agnoscitur natura; ergo duplex quoque in eo voluntas agnoscatur necesse est. Et verò, si operationes crescerent in proportione quà multiplicantur personæ, sequeretur in Deo triplicem distingui operationem, cùm in tribus personis subsistat: atqui tamen unica in Deo operatio est et voluntas; ergo, etc.

Inst. Juxta effatum vulgare, *Actiones sunt suppositorum* seu personarum; ergo ubi unicum est suppositum, et ibi unica operatio.

Resp. Dist. ant. Actiones sunt suppositorum attributivè, *conc.*; elicitivè, *nego.* Itaque fateor actiones esse suppositorum attributivè, hoc sensu quòd suppositis tribuantur; v. g., rectè dicimus Verbum cum hominibus fuisse conversatum; sed nego actiones esse personarum elicitivè, quasi producantur ab ipsis; non enim personæ, sed facultates actus eliciunt: sic in homine non est ipsa persona quæ cognitionem eliciat, sed intellectus: porrò ut legitimè inferri posset unitas operationis ex unitate personæ, necesse foret ut actiones non tantùm essent suppositorum attributivè, sed elicitivè; ergo, etc.

Obj. 4.° Honorius, Papa, in suis ad Sergium Epist. Monothelitarum doctrinam tuitus est; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego consequent.* Auctoritas enim alicujus Papæ, qui seorsìm ab Episcoporum corpore fallibilis est, respui debet cùm opponitur judicio Synodi œcumenicæ, cujus infallibilitas ab omnibus defenditur Catholicis : atqui auctoritas Honorii Papæ, si tamen Monothelismum tuitus est, quod expendemus infrà, contradicit Concilii Chalcedonensis judicio, cujus œcumenicitas et consequenter infallibilitas ab omnibus Catholicis defenditur; ergo, etc.

Et verò, ad hoc ut decretum Papæ loquêntis ex cathedrâ irreformabilis judicii vim ac robur obtineat, tres requiruntur conditiones, 1.ª ut sit dogmaticum, id est, credendum aliquid proponat; 2.ª ut ad omnes dirigatur Ecclesias; 3.ª ut ab omnibus moraliter Episcopis per orbem catholicum dispersis approbetur expressè vel tacitè, id est, non reclamando : atqui epistolæ Honorii ad Sergium his conditionibus carent. 1.° Non sunt dogmaticæ : illæ enim non sunt dogmaticæ, quibus nihil definivit Honorius circa propositam sibi quæstionem, nihilque credendum proposuit fidelibus : atqui Honorius in suis ad Sergium epistolis nihil, etc.; Honorio enim proposita fuerat quæstio de unâ aut duplici in Christo voluntate : atqui scribendo ad Sergium, nihil circa unam aut duplicem in Christo voluntatem definivit, nihil fidelibus credendum proposuit, ut cuilibet præfatas Honorii epistolas legenti constare potest; sed imprudenti œconomiâ, tam circa unam quàm circa duas in Christo prædicandas operationes silentium præcepit; ergo, etc.

2.° Non ad omnes orbis catholici directè sunt Ecclesias. Si enim præfatæ Honorii epistolæ ad

omnes, etc., vel ex earum inscriptione, aut ex materiâ in eis contentâ, vel deniquè ex earumdem universali missione : atqui nullo ex his sensibus ad universam Ecclesiam directæ sunt. Non ex inscriptione, cùm uni Sergio, Patriarchæ Constantinop., inscriptæ sint. Non ex materiâ in eis contentâ, quæ ratione suî ad omnes pertineat; in eis enim litteris, ut modò dictum est, nulla continetur nova definitio, nec aliquid credendum proponitur fidelibus, sed unicè præcipitur silentium de unius aut duplicis in Christo voluntatis, emergente quæstione, servandum. Non tandem ex earum universali missione; nullibi enim legitur Honorium ejusmodi litteras ad alium quàm ad Sergium misisse, aut ipsi munus ut eas ad omnes Episcopos pervenire curaret commisisse; ergo 2.°, etc.

3.° Ab omnibus moraliter Episcopis catholicis per orbem dispersis approbatæ non fuerunt consensu expresso vel tacito. Non expresso quidem; in toto enim Occidente nulla fuit Synodus quæ præfatas Honorii epistolas calculo probaverit suo, nullus citari potest Episcopus qui easdem gregi curis suis commisso proposuerit. Nec etiam tacito; namque ut Episcopi silendo approbare censeantur, necesse est ut pontificium diploma aut decretum de quo silent, dogmaticum sit : atqui, ex mox probatis, epistolæ Honorii dogmaticæ non fuerunt; ergo, etc. Prætereà, nullus silendo approbare censetur illud quod minimè novit : atqui verisimillimum est Occidentales Episcopos ignaros fuisse epistolarum Honorii ad Sergium, eo saltem omni tempore de quo dubium moveri potest an tacitè iis consenserint, id est, ab anno 633, quo scriptæ sunt, usque ad

annum 641 vel 642, quo sub Joanne IV Papâ damnata est in Synodo Romanâ *Ecthesis* Heraclii, id, inquam, verisimillimum est, tum quia nullibi legitur aliquam tunc in Occidente de præfatis Honorii litteris motam fuisse controversiam; tum quia Sergius, ad quem directæ fuerant, eas noluit statim evulgari, ne motibus indè oriundis excitatus Honorius Papa, litteras suas catholico interpretaretur sensu, sicque omnem Monothelitis auctoritate suâ innitendi prætextum eriperet. Deniquè, Joannes IV, Papa, testatur in Epist. ad Constantinum Imperatorem, omnes Occidentis Ecclesias scandalizatas fuisse ob quædam Pyrrhi scripta, in quibus Monothelismum ex Epistolis Honorii asserere non verebatur : atqui scandalum illud manifestè probat Epistolas Honorii nequidem tacitè ab Episcopis fuisse comprobatas, ex hypothesi saltem quòd Monothelitarum hæresim contineant; ergo, etc.

Resp. 2.° *Nego ant.* Ex attentâ lectione et prudenti discussione litterarum Honorii constare videtur, hæresim unius tantùm in Christo voluntatis et operationis, minimè in eis contineri; si enim, contineretur, maximè in Epist. 1, ubi hæc leguntur, *unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*: atqui hæc verba Monothelismum non continent. Res ita est, modò per hæc verba Honorius ab humanitate Christi removerit tantùm voluntatem carnalem, seu mentis legi repugnantem : atqui, etc., ut constat ex immediatè sequentibus; nempè, Honorius causam afferens cur unam in Christo confiteatur voluntatem, sic habet : *Quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est,*

non quæ post peccatum vitiata........ Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, qui super legem natus est humanæ conditionis. Ergo unam in Christo voluntatem admisit tantùm, per exclusionem voluntatis contrariæ et repugnantis legi mentis. Deindè, sic loquitur Honorius, Epist. 2 ad Sergium : *In Christo duas naturas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; et humanam, quæ carnis sunt exsequentem, non divisè neque confusè aut convertibiliter* : atqui hæc sanè dogma catholicum duplicis in Christo voluntatis æquivalenter exprimunt; ergo, etc.

Accedit auctoritas scriptorum fide dignissimorum, nempè Joannis, Abbatis Romani, qui primam ad Sergium Epistolam Honorii nomine scripsit : *Unam*, inquit in Epistolà ad Constantinum Imperatorem, in defensionem Honorii scriptà, *unam voluntatem diximus in Christo, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cùm enim scripsisset Sergius quosdam esse qui dicerent in Christo duas fuisse contrarias voluntates; rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, et spiritûs, sed unam tantùm.* Honorium pariter excusant Joannes IV, Papa, ejusque successor, in Epist. ad Constantinum Imperatorem; et S. Maximus, auctor coætaneus, Epist. ad Marinum Presbyterum, quibus suffragantur plerique Catholicorum Theologi.

Inst. 1.° *probando ant.* Honorius in 1 ad Sergium Epist., unam expressis verbis in Christo voluntatem agnoscit.

Resp. Dist. ant. Honorius, etc., unam moraliter, ob consensionem perfectissimam inter utramque Christi voluntatem, *conc.;* unam physicè, ita ut non sint distinctæ, *nego.* Solutio ex dictis patet.

Inst. 2.° Honorius ob scriptas ad Sergium epistolas damnatus est à Concilio VII generali; ergo, etc.

Resp. 1.° theologos in varias circa condemnationem Honorii abire sententias. 1. Baronius et pauci cum illo dicunt Honorium à Concilio generali VI damnatum non fuisse, ita ut quæ nunc in actis præfatæ Synodi legitur damnatio sit suppositia, et inimicâ Græci cujusdam manu scripta. 2. Alii existimant Honorium à Patribus Conc. generalis VI damnatum fuisse ut hæreticum et Monothelismi in duabus ad Sergium Epist. assertorem. 3. Plurimi, medium tenendo, asserunt Honorium à Concilio damnatum fuisse duntaxat ut hæreseos Monothelitarum fautorem. Ex his tribus, sic 1.ª refellitur opinio. Certum est acta Concilii generalis VI, statìm ab ejus exitu, Leoni II Papæ tradita, necnon apud Latinos evulgata fuisse. Iterùm constat legatos Romanæ Sedis, qui præfato adfuerunt Concilio, non reclamasse adversùs damnationem Honorii tanquam alienâ manu insertam actis. Atqui hæc duo concedi non possunt, quin simul concedatur acta VI Concilii non fuisse, quoad factum de quo nunc agitur, interpolata. Ergo, etc. Item refellitur 2.ª opinio. Nempè sententia Conc. generali VI congruere debet naturæ delicti ab Honorio commissi: atqui, ex dictis, Honorius Papa non fuit hæreticus, nec Monothelismum in suis ad Sergium epistolis tradidit; ergo, etc. 3.ª Super-

est opinio, quam ut communiorem amplectimur. Itaque,

Resp. 2.° *Dist. ant.* Honorius damnatus est à Concilio generali VI ut hæresis Monothelitarum ex imprudentiâ gravi fautor, *conc.;* ut illius in suis ad Sergium Epist. assertor, *nego.* Honorius Monothelitarum hæresi verè patrocinatus est, præscribendo silentium circa unam et duplicem in Christo voluntatem, præscribendo, inquam, hoc ipso tempore, quo plures Eutychianam hæresim ejurare coacti, alteram priori resuscitandæ idoneam, Monothelismum scilicet, pertinaciter tuebantur. Jam verò patrocinium illud hæresi præstitum, non quidem ex industriâ, sed ex ignorantiâ circumstantiarum culpabili, in causâ fuit cur à Concilio generali VI damnaretur ut hæreticus, id est, tanquam hæresis fautor. Hoc enim sensu intelligendum esse Synodi judicium et condemnationem, suaderi potest ex testimonio Constantini Imperatoris, qui adfuerat Concilio, necnon Leonis II, Papæ, qui Ecclesiæ Romanæ statim post Synodum VI præfuit: *Anathematizamus,* inquit præfatus Imperator, in suo edicto Synodi confirmatorio, *Theodorum,... Sergium,... atque etiam Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa; horum fautorem, concursorem atque confirmatorem.* Et Leo II, Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ: *Condemnatione mulctati sunt,* inquit, de actis in Synodo disserens, *Theodorus, Cyrus,.... cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit; sed negligendo confovit.* Idem in Epist. ad Constantinum Imperatorem: *Anathematizamus.... Honorium, qui apostolicam Ecclesiam non apostolicæ tradi-*

tionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam fidem maculari permisit. Eodem sensu Honorii damnationem intellexêre Summi Pontifices, in eâ fidei professione quam, cùm inaugurabantur, edere consueverant : *Anathematizamus*, inquiunt, *auctores hæretici dogmatis ; Sergium, Pyrrhum.... unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit.*

Inst. 3.° Actione 16.ª Concilii generalis VI, Patres exclamaverunt : *Honorio hæretico, anathema ;* ergo non ut hæresis fautor tantùm damnatus est.

Resp. Nego cons. Hæretica nota, etsi conveniat propriè eis qui doctrinam fidei catholicæ contrariam tenent, non ineptè tamen potest infligi hæreseos fautoribus, iis maximè qui ex officio ad eas impugnandas tenentur : *Error enim*, inquit Felix III, Papa, Epistolâ 1.ª *cui non resistitur, approbatur.*

Inst. 4.° Honorius à Concilio damnatus fuit ob suas ad Sergium Epistolas ; ergo eadem Honorio inflicta est nota ac litteris ipsius : porrò reprobatæ sunt à Concilio tanquam hæreticæ. Sic enim loquuntur Patres Concilii, actione 13.ª : *Retractantes epistolas dogmaticas quæ à Sergio ad Honorium Papam, similiter autem et epistolam ab ipso, id est, Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque omninò invenientes alienas existere ab apostolicis dogmatibus ;... sequi verò falsas Hæreticorum doctrinas, eas omnimodò abjicimus... Invenimus per scripta quæ ab eo* (Honorio) *facta sunt ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus secutus est, et impia dogmata confirmavit ;* ergo, etc.

Resp. quidquid Concilium generale VI adver-

sùs epistolas Honorii congessit; benigniori sensu posse intelligi, ita ut Patres favorem hæresi præstitum, non ipsam hæresim in eis arguerent. Scilicet, Honorii epistolæ, inquit Natalis Alexander, dissert. 2.ª, dicuntur à Patribus VI Synodi, alienæ ab apostolicis dogmatibus, sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum, non minùs quàm litteræ Sergii, quia in modo loquendi cum Sergio convenit Honorius, et in damnabili œconomiâ, quâ silentio premi jussit sicut unicæ ita et duarum Christi operationum et voluntatum sacras voces; quæ œconomia à dogmatibus et exemplis apostolicis adversatur. Similiter, dicitur Honorius mentem Sergii in omnibus secutus, et impia dogmata confirmasse, non consentiendo, sed connivendo: nec approbando pravum dogma, sed indicendo silentium de unâ et duabus operationibus. Eodem sensu exponendum est quod actione 14.ª, dixit præfata Synodus de libellis Monothelitarum necnon de litteris Honorii, illa in unam eamdemque impietatem tendere; dispari enim modo in eamdem impietatem tendere intellexit litteras Honorii et Hæreticorum scripta: ista, pravi dogmatis assertione; illas, catholici dogmatis dissimulatione.

Diffitendum non est hæc nobis objecta Concilii verba, plurimùm difficultatis habere, vixque interpretatione datâ, licèt apud Theologos communi, emolliri posse; quibus ergo non placuerit, alteram liceat amplecti sententiam, juxta quam dicitur notam hæreseos litteris ad Sergium necnon earum scriptori Honorio inflictam fuisse à Patribus Concilii; hanc, inquam, liceat amplecti sententiam, modò tamen intacta semper maneat Ecclesiæ auctoritas in judicando de factis dogma-

ticis, seu de sensu naturali propositionum et librorum qui tractant de dogmate, necnon ejusdem potestas adigendi fideles ut assensum internum præbeant hujusmodi judiciis ab ipsâ latis; fixumque sit omne judicium Summi Pontificis dogmaticum et ad Ecclesias directum, necnon expressè vel tacitè ab Episcoporum nomine probatum, errori obnoxium esse non posse. At ista magis pertinent ad *Tractatum de Christi Ecclesiâ*, quem, si vacat, consule.

ARTICULUS IV.

De Communicatione Idiomatum.

Observ. 1.° *Idiomatis* nomine hic intelligi proprietatem aut attributum alicujus naturæ. Itaque *idiomatum communicatio* nihil aliud est quàm mutua et reciproca proprietatum vel attributorum naturæ divinæ et humanæ in Christo prædicatio. Sic cùm de Christo dicitur, *Deus est homo, homo est Deus, Deus est mortuus, homo est immortalis,* dicitur fieri idiomatum communicatio in Christo.

Observ. 2.° nomina alia esse *concreta*, alia *abstracta.* Nomina concreta subjectum simul et ipsius formam exprimunt, ita ut subjectum indicent primariò, formam verò secundariò tantùm. Talia sunt ista, *Deus, homo, æternus, immortalis;* Deus quippè idem sonat ac *habens divinitatem,* etc. Hæc nomina dicuntur concreta, quia eorum significatio veluti concrescit et componitur ex formâ et subjecto, quæ simul exprimuntur.

Nomina abstracta *directè* formam significant, et abstrahunt à subjecto, quod nonnisi remotè

denotant. Hujusmodi sunt voces istæ, *divinitas, humanitas*, quæ formam exhibent alicui subjecto propriam.

Observ. 3.° duos hic esse confutandos errores: primus est Nestorianorum, qui omnem idiomatum communicationem, etiam in concreto, penitùs rejiciebant; nec enim illi ferre poterant Deum dici *natum, passum*, etc.; alter est Lutheranorum, qui ex adverso communicationem idiomatum etiam in abstracto recipiunt, ita ut de naturâ humanâ prædicari possint pleræque divinitatis proprietates, omnipotentia, omniscientia, et potissimùm immensitas; undè dicti sunt *Ubiquístæ*. Porrò dogma *Ubiquismi* seu *Ubiquitatis* admisisse videntur Lutherani, ut responderent *Zuinglianis*, qui ipsis objiciebant Christum non posse esse præsentem in Eucharistiâ, cùm in cœlos ascenderit.

PROPOSITIO PRIMA.

In Christo admitti non potest idiomatum communicatio in abstracto.

Est contra Lutheranos.

Prob. In Christo fieri communicationem idiomatum in abstracto, est, dici posse humanitatem esse ubique, omnipotentem, etc.: atqui constat, ex Script., ex SS. PP., et ex pluribus momentis theologicis, humanitatem Christi nec esse, nec dici posse ubique, etc.

1.° *Quidem ex Script.* Joan. c. 11, ℣. 14, 15: *Lazarus mortuus est*, ait Christus, *et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Matth. c. 28, ℣. 5, 6: *Jesum... quæritis: non est hìc.*

2.° *Ex SS. PP.*, quos fusè dabit Bellarminus; instar omnium sit Aug. Epist. 187, ad Dardanum, cap. 3, ubi de humanâ Christi naturâ sic loquitur : *Secundùm hanc formam non est putandus ubique diffusus.*

3.° *Ex rationibus theologicis.* 1.ª Ubiquitatis dogma totam fidem christianam evertit, circa Christi nativitatem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, in cœlos ascensionem; hæc enim omnia intelligi non possunt sine transitu de loco in locum : at si humanitas Christi est ubique, non potest transire de loco in locum; ergo, etc. 2.ª Quandiù distinctæ manent naturæ, tandiù manere debent et inconfusæ earum proprietates : atqui naturæ in Christo distinctæ manent, ex probatis contra Eutychianos, etc.

Dices : Matth. c. 22, Christus ut homo dicitur *ad dexteram Dei sedere :* atqui dextera Dei est ubique, ergo Christus, ut homo, est ubique.

Resp. Dist. maj. Christus ut homo dicitur ad dexteram Dei sedere, metaphoricè, *conc.;* sensu proprio, *nego.* Itaque hæc verba sensu metaphorico, non sensu proprio, sunt intelligenda, ut evidens est; siquidem sensu proprio Pater dexteram non habet : significant autem illa verba, juxta omnes SS. PP., hominem Deum, id est, personam Verbi quæ humanitatem habet, esse æqualem Patri, ipsiusque divinitatis participem : hæc porrò de Christo prædicari possunt propter communicationem idiomatum et ratione Verbi, cui unitur humanitas.

PROPOSITIO

PROPOSITIO II.

In Christo debet admitti realis idiomatum communicatio in concreto.

Est contra Nestorianos.

Prob. 1.° *ex Scripturâ.* Etenim idiomatum communicatio *in concreto*, in eo posita est, quòd Christo homini tribuantur quæ Dei sunt propria, et Christo Deo adscribantur quæ soli homini conveniunt : atqui Scriptura Christo homini tribuit quæ Dei sunt propria, et Christo Deo quæ soli homini conveniunt. Joan. c. 3, ℣. 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo* : ibi de Christo homine asseritur, eum in terris degere, et simul esse in cœlo : atqui illud solius Dei proprium est; ergo 1.° Christo homini tribuit Scriptura quod solius Dei proprium est. Act. c. 20, ℣. 28 : *Attendite vobis*, inquit Apost., *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; I Joan., c. 3, ℣. 16 : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* : iis in locis, Scriptura Christo Deo tum sanguinem, tum mortem attribuit : atqui hæc soli homini conveniunt; ergo 2.° Scriptura Christo Deo ea adscribit quæ solius hominis propria sunt; ergo veram admittit idiomatum communicationem *in concreto*.

Prob. 2.° *ex fidei Symbolis*, in quibus profitemur *Jesum Christum, filium Dei unigenitum*, esse *Deum verum... qui propter nos homines incarnatus est,... passus, mortuus, sepultus.* Undè sic : Pati, mori, sepeliri, solius humanitatis pro-

prium est : atqui hæc omnia de Christo Deo, in Symbolis nostris, prædicantur *in concreto ;* ergo, etc.

Prob. 3.° *ratione.* Etenim quoties duæ naturæ in eâdem et unicâ personâ junguntur, toties illæ naturæ, earumque proprietates de se invicem prædicari possunt *in concreto;* sic, v. g., propter naturæ rationalis et naturæ corporeæ conjunctionem intimam, undè unica hominis persona coalescit, dici potest, *homo est corporeus, homo est rationalis ; corporeus est rationalis, rationalis est corporeus;* quia, scilicet, illæ loquendi rationes nihil aliud significant, quàm in homine unicam esse personam, in quâ duæ conjunguntur naturæ; idem enim est ac si diceretur, hæc persona quæ rationalem habet naturam, habet etiam naturam corpoream : atqui, ex dictis, duæ naturæ, divina scilicet et humana, in eâdem Verbi personâ junguntur; ergo illæ naturæ, earumque proprietates de se invicem *in concreto* prædicari possunt.

Obj. Si communicatio idiomatum in Christo foret admittenda, tunc vera esset ista propositio, *Unus de Trinitate passus est :* atqui tamen vera non est, cùm Felix III, Papa, damnaverit eam in Petro Fullone, Patriarchâ Antiocheno, et Hormisdas in Epist. suis ad Scythiæ Monachos.

Resp. Nego min. Ad cujus probationem *dist.* Hanc propositionem Felix III damnavit in sensu Petri Fullonis hæretico, *conc. ;* in sensu obvio, quem verba præ se ferunt, *nego.* Hæc itaque propositio, *Unus de Trinitate passus est ,* à Petro Fullone prolata fuerat in sensu Eutychianorum, qui, consequenter ad suam hæresim, de unâ in Christo, post unionem, remanente naturâ, divinâ

scilicet, sacrilegè tuebantur unum de Trinitate, hoc est, Filium in propriâ naturâ passum esse. Verùm Felix III hanc propositionem non damnavit in sensu quem ex se naturaliter habet; nam habitâ solummodò ratione terminorum quibus constat, hunc catholicum exhibet sensum : *Una Trinitatis persona passa est, secundùm carnem*. Et verò, non semel à Patribus, necnon Conciliis usurpata fuit. De quo vide Cardin. Norisium, in peculiari de hoc argumento Dissertatione, et Petavium, lib. 1, cap. 18.

Nec etiam damnata fuit ab Hormisdâ, summo Pontifice, licèt quosdam Scythiæ Monachos, professionem ejus nimiùm urgentes, quasi non sufficerent formularia hucusquè fidelibus proposita, temeritatis, superbiæ, novitatis et rixandi libidinis reos declaraverit.

Hic Theologi tradere solent plures regulas in communicatione idiomatum accuratè servandas, *ne*, ut loquitur Hieronymus, *ex verbis inordinatè prolatis, incurratur hæresis;* nos autem brevitati et perspicuitati consulere cupientes, duas tantùm generales proponemus.

Regula prima. Nomina concreta divinæ et humanæ Christi naturæ, ac utriusque proprietatum, de se invicem prædicari possunt; v. g., rectè dicitur : *Christus est Deus, Christus est homo, Verbum seu filius Dei, est Deus, est homo; Aliquis homo est filius Dei, Deus ipse; Deus natus est, passus et mortuus est; Aliquis homo æternus, immortalis, et omnipotens est; Æternus et immortalis, natus est in tempore mortuusque est*, et vicissim, *Aliquis in tempore natus et mortuus, æternus est ac immortalis*. Veritas hujus regulæ constat ex dictis : scilicet,

X 2

quia nomina concreta divinæ et humanæ Christi naturæ, directè significant subjectum, id est, suppositum seu personam; cùm affirmantur de se invicem, sensus est, personam quæ naturam divinam, attributa et proprietates ejus habet, simul habere naturam humanam, proprietates, affectiones et passiones ejus : atqui de fide est catholicâ personam quæ, etc., cùm, ex dictis contra Nestorium, unica sit in Christo Verbi divini persona, quæ divinam et humanam naturam ac utriusque proprietates ultimò terminat et complet.

Hæc autem regula quamdam patitur exceptionem : nempè, abstinendum est ab utriusque naturæ concretis nominibus de se invicem prædicandis, quæ ad suam hæresim ingerendam studiosè prædicârunt Hæretici; quamvis enim illæ propositiones in rigore logico sint veræ, tamen pro viribus omittendæ sunt, ne Hæreticis, quibuscum nec communia habere debemus nomina, patrocinari videamur : v. g., propositiones istæ, *Christus est creatura,* vel *minor est Patre,* non simpliciter enuntiari debent, sed cum addito, *juxta naturam humanam;* quia nempè eas sensu hæretico proferunt Ariani, ut scilicet Verbi divinitatem ejusque cum Patre consubstantialitatem negent.

Regula secunda. Nomina abstracta duarum Christi naturarum et proprietatum utriusque, non possunt de se invicem prædicari; v. g., malè diceretur, *Divinitas Christi est humanitas,* et vicissìm; ratio in promptu est; duo, scilicet, non possunt de se invicem prædicari, nisi secum identificentur; atqui duæ Christi naturæ et utriusque proprietates, quæ per nomina abstracta signifi-

cantur, non sunt quid unum et idem, nec identificantur, ex jam probatis contra Eutychianos; ergo, etc.

Ex hâc quam modò protulimus regulâ, sequitur ne quidem concreta, si reduplicatio fiat, de se invicem prædicari posse; ratio est quòd reduplicationis vi, nomen concretum ad formam tantummodò significandam determinetur, et sic abstracto nomini æquivaleat. Hinc nefas est dicere, *Aliquis homo, quatenùs homo, est Deus;* quia sensus foret, secundùm naturam humanam esse Deum, quod nimis absurdum est.

Cæterùm, ubi de Incarnationis mysterio loquendi munus incumbit alicui, maximè cautus, et in verbis accuratus sit necesse est, alioquin, catholicè licèt sentiens, hæreticè loquetur. Hoc ergo vitium qui devitare voluerit, 1.° consulat S. Thomam, 3 parte, quæst. 16; Sylvium et Petavium, lib. 4, cap. 16 de regulis in communicatione idiomatum servandis. 2.° Ubi omninò certus non est an quædam utriusque Christi naturæ vocabula de se invicem prædicari possint, vel ab ejusmodi enuntiatione prorsùs abstineat, vel statim antidotum subjungat, expressè declarando, se hæc vel illa de Christo secundùm divinam aut humanam affirmare naturam.

DISSERTATIO TERTIA.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

Necessarium aliud *absolutè*, aliud *hypotheticè* seu *conditionatè*. Illud est *absolutè* necessarium, quod antecedenter ad omnem hypothesim, contingentem, aliter esse non potest; hoc sensu necessaria est Verbi divini generatio, processio Spiritûs Sancti. Necessarium *hypotheticè* dicitur illud quod nonnisi consequenter ad aliquam hypothesim contingentem alio modo esse nequit : sic, v. g., ex hypothesi quòd Deus creare velit, hoc ipso necessum est ut creaturam suam ad finem ipsi debitum per media congrua dirigat. Eâ distinctione præmissâ,

Certum est 1.° Incarnationem non fuisse necessariam absolutè, ita ut Deus ad peragendam Incarnationem non fuerit necessitatus, sicuti docuit Wiclefus; nec ad illam bonitatis et sapientiæ suæ legibus certè et infallibiliter inductus, ut censuit Leibnitzius; Deus enim est liber in suis operationibus ad extrà : atqui Incarnatio est opus ad extrà; ergo, etc. *Minor* evidens est; *major* autem probari solet à Philosophis in Theodiceâ, necnon à Theologis in *Tractatu de Deo*, ad quem remittimus, tom. 1, cap. 6.

Certum est 2.° Incarnationem, etiam in hypothesi creationis, non fuisse necessariam, ita ut Deus potuerit creare, quin ex consequenti teneretur Incarnationem decernere; hæc assertio communis apud Theologos contra Malebranchium

defenditur *Tractatu de Deo;* scilicet, ratio propter quam auctor præfatus asserit Deum ad Incarnationem peragendam teneri in hypothesi creationis, sumitur ex hoc principio, quòd Deus non possit operari, quin hoc ipso teneatur optimum et perfectissimum opus efficere : atqui falsum est Deum ex hypothesi creationis teneri ad optimum et perfectissimum, ut demonstrant Philosophi in Theodiceâ et Theologi in *Tractatu de Deo et divinis attributis,* quem, si vacat, consule loco jam citato.

Superest igitur expendendum an Incarnatio necessaria fuerit, tum ex hypothesi lapsûs hominum, tum ex hypothesi illorum reparationis, tum deniquè ex hypothesi condignæ satisfactionis. Undè sit

PROPOSITIO PRIMA.

Incarnatio non fuit necessaria ex hypothesi lapsûs hominum.

Prob. Ut Incarnatio non fuerit necessaria ex hypothesi lapsûs hominis, satis est quòd Deus potuerit, salvis attributis suis, hominem lapsum derelinquere : atqui res ita est, ut constat 1.° *ex Script.* quæ generis humani reparationem charitati, misericordiæ et gratiæ Dei tribuit : Sap. c. 12, ℣. 1 : *O quàm bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !* et ℣. 8 : *His* enim *tanquam hominibus pepercisti.* 2.° *Ex SS. PP.,* inter quos appellare sufficiat Aug. de Naturâ et Gratiâ, cap. 5 : *Universa,* inquit, hominum *massa pœnas debet; et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè procul dubio redderetur.* 3.° Ex irreparabili Angelo-

rum lapsu : certè non major Deo incumbebat necessitas humani generis post lapsum reparandi, quàm Angelorum redimendorum : atqui tamen Deus rebelles Angelos, absque justitiæ suæ dispendio, in tartara detrusit, sine ullâ reconciliationis spe cruciandos; ergo pari jure genus hominum post lapsum deserere Deus potuit. Nec huic assertioni nostræ repugnat S. Athanasius, cùm, lib. de Incarnatione, asserit indecorum et indignum bonitate divinâ futurum fuisse, si Deus hominem lapsum deseruisset; hæc enim et similia non positivè seu privativè, ut loquuntur Theologi, sed negativè intelligenda sunt; ita ut sensus iste sit, Deum non potuisse generis humani reparationem negligere, quin opus maximè congruum, et suâ bonitate dignissimum omitteret, quamvis hominem derelinquendo nihil tamen contrarium bonitati cæterisque suis attributis peregisset. S. Anselmus, lib. cui titulus, *Cur Deus homo*, majorem difficultatem parit, et ideò à quibusdam derelinquitur Theologis, licèt non pauci conentur verba ipsius ad sensum nostrum benigniùs inflectere.

PROPOSITIO II.

Ne quidem in hypothesi reparationis hominum necessaria fuit Incarnatio, ita ut Deus potuerit velle perditum hominem salvare, quin propterеà teneretur Incarnationem decernere tanquam medium humano generi reparando necessarium.

Hæc assertio, cui post S. Thomam, part. 3, quæst. 1, art. 2, communiter suffragantur Theologi,

Prob. 1.° *ex SS. PP.* S. Athanasius, Orat. 3 contra Arianos : *Citra Incarnationem*, ait, *poterat Deus solummodò loqui et maledictionem solvere*. S. Aug. de Agone christiano, cap. 11 : *Sunt stulti qui dicunt : Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem....; quibus dicimus : Poterat omninò.* S. Cyrillus Alex. lib. de Incarn. : *Corpore non egebat divinum Verbum, solo poterat imperio salutis nostræ negotium exsequi.* Theodoretus, Serm. 6 contra Græcos, et alii.

Prob. 2.° *Ratione theologicâ.* Certè Incarnatio ne quidem in hypothesi reparationis hominum fuit necessaria, modò Deus potuerit mundi peccata relaxare, quin pro injuriâ sibi illatâ condignam seu æquivalentem teneretur exigere satisfactionem : atqui Deus potuit mundi peccata relaxare, quin pro injuriâ sibi illatâ condignam seu æquivalentem teneretur exigere satisfactionem. Si enim illud repugnaret, maximè ex parte Dei vindicativæ justitiæ: atqui non repugnat justitiæ Dei vindicativæ ut peccatori veniam absque condignâ satisfactione largiatur; etenim si cuilibet liceat cedere de jure suo, cùm cessio illa non vergit in damnum alicujus tertii, quantò magìs illud licebit Deo, qui, cùm sit suus ipse finis suaque beatitudo, satisfactionibus nostris non indiget.

Quoad Patrum testimonia, quibus effici videtur genus humanum non aliter quàm per Incarnationem potuisse reparari, dico quòd non absolutè, sed conditionatè debeant intelligi; ita ut sensus eorum sit, quòd juxta hypothesim sive ordinem præsentem, in quo Deus liberè statuit peccata nonnisi ex condignâ satisfactione, cujus

homo purus incapax est, fore dimittenda, quòd, inquam, juxta hanc hypothesim, Incarnatio fuerit medium humano generi reparando prorsùs necessarium, quod ultrò fatemur.

Quæ autem ex ratione contra eam assertionem objici solent facilè solventur, modò ritè exponatur quid à Deo fieri postulent attributa ipsius cùm peccaverit homo. Nempè, sanctitas ejus postulat ut peccatum infinito persequatur odio, ipsumque peccatorem, quatenùs peccator est, aversetur; deindè justitia ejus necessariò exigit ut à peccatore qui contritionis eliciendæ capax est, sincerum peccati dolorem exspostulet; deniquè, ut peccatorem mercede non afficiat. Condignam verò satisfactionem non tenetur exigere, quia, ut jam diximus, cedere de jure suo potest. Id parùm urget quod à quibusdam objicitur, nempè Deum non magis ab exigendâ propter peccatum satisfactione condignâ desistere posse, quàm à præmiis justo promerenti largiendis: posterius autem repugnat, ergo et prius; namque falsa est *major*, nullaque paritas instituta. Etenim opus verè meritorium jus acquirit homini benè operanti; peccatum autem parti læsæ, Deo scilicet, jus puniendi conciliat: porrò evidens est neminem posse de jure alieno cedere, sicut potest de suo; ergo, etc.

His, ut potè facilioribus, leviori perstrictis calamo cursìmque delibatis, altera gravior solutuque difficilior pertractanda nobis est quæstio, utrùm scilicet in hypothesi condignæ satisfactionis, exigente Deo per peccatum læso, simpliciter et strictè necessaria fuerit Incarnatio. Dixi, *strictè necessaria*, ita ut non potuerit aliter Deo condignè satisfieri; omnes enim facilè

consentiunt Incarnationem, in hypothesi factâ, necessariam fuisse secundùm quid, id est, alio quolibet modo aptiorem esse et congruam magis. Ut autem clarior fiat præsentis controversiæ status, quædam observatione digna præmittere juvat.

1.° Satisfactionis nomen hic sumitur pro voluntariâ compensatione injuriæ cuipiam illatæ, vel pro liberâ solutione delicti quod ex læsione honoris contrahitur, in quo differt à restitutione propriè dictâ; quæ res, non honorem spectat. Satisfactio dividitur in *perfectam*, quæ fit ad strictos juris apices; *congruam*, cujus valor non debito per peccatum contracto, sed viribus satisfacientis proportionatur; et *condignam*, seu *æquivalentem*, in quâ servatur æqualitas, ita ut tantùm honoris personæ læsæ restituatur, quantùm ipsi per offensam ablatum est: porrò hic non agitur de necessitate Incarnationis ad congruam satisfactionem; omnes enim facilè concedunt hominem purum, abundantiori tamen gratiâ præventum, hoc modo satisfacere potuisse; nec etiam res est de ejusdem Incarnationis necessitate ad perfectam satisfactionem; cùm enim perfecta satisfactio præter condignam aliquid ampliùs includat, satìs liquet probationes mox afferendas in gratiam necessitatis Incarnationis ex hypothesi condignæ satisfactionis, multò magìs necessitatem ejus ad satisfactionem perfectam evincere.

2.° Incarnatio intelligi potest vel generatìm, prout est unio substantialis alicujus personæ divinæ, seu Patris aut Filii, vel Spiritûs Sancti, cum naturâ rationali, quæcunque sit; vel speciatìm, quatenùs est unio Verbi divini cum illâ

peculiari naturâ ab ipso in personæ unitatem assumptâ. Cùm autem unio cujusvis personæ Trinitatis cum hâc vel illâ rationali naturâ, perindè sit ad condignam satisfactionem, manifestè liquet præsentem controversiam moveri tantùm de necessitate Incarnationis generatim sumptæ.

3.° Extra dubium est quòd in præsenti rerum ordine, seu juxta dispositionem rerum actualem, necessaria sit Verbi Incarnatio ad condignam satisfactionem: *Nec enim*, inquit S. Petrus, Act. c. 4, ℣. 12, *aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* undè quæstio præsens non de facto instituitur, sed de eo quod potuit fieri. Itaque is est legitimus quæstionis status, utrùm ex suppositione seu hypothesi quòd Deus liberè statuerit peccata non dimittere nisi dependenter à solutione condignæ satisfactionis (quâ, scilicet, tantùm honoris ipsi rependatur, quantùm eidem peccato ablatum est), utrùm, inquam, in hâc hypothesi factâ, unio substantialis alicujus personæ Trinitatis cum aliquâ rationali naturâ, fuerit medium humano generi reparando simpliciter et strictè necessarium.

Duæ sunt in scholis circa præsentem quæstionem sententiæ.

Prima est Scotistarum, qui negantem tenent, eo quòd, juxta ipsos, cùm peccatum in genere moris seu offensæ finitum sit, homo purus gratiâ instructus, operum suorum numero et dignitate potuisset injuriam Deo per peccatum illatam compensare.

Secunda est Thomistarum, qui pro affirmante decertant; in illâ tamen opinione tuendâ non omnes eàdem ratione ducuntur. Plures enim,

post S. Thomam, suam assertionem ex infinitate peccati stabiliunt: *Peccatum*, inquit S. Doctor, part. 3, quæst. 1, art. 2, *peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis. Tantò enim offensa est gravior, quantò major est ille in quem delinquitur; undè oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, ut potè Dei et hominis existens.* Cæteri verò, inter quos Suaresius, eamdem thesim probare gestiunt, non ex infinitudine peccati, quam negant, sed ex eo quòd peccatum mortale, licèt finitum in genere moris, tamen in superiori quodam ordine ita constituitur, ut quamcunque injuriam cuilibet creaturæ, quamtumvìs perfectæ, illatam superet, nullàque simplicis creaturæ satisfactione possit compensari.

PROPOSITIO III.

Incarnatio strictè necessaria fuit in hypothesi condignæ satisfactionis, ita ut nullus homo purus vel etiam Angelus, quantumvìs uberioribus gratiæ auxiliis adjutus, potuerit condignè seu æquivalenter satisfacere pro injuriâ Deo per peccatum mortale illatâ.

Prob. 1.° *ex SS. PP.* S. Cyrillus Alex. in Epist. ad Valerianum: *Quo pacto*, inquit, *unus pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* Undè sic argumentor: S. Cyrillus probat Christum non esse hominem purum, sed personam Verbi carnem verè factam, ex eo quòd pretium redemptionis nostræ solverit: atqui hanc probationem non potuit afferre, nisi judicaverit hominem

purum non posse condignam Deo exhibere satisfactionem, seu, quod in idem recidit, Incarnationem strictè necessariam fuisse in hypothesi condignæ satisfactionis.

S. Fulgentius, lib. de Incarn. et Gratiâ: *Nullatenùs*, inquit, *humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unione Dei Verbi..... personali unitate transiret.*

Ab aliis exscribendis supersedemus, quia vulgò non improbabiliter possunt intelligi de necessitate Incarnationis ad condignam satisfactionem in ordine præsenti, juxta quem, nullo diffitente Catholico, Deus liberè statuit homines per sola Christi merita reparare. Eàdem de causâ nullam ex Scripturis, præsertìm ex Epist. ad Hebr. c. 9, probationem attulimus, sicut à quibusdam fieri solet.

Prob. 2.° Ad condignam satisfactionem necessaria est Incarnatio personæ divinæ, quæ secundùm naturam sibi personaliter unitam, plenè Deo satisfaciat, modò pura et simplex creatura, quantumlibet gratiæ donis ornata, non possit condignè seu æquivalenter Deo satisfacere pro injuriâ ipsi per peccatum illatâ: atqui pura et simplex creatura non potest condignè seu æquivalenter satisfacere Deo pro injuriâ ipsi per peccatum illatâ. Namque satisfactio condigna seu æquivalens ea dicitur, cujus valor et pretium adæquat gravitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ; atqui valor satisfactionis à purâ et simplici creaturâ proficiscentis, nunquàm potest adæquare gravitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ. Etenim nulla est proportio dignitatis inter Deum peccato læsum, et puram creaturam Deo

per peccatum læso satisfacientem : atqui tamen absque illà dignitatis proportione, valor et pretium satisfactionis puræ creaturæ non potest adæquare gravitatem injuriæ Deo per peccatum illatæ, cùm valor satisfactionis potissimùm æstimandus sit ex dignitate personæ satisfacientis ; dùm è contrà gravitas injuriæ cuipiam illatæ ex gradu seu excellentià personæ offensæ dijudicatur, juxta vetus illud effatum : *Honor est in honorante, injuria verò in personâ læsâ.*

Prob. 3.° Vel peccatum in genere moris et offensæ infinitum est, ut volunt plurimi ; vel finitum, ut contendunt alii : atqui, sive infinitum, sive finitum esse dicatur, semper necessaria est Incarnatio, in hypothesi condignæ satisfactionis. 1.° Quidem si peccatum dicatur infinitum ; namque satisfactio condigna seu æquivalens peccato infinito, valorem habere debet infinitum : atqui citra Incarnationem alicujus personæ divinæ, quæ secundùm naturam sibi hypostaticè unitam Deo satisfaciat, nulla dari potest satisfactio quæ pretium seu valorem habeat infinitum ; evidens est enim quòd satisfactio puræ creaturæ non possit esse valoris infiniti. 2.° Si peccatum in genere moris finitum esse dicatur, non minùs necessaria est Incarnatio ad condignam satisfactionem ; res ita est, modò pura creatura non possit condignè satisfacere pro injurià Deo per peccatum etiam finitum illatâ : atqui pura creatura non potest condignè satisfacere pro injurià Deo per peccatum etiam finitum illatâ. Namque injuria superioris ordinis nunquàm potest compensari per satisfactionem inferioris ordinis ; quemadmodùm in rebus naturalibus, species gradûs infimi, quantumvis

multiplicentur, nunquàm æquivalere possunt vel uni gradùs superioris individuo : v. g., infinitus muscarum numerus non potest adæquare valorem et pretium unius animæ quamvis finitæ : porrò injuria Deo per peccatum mortale illata in superiori quodam ordine constituitur, satisfactio autem puræ et simplicis creaturæ ad inferiorem pertinet ordinem, cùm dignitas entis supremi, ex quâ gravitas peccati est potissimùm repetenda, et perfectio simplicis creaturæ, ex quâ suum valorem accipit satisfactio, sint ordinis omninò diversi, et à se infinito distent intervallo.

Obj. 1.° Merus homo, Dei adjuvante gratiâ, potest elicere actum perfectæ charitatis vel contritionis : atqui talis actus per seipsum condignè satisfactorius est; ergo, etc.

Resp. Nego min. In præsenti quidem rerum ordine Deus voluit hominem gratiâ præventum, sibi per bona opera sua condignam, imò superabundantem Christi satisfactionem applicare posse; at illa de se minùs condignè satisfactoria sunt, siquidem injuriæ Deo per peccatum illatæ gravitas imprimìs repetenda est ex majestate personæ læsæ, Dei scilicet; valor autem satisfactionum hominis maximè ducitur ex ejus personæ dignitate, quæ summè vilis est comparatè ad Deum.

Inst. 1.° Merus homo per actum charitatis perfectæ aut contritionis Deo tantùm reddit quantùm ipsi per peccatum ablatum est; nempè, rationem finis ultimi, quam peccando abstulerat Deo, hanc ipsi, diligendo eum, restituit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Sicut enim dixerit nemo plebeium tantùm Regi, ipsum laudando, red-

dere, quantùm, eumdem conviciis insectando, ipsi detraxerat; ita nimis absurdum est fingere hominem peccando Deo aversum, condignam creatori, seipsum convertendo, exhibere satisfactionem. Ratio est quòd quisquis peccando finis ultimi rationem Deo aufert, ipsum consequenter infinitâ quodammodò afficit injuriâ, eo quòd, ut jam pluries diximus, injuria crescat juxta proportionem dignitatis personæ læsæ; è contrà cùm peccator se convertendo rationem finis ultimi Deo restituit, finitum et propè nullum conditori suo honorem exhibet, quia honor alteri datus crescit juxta proportionem personæ honorantis.

Inst. 2.° Per actum charitatis perfectæ homo meretur vitam æternam, quæ est aliquo sensu bonum infinitum; ergo per eumdem actum condignè potest satisfacere pro peccato, licèt in genere moris infinito.

Resp. Nego cons. et consequent. et parit. Ad opus meritorium vitæ æternæ non requiritur ut in se tanti valeat quanti æstimatur vita æterna; ratio est quòd actus vitæ æternæ meritorius vim suam præcipuè sumat ex promissione Dei liberâ, nec non infinitis meritis Christi fundetur. È contrà, ut independenter ab Incarnatione merus homo possit condignè Deo satisfacere pro peccatis, necesse est ut ejus satisfactio per semetipsam tanti valoris sit et pretii, ut æquivaleat injuriæ Deo per peccatum illatæ, quod omninò repugnat, propter rationes allatas.

Obj. 2.° Satisfactio finita compensare potest offensam finitam: atqui satisfactio hominis puri finita est sicut peccatum ab ipso commissum; ergo, etc.

Resp. 1.° *Dist. maj.* Si offensa et satisfactio

sint ejusdem ordinis, *conc. maj.*; si diversi sint generis, *nego*. Itaque ut rectè dijudicetur an offensa per aliquam satisfactionem compensari possit, non satìs est attendere utrùm in genere finiti vel infiniti conveniant, sed maximè habenda est ratio hujus in quo constituuntur ordinis, an sit idem vel summè diversus; quia in rebus diverso penitùs ordine conclusis, quantumvìs una crescat vel multiplicetur, nunquam perveniet ad valorem alterius; undè Theologi dicere solent injuriam factam in bonis superioris ordinis nunquàm posse per bona gradûs inferioris ad æqualitatem compensari: porrò injuria Deo per peccatum illata, et satisfactio puri hominis, in ordine summè diverso constituuntur; illius enim gravitas ex infinità Dei majestate repetitur; istius autem valor et pretium ex dignitate entis vilissimi desumitur; ergo, etiamsi peccatum in genere moris finitum esse dicatur, non ideò mera creatura ad condignè satisfaciendum Deo sufficere potest.

Sed fortè dicet aliquis: Ex hàc responsione sequitur plebeium nullà submissione, nullo præclaro pacto Regi quem offendisset satisfacere posse, propter diversum offensæ et satisfactionis ejus ordinem.

Resp. illud minimè sequi ex responsione nostrà; namque, licèt valor operis satisfactorii ex gradu seu dignitate personæ satisfacientis potissimùm æstimetur, ipse tamen non parùm augetur ex objecto, difficultate et aliis operis satisfactorii circumstantiis. Hinc quandò dignitas personæ læsæ non infinitè distat à gradu personæ satisfacientis, tunc quod deest valoris personalis operi satisfactorio, aliundè suppleri et compensari po-

test, nimirùm excellentiâ objecti, difficultate et aliis operis satisfactorii circumstantiis. Jam verò plebeius non infinitè distat à principe suo; ergo condignè potest ei satisfacere, modò personæ inæqualitas naturâ, difficultate et aliis operis satisfactorii circumstantiis compensetur : v. g., si miles aliquis Regi cujus imperium contempsit, vitam cum suæ periculo conservaret, tunc censeretur æquivalenter satisfecisse, quia difficultas et utilitas hujus actionis satisfactoriæ personarum inæqualitatem suppleret. At verò cùm distantia Deum inter et hominem purum prorsùs infinita sit, quod deest valoris personalis humanæ satisfactioni, per excellentiam objecti ejus, difficultatem aut alias ejusmodi circumstantias suppleri et compensari non potest.

Resp. 2.° *Dist. min. quoad secundam partem* : Peccatum est finitum in genere entis, *conc.*; in genere offensæ, *nego*. Peccatum quidem in genere entis, seu quatenùs est actio quædam libera creaturæ, nonnisi finitum esse potest; modus enim quantitatem subjecti in quo recipitur excedere nequit; item, peccatum, quatenùs est privatio gratiæ sanctificantis et bonorum ipsi annexorum, limitibus constringitur; privationes enim ex formis oppositis æstimantur : sed gratia sanctificans cujusvis creaturæ finita est; ergo et peccatum, quatenùs est privatio ejus. At verò peccatum in genere moris seu offensæ, id est, quatenùs Deum lædit, eique injuriam facit, infinitæ est gravitatis; quia, ut jam dictum est, gravitas offensæ crescit juxta proportionem dignitatis personæ læsæ : peccatum autem lædit majestatem infinitam; ergo gravitas ejus infinitè crescit.

Inst. Dantur peccata alia aliis majora : atqui

non darentur peccata alia aliis majora, si forent in genere moris infinita; nihil enim infinito majus concipi potest; ergo, etc.

Resp. Nego min. Namque gravitas peccati non modò repetenda est ex infinitâ majestate Dei læsâ, sed etiam ex gravitate rei præceptæ vel prohibitæ, ex majori cognitione vel advertentiâ, et vehementiori propensione voluntatis, ex facilitate præceptum adimplendi. Jam verò peccatum, prout ex majestate Dei læsâ crescit, in genere moris seu offensæ habet quòd sit infinitum, seu gradus infinitos offensæ continet, ideòque sub illo respectu fatemur non dari peccata alia aliis majora. Sed aliâ ex parte, prout nimirùm gravitatem accipit ex qualitate rei præceptæ, ex majori advertentiâ et aliis ejusmodi circumstantiis, evidens est ipsum nullo modo esse infinitum, ita ut infiniti numero gradus offensæ quos ex infinitâ majestate Dei læsâ contrahit, intensivè augeri possint; undè sequitur peccata sub illo respectu considerata, esse posse alia aliis majora. Res exemplo illustratur : sit linea tenuis, in infinitum protensa, juxta quam supponatur corpus aliquod habens, v. g, latitudinem pollicis unius; in hâc hypothesi, linea et corpus infinita erunt, scilicet penes longitudinem; inæqualia tamen propter alias dimensiones. Quemadmodùm etiam supplicia peccatis mortalibus debita, sunt omninò æqualia quoad durationem, quâ parte infinita sunt; nec tamen sunt ideò æqualia quoad gradum seu intensionem. Ita est de peccatis; sunt enim æqualia quà parte infinita sunt, prout nempè gravitatem suam ex infinitâ Dei majestate læsâ trahunt; inæqualia autem, quâ parte finita sunt, in quantùm scilicet ex gravitate rei præceptæ

aut prohibitæ, ex majori cognitione vel advertentiâ, et aliis ejusmodi circumstantiis in malitiâ crescunt. Undè sic *distingui* potest *minor* propositio negata : Non darentur peccata alia aliis majora, si forent in genere moris infinita ex omni parte, id est, tum extensivè, tum intensivè, *conc. min.*; extensivè tantùm, *nego min.* Itaque peccatum extensivè consideratum, ipsum est sub ratione multitudinis graduum ejus; spectatum verò intensivè, ipsum est sub ratione intensitatis ejus graduum. Infinitum sub priori respectu dicitur, quia multitudo graduum ejus infinita est, sicut et ipsa Dei perfectio gradibus infinitis constans, quam lædit; sub posteriori autem respectu, maximè finitum est, quia intensitas singulorum ejus graduum non est infinita, cùm sumatur ex gravitate rei præceptæ aut prohibitæ, ex cognitione vel advertentiâ, ex facilitate præceptum adimplendi, ex voluntatis propensione et cæteris ejusmodi finitis : porrò quia finita sunt jam possunt crescere aut minui, undè nascitur peccatorum inæqualitas.

SCHOLIUM.

Sic paucis resumo totam de necessitate Incarnationis quæstionem. 1.° Non fuit absolutè necessaria, quia Deus liber est in suis operibus et relationibus ad extrà. 2.° Nec etiam in hypothesi creationis, quia Deus creando non tenebatur ad optimum. 3.° Nec in hypothesi lapsûs hominum, quia Deus non tenebatur peccatores reparare. 4.° Nec in hypothesi reparationis eorum, quia Deus poterat absque satisfactione condignâ peccatum relaxare. 5.° Tandem fuit necessaria in hypothesi condignæ satisfactionis, quia satisfac-

tio meræ creaturæ finita est, peccatum verò infinitum, aut saltem in altiori quodam ordine constituitur, ad quem meræ creaturæ satisfactio, ut potè ordinis summè inferioris, pertingere nequit. Ex quatuor primis assertionibus sequitur Incarnationem esse opus charitatis et misericordiæ infinitæ, sive consideretur in seipsâ, cùm sit bonum participativè infinitum, sive spectetur modus quo peracta est à Deo, quia liberè. Ex ultimâ autem assertione concludere datur, Incarnationem in hypothesi lapsûs hominum plurimùm congruam esse, ideòque dignissimam.

Quæ hactenùs dicta sunt, intelligi debent de necessitate Incarnationis ad condignam satisfactionem pro peccato mortali. De venialibus enim, utrùm mera creatura pro iis condignè satisfacere possit, longè major est difficultas, quæ à paucis negativè solvitur, cæteris communiter affirmantibus Theologis. Hanc litem otiosiori linquimus dirimendam.

DISSERTATIO QUARTA.

DE CAUSIS INCARNATIONIS.

Incarnationis causa triplex : efficiens, meritoria et finalis.

Certum est Incarnationem efficienter spectatam, tribus personis tribuendam esse, licèt formaliter accepta, soli Verbo conveniat. Scilicet, actio productiva humanitatis illiusque cum filio Dei unitiva, Trinitati communis est; solus tamen Filius cum illâ hypostaticè jungitur, sive, ut plures loqui amant, unitio naturæ humanæ cum

personâ Filii est à tribus Personis; ipsa autem unio hypostatica personæ Filii propria est. In re tam clarâ, unius Concilii Toletani XI sufficiat auctoritas : *Incarnationem filii Dei,* inquit, *tota Trinitas operata esse credenda est.* Et verò, opus quodlibet ad extrà, qualis est Incarnatio, efficienter spectata, ab omnipotenti voluntate tribus Personis communi procedit.

Superest ergo ut distinctis capitibus disseramus de causâ meritoriâ et finali Incarnationis.

CAPUT PRIMUM.

De Causâ meritoriâ Incarnationis.

Meritum duplex, unum de *condigno,* alterum de *congruo :* prius illud est cui præmium ex justitiâ debetur, et quatuor exigit conditiones, sanctitatem in operante, libertatem in opere, dignitatem operis mercedi proportionatam, et promissionem in remunerante. Meritum de *congruo* illud est cui ex quâdam decentiâ et benignitate merces debetur.

Incarnatio considerari potest vel quoad *substantiam,* prout est unio cum naturâ humanâ præcisè; vel quoad *modum* et varias ejus circumstantias, putà, tempus hoc vel illud, hanc vel illam originem, etc., sine quibus Incarnatio esse potuit. De Christo, Patriarchis et B. Mariâ Virgine quæritur utrùm Incarnationem meruerint.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus nullo modo Incarnationem meruit.

Prob. 1.° *ex S. Aug.* Enchiridii cap. 36 : *Hìc* (in mysterio Incarnationis), inquit, *evi-*

denter gratia Dei commendatur : quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta?

2.° *Ex ratione :* Si Christus meruisset Incarnationem, vel ante peractum hujusmodi mysterium, vel post : atqui neutrum dici potest. 1.° Non ante peractum Incarnationis mysterium, cùm humanitas Christi per cujus opera tantùm mereri potuit, non priùs exstiterit quàm uniretur Verbo. 2.° Nec post Incarnationem; namque *principium meriti*, ut fert axioma vulgare, *non cadit sub merito :* atqui Incarnatio fuit principium omnium Christi operum ac meritorum consequentium; ergo, etc.

Obj. 1.° Ps. 44, ℣. 8 : *Dilexisti justitiam,... propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Undè sic : Patres unctionem illam tribuunt Christo : atqui dicitur Christo concessa propterea quòd dilexisset justitiam; ergo, etc.

Resp. In hoc textu adverbium, *propterea,* non significat unctionem fuisse datam Christo quia dilexit justitiam; sed è contrà ut eam diligeret, quasi dictum fuisset : Dilexisti justitiam, propter hunc finem unxit, etc.

Obj. 2.° Apoc. c. 5, ℣. 12 : *Dignus est Agnus qui occisus est accipere..... divinitatem;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Dignus est Agnus accipere divinitatem, id est, laudes Deo debitas, *conc.;* ipsam divinitatem, *nego.* Alioquin sequeretur Christum eo tempore quo Joannes hæc scribebat, nondùm fuisse naturâ divinâ præditum, quod nimis absurdum est.

PROPOSITIO

PROPOSITIO II.

Veteres Patriarchæ non meruerunt de condigno *Incarnationem, nec circumstantias ejus;* de congruo *tamen aliquas ex eis meruerunt.*

Prob. 1.ª *pars.* 1.° Quia mysterium Incarnationis exhibetur in Scripturâ ut opus summæ charitatis et misericordiæ; Joan. c. 3, ℣. 16 : *Sic... Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* 2.° Principium meriti non cadit sub merito : atqui Incarnatio est omnis meriti principium; ergo, etc. 3.° Ad meritum de condigno requiritur condignitas in opere : atqui bona Patriarcharum opera finita respondere nequeunt Incarnationi, cujus valor infinitus est; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars.* Ad meritum de condigno requiritur promissio anterior operi meritorio : atqui nullibi legitur talis ex parte Dei promissio; ergo, etc.

Prob. 3.ª *pars.* Quòd Christus ex Abraham nasceretur, illud est quædam mysterii Incarnationis circumstantia : atqui Abraham de congruo meruit ut Christus ex ipso nasceretur, Gen. c. 22, ℣. 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

De B. Mariâ Virgine idem statuimus ac de Patriarchis, ob easdem rationes; quoad matris titulum, hunc non quidem meruit *ex condigno*, defectu promissionis ex parte Dei, sed *ex congruo*, propter virtutis ipsius eminentiam.

Meruit tamen *de condigno* eminentem gratiæ statum; quo posito, in Dei matrem electa est, ut docent SS. PP., canit Ecclesia in paschali antiphonâ, et confirmat ratio : nam aderant

omnes conditiones quæ requiruntur ad meritum de *condigno ;* scilicet, erat in Mariâ sanctitas, in ipsius operibus dignitas et libertas, et Dei promissio pro gratiâ et sanctitate adaugendâ; Deus enim in Scripturis promisit augmentum sanctitatis et gratiæ iis qui bonis operibus incumbunt.

CAPUT II.

De Causâ finali Incarnationis.

Finis ultimus Incarnationis gloria Dei est, finis proximus hominis lapsi reparatio, ut patebit ex dicendis de Christi satisfactione. Hæc nobis agitanda superest quæstio, an finis ille adeò præcipuus fuerit, ut, sublato Adami peccato, Verbum non fuisset incarnatum. Affirmant multi post S. Thomam; negant plures, Scoto duce, rati Deum Incarnationem Verbi, quoad substantiam, ante omnia decrevisse, ita ut, etiam Adamo non peccante, venturum fuisset in carne non passibili, ut esset dux, legislator et magister hominum, et Religionis caput existeret, ut omnium Dominus constitueretur creaturarum.

PROPOSITIO.

Si homo non peccasset, Verbum caro factum non fuisset.

Probari solet 1.° *ex Script.* Joan. c. 3, ℣. 17: *Misit Deus filium suum.... ut salvetur mundus per ipsum.* In hoc textu, sicut et in pluribus aliis, quos brevitatis causâ reticemus, hominis lapsi reparatio exhibetur velut causa seu motivum

Incarnationis et adventûs Christi, de altero tanti mysterii fine, altum ubique silentium; nobis ergo in rebus hujusmodi, quæ ex mirâ Dei voluntate liberâ pendent, causas fingere et comminisci non licet; ac proindè dicendum est Verbum, sublato peccato, carnem non fuisse assumpturum.

Sed minùs valida pluribus videbitur ista probatio; eo quòd enim ob generis humani reparationem filius Dei carnem induerit, non ideò motivum aliud excluditur, propter quod etiam, altero deficiente, carnem induisset. Nec urgeri potest Scripturarum de altero fine silentium; ex eo enim unicè sequitur reparationem humani generis, saltem respectu ipsius, motivum Incarnationis præcipuum fuisse.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Irenæus, lib. 5, cap. 14: *Si non haberet caro salvari, nequaquàm Verbum Dei caro factum esset.* Origen. Hom. 24, in Numer.: *Si non fuisset peccatum..., mansisset hoc quod erat in principio Deus Verbum.* S. Athan. Orat. 3 contra Arianos: *Quod Verbum homo factum est, id nunquàm contigisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset.* S. Amb. de Incarnat. cap. 6: *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat redimeretur?* S. Aug. Serm. 174 aliàs 8 de Verbis Apostoli: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Deniquè, S. Leo, Serm. 3 de Pentecoste: *Si homo... à lege sibi positâ... non deviasset, creator mundi creatura non fieret.*

Obj. 1.° In Scripturâ multæ recensentur Incarnationis causæ, præter generis humani reparationem; ergo etiam sublato hoc ultimo fine,

propter alios Verbum caro factum fuisset. *Antecedens* probatur ex Matth. c. 23, ℣. 10; Joan. c. 10, ℣. 18; Jacob. c. 4, ℣. 12: in his enim Scripturæ locis, Christus dicitur venisse ut magister, ut vitæ spiritualis auctor, ut legislator.

Resp. Dist. ant. Multæ recensentur causæ, etc., secundariæ et seorsim à reparatione generis humani minùs efficaces, *conc.*; secùs, *nego.* Christus quidem venit ut esset magister, legislator, dux, caput hominis et Angelorum; sed non venisset ut talis, nisi primariò fuisset venturus ut reparator generis humani. Certè Verbum non potuit carnem, salutis nostræ causâ, induere, quin ex illo fine plures alii sequerentur; et proindè ex eo quòd alii, præter reparationem hominum, fines Incarnationis in Scripturâ legantur, minimè consequens est Verbum, sublato peccato, carnem ob alias causas fuisse assumpturum.

Obj. 2.° Christus est caput omnium, non modò hominum, sed etiam Angelorum, Ephes. c. 1, ℣. 20, 21; et ad Coloss. c. 2, ℣. 10: caput autem est id undè vita ad membra derivatur: sed quod vitam largitur, priùs existere aut saltem decerni debet, quàm illa quæ ab eo vitam accipiunt; ergo Christus seu Incarnatio priùs à Deo statui debuit, quàm de Angelis et hominibus quidquam decerneretur; ergo decretum Incarnationis prævisum hominis peccatum antecedit, et consequenter, sublato etiam peccato, Verbum caro factum fuisset.

Resp. Dist. maj. Christus est caput omnium, etc., dignitate necnon auctoritate, *conc.*; influxu gratiæ, *subdist.* In præsenti statu naturæ lapsæ, *conc.*; in statu naturæ innocentis prætérito, *nego.* Itaque 1.° Christus est dignitate

suâ caput omnium non modò hominum, sed etiam Angelorum : *In* ipsius enim *nomine omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum*, Philipp. c. 2, ℣. 10. Item, caput est auctoritate : *Data est* enim ipsi *omnis potestas in cœlo et in terrâ.* 2.° In præsenti naturæ lapsæ statu, Christus tanquam caput in omnes etiam Angelos influit, per largitionem gratiæ, accidentalis quidem respectu Angelorum, qualis est, v. g., manifestatio mysteriorum Religionis nostræ, et ex salute generis humani gaudium ipsis adveniens; quoad nos autem influxu gratiæ etiam primariæ, sine quâ salus obtineri nequit : *Nec enim*, inquit Apostolus, Act. c. 4, ℣. 12, *aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Sed in statu naturæ innocentis, Christus nec Adami nec Angelorum caput gratiæ influxu ullo modo fuit, quæ enim sive Angelis, sive Adamo, tunc concessa sunt gratiæ dona, ex solo Dei beneplacito et sine ullo ad Christum respectu prodière ; ergo mysterium Incarnationis præsupposito tantùm hominis peccato decretum est; eo igitur sublato, Verbum caro factum non fuisset.

Obj. 3.° Si Verbi Incarnatio decreta non est nisi consequenter ad peccatum hominis, ita ut, sublato peccato, carnem non induisset, jam B. Virgo Maria in Adamo peccavit : atqui pietas refugit dicere B. Mariam peccasse ; ergo, etc. *Major* evidens est ; omnes enim Adæ posteri in ipso et cum ipso peccaverunt, ita ut nullus ab ejus noxâ immunis esse potuerit, nisi eodem quo admissa est instanti, ab illâ contrahendâ per Christum fuerit præservatus.

Resp. Dist. maj. Si Verbi Incarnatio, etc.,

jam ipsa Virgo Maria in Adamo peccavit quoad debitum, *conc.*; quoad actum, *nego.* Ex nostrâ quidem opinione sequitur Mariam in Adamo peccasse quoad debitum, eo sensu quòd vi legis communis debuerit in peccato nasci; sed ex eà minimè consequens est Mariam in Adamo peccasse quoad actum; cùm enim Incarnatio statuta fuerit consequenter ad prævisum peccatum primi hominis, facilè concipitur quomodò intuitu futuræ Incarnationis, potuerit ab illo committendo præservari: porrò id unum refugit pietas dicere Mariam peccasse in Adamo quoad actum.

DISSERTATIO QUINTA.

DE EFFECTIBUS INCARNATIONIS.

Ex unione hypostaticâ Verbi cum humanitate, tum in ipsam, tum in genus humanum derivârunt bona, de quibus hìc per singula disserere nimis longum et præter consuetum ordinem foret; in præsenti ergo Christi satisfactionem ut præcipuum Incarnationis fructum expendere sufficiat.

In satisfactione Christi quatuor discutienda nobis occurrunt, id est, ejus necessitas, ejus existentia, condignitas et perfectio.

Quoad 1.um, constat ubi de Incarnationis necessitate actum est, satisfactionem Christi non absolutè necessariam fuisse; Deus enim potuisset humanum genus peccato infectum derelinquere; vel etiam, in hypothesi reparationis ejus, finitam et viribus meræ creaturæ proportionatam satisfactionem tantùm exigere. Igitur controversiæ

status est, an Deus in actuali rerum ordine statuerit hominum peccata non dimittere, nisi dependenter à Christi satisfactionibus. Negant Sociniani, affirmant cæteri, quibus assentimur, Scripturarum et Traditionis auctoritate innixi. Verùm in re tam obviâ et ex dicendis in gratiam existentiæ satisfactionis Christi plurimùm illustrandâ non immorabimur; unum sufficiat Scripturæ testimonium, Hebr. cap. 10, ℣. 4, 5, 6, etc.: *Impossibile... est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata; ideò* (Christus) *ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio,... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ergo triplici capite nobis agendum superest de veritate seu existentiâ, condignitate seu æquivalentiâ, et perfectione satisfactionis Christi.

CAPUT PRIMUM.

De Veritate seu Existentiâ Satisfactionis Christi.

Satisfactio dicitur *redditio voluntaria honoris et reverentiæ, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam.* Sociniani satisfactionis Christi nomen retinentes, eam reverà tollunt è medio: Pro nobis, inquiunt, Christus satisfecit, hoc sensu quòd veniam delictorum nostrorum postulando, eam gratis obtinuerit, quòdque Deum placandi viam nobis doctrinâ suâ et exemplo monstraverit; hinc Salvatoris, Redemptoris, Me-

diatoris et Sacerdotis titulos, quos Scriptura passìm Christo tribuit, ad extraneos et metaphoricos sensus detorquent. Fides autem catholica docet Christum veram et propriè dictam satisfactionem pro peccatis hominum Deo exhibuisse.

PROPOSITIO.

Christus pro nobis verè satisfecit.

Prob. 1.° *ex Script.* Ille verissimo et maximè proprio sensu pro nobis satisfecit, qui voluntariè seipsum humiliando, patiendo et moriendo, summum Deo consentienti et acceptanti honorem reddidit, ad compensandam et delendam injuriam ipsi per hominum peccata illatam: atqui Christus voluntariè seipsum humiliando, patiendo, etc.

1.° Quidem Christus voluntariè passus et mortuus est, Isaiæ c. 53, ℣. 7: *Oblatus est quia ipse voluit;* Joan. c. 10, ℣. 15: *Animam meam pono pro ovibus meis;* et ℣. 18: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.*

2.° Christus voluntariè passus et mortuus est, ad compensandam et delendam injuriam Deo per peccatum illatam. Matth. c. 26, ℣. 28: *Hic est sanguis meus... qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum;* et c. 20, ℣. 28: *Filius hominis venit... dare animam suam, redemptionem* (græcè, *pretium redemptionis*) *pro multis.* I ad Timoth. c. 2, ℣. 6: Christus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* I Cor. c. 6, ℣. 20, Paulus fideles alloquens ait: *Empti estis pretio magno,* id est, sanguine Christi. I Petri c. 1, ℣. 18: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis,.. sed pretioso sanguine*

Christi. Deniquè, Hebr. c. 10, ℣. 12, 14 : Christus *unam pro peccatis offerens hostiam,... unâ oblatione* (corporis sui) *consummavit in sempiternum sanctificatos.*

3.° Deus acceptavit honorem ipsi à Christo præstitum ad compensandam injuriam per peccatum illatam. Isaiæ c. 53, ℣. 6 : *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm; et* ℣. 8 : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Hebr. c. 10, ℣. 5 et seqq. : *Ingrediens mundum dicit* (Christus) : *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio,... ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel;* ergo, etc.

Hæc autem necnon alia quæ citari possunt Scripturæ testimonia, tam clarè veram et propriè dictam Christi satisfactionem exhibent, ut mirum videretur Socinianos tantâ luce illustratos cæcutire, nisi perversa eorum Scripturam interpretandi methodus ad respuendas veritates in eâ clariùs etiam contentas nota foret.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Cyrillus Jerosol. Cath. 13 : *Jesus... seipsum in redemptionis pretium offerens, nunquid iram* (Dei) *adversùs homines non dissolvet?* S. Amb. lib. de Joseph, c. 4 : *Unus* (*Christus*) *exsolvit quod ab omnibus debebatur.* S. Chrys. in cap. 3 Epist. ad Gal. : *Suscepit* (Christus) *maledictum, per quod illud aliud sustulit; perindè faciens ac si morti adjudicatum quempiam alius insons, illius damnati vice sponte mori volens, eripiat : sic et Christus fecit.* S. Aug. lib. 13 de Trinit. cap. 14 : *Christus pergit ad passionem, ut pro debitoribus nobis quod ipse non debebat exsolveret.* Cæteros legere est apud Gro-

tium, lib. cui titulus, *Defensio fidei catholicæ de veritate satisfactionis Christi adversùs Socinum.* Undè sic : Omnes sancti Patres, fatentibus ipsismet Socinianis, docent Christum verè pro nobis satisfecisse : atqui sensus ille Patrum unanimis nonnisi verus esse potest, manifestum est enim doctrinæ apostolicæ signum; ergo, etc.

Prob. 3.° *ex Symbolis, Conciliis* necnon et *Fide* omnium Christianorum, demptis Socinianis.

Prob. 4.° *ex Rationibus theologicis.* 1.ª In Scripturis soli Christo, exclusis cæteris, tribuitur quòd pro nobis mortuus sit, quòd genus humanum morte suâ redemerit : atqui ex suppositâ veritate opinionis Socinianorum, multi præter Christum, omnes scilicet Martyres pro nobis mortui, nostrique redemptores dicendi sunt; etenim, juxta Socinianos, Christus eo tantùm sensu pro nobis mortuus est, quòd morte suâ nobis exemplum præbuerit, et doctrinæ suæ veritatem confirmaverit : atqui Martyres omnia suppliciorum genera perpessi, ad virtutem quoque excitârunt nos, et fidem sanguine obsignârunt suo; ergo, etc. 2.ª Si non alius sit mortis Christi finis quàm ille qui à Socinianis fingitur, nihil ea eximium habet quod non eodem prorsùs jure, aut etiam potiori, miraculis ejusdem Christi et admirabili vitæ ipsius tribui possit et debeat : nunquid enim doctrinæ suæ confirmandæ causâ virtutes et prodigia non fecit? nunquid vita ejus imitanda nobis non proponitur? cùm ergo id morti et sanguini ejus propriè tribuitur, quòd iis redempti sumus, dicendum est Christum passionibus et morte suâ pro nobis satisfecisse, ac nostræ redemptionis pretium Deo solvisse.

Obj. 1.° Deus in Scripturis exhibetur velut

gratis condonans hominum peccata, Rom. c. 3, ℣. 24 : *Justificati gratìs :* atqui hæc gratuita peccatorum hominis remissio pugnat cum accuratâ Christi satisfactione; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etsi pro nobis accuratè satisfecerit Christus, verum est tamen dicere nos à Deo justificatos esse gratìs, quia 1.° donum Dei singulare est quòd miserit filium suum ut salvos faceret homines qui perierant; 2.° quia ex merâ liberalitate homines à debito personali liberos fecit, in Christum illud transferendo. Hæc duo, nempè satisfactionem ex parte Christi, et gratuitam respectu nostrî condonationem, conciliat Apostolus, ad Rom. c. 3, ℣. 24, 25 : *Justificati gratìs,... inquit, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.*

Inst. 1.° Si quis pro altero debitum reale solvat, tunc creditor non potest dici gratìs remisisse debitum; ergo à pari, si Christus pro nobis satisfecerit, minùs verè dicitur peccata à Deo nobis gratìs fuisse condonata.

Resp. Nego cons. et paritatem. Ratio disparitatis est duplex, 1.° Deus gratuitò decrevit adventum Christi, qui pro nobis satisfaceret : hinc in origine seu radice, hominum justificatio penitùs gratuita est; in exemplo autem proposito, creditor minimè causa fuit liberalitatis illius qui debitum alienum exstinxit. 2.° Debitum ex injuriâ per peccatum illatâ Deo contractum, personale est, ita ut qui peccavit per seipsum satisfacere teneatur, nisi læsus de jure suo cedat; ergo summæ opus est misericordiæ, quòd Deus oblatas à Christo pro nobis satisfactiones acceptare vo-

luerit. È contrà nobis objicitur exemplum debiti realis, ad cujus exstinctionem requiritur et sufficit ut rerum æqualitas inducatur, nec refert an debitor vel alter ipsius loco solvat; in hâc ergo hypothesi, creditor, solutionem debiti ab altero suscipiens, nullam erga debitorem exercet misericordiam.

Inst. 2.° Saltem justificatio nostra ex parte Dei gratuita non est, cùm pretium redemptionis nostræ à Christo receperit; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Justificatio hominis gratuita est, tum respectu ipsius, qui ultra proprium omne meritum justificatur; tum ex parte Dei, qui gratis misit filium suum, et satisfactionem ejus pro peccato alieno misericorditer acceptavit.

Obj. 2.° Si Christus pro nobis satisfecisset, non ampliùs satisfacere teneremur : atqui tamen tenemur satisfacere; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Christus enim noluit satisfactionem suam prodesse hominibus, nisi dependenter à conditione istâ, scilicet, quòd eam sib per satisfactiones proprias applicarent, quæ nedùm officiant meritis Christi, è contrà plurimùm illustrant, ex iis enim omnem vim suam trahunt.

Inst. 1.° Si post satisfactiones Christi teneremur adhuc pro peccatis nostris satisfacere, jam inutilis est satisfactio Christi; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Namque satisfactio Christi non est inutilis, licèt teneamur opera satisfactoria pro peccatis nostris elicere, modò satisfactiones nostræ sint tantùm medium applicans satisfactiones Christi, cujus virtute solà Deo reconciliamur : atqui res ita se habet; ergo, etc. Et verò, nullus dixerit summam pecuniæ ab aliquo datam in redemptionem captivorum, nullius esse utili-

tatis, propterea quòd nullus dimitteretur captivus, nisi pretium redemptionis suæ datum exiguo labore sibi priùs applicaret. Deindè, ut jam dixi, satisfactiones nostræ suum omne robur, virtutem et efficaciam habent ex meritis et satisfactionibus Christi; ergo ista nonnisi absurdè dicerentur inutilia. Postremò, quia Deus in præsenti rerum statu decrevit peccata non dimittere sine satisfactionibus condignis, omninò necesse fuit ut quod valoris deest satisfactionibus nostris, per infinita merita Christi suppleretur.

Inst. 2.° Saltem admissâ Christi satisfactione infinitâ, prorsùs inutilis est humana satisfactio; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Quia Deus noluit satisfactionem Christi, quantumvìs infinitam, nobis ad salutem prodesse, nisi dependenter à quibusdam operibus nostris ejus applicatoriis; in quo Deus nec injustitiæ, nec insipientiæ reus haberi potest. 1.° Non injustitiæ : qui enim justè poterat satisfactiones Christi pro nobis recusare, sanè potuit nonnisi sub aliquâ conditione eas acceptare. 2.° Non insipientiæ, imò suam sic agendo maximè commendat sapientiam, ne scilicet, à peccatoribus nihil laboris et operis satisfactorii ad eorum reconciliationem exigendo, ad peccandum incitentur.

Obj. 3.° Injustum est innocentem pro reo plecti : atqui Christus innocens erat, homines autem rei; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Injustum est innocentem pro reo plecti, si sponsor ejus non fuerit, *conc.;* si sponsor ejus factus, *nego*. In hàc ultimâ hypothesi, tam justè potest innocens plecti, quàm pecuniæ summa legitimè repeti ab eo qui, cùm

nihil proprio nomine debebat, lubens pro debitore spopondit : porrò Christus hominum sponsor volens à Deo constitutus est, Isaiæ c. 53, ℣. 7, 6 : *Oblatus est, quia ipse voluit.... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.*

Inst. 1.° Innocens rei sponsor justè fieri nequit, saltem in causâ capitali; hujusmodi substitutio legitima non est, nisi ubi agitur de reali debito; ergo, etc. *Prob. ant.* tum ex revelatione, Deuter. c. 24, ℣. 16 : *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* tum ex omnium gentium consuetudine : vide Platonem, lib. de Legibus; tum ratione : quid enim magìs insipiens est et crudele, si, nocente dimisso qui reipublicæ pestis est, sæviatur in justum, qui omnium bono ac exemplo vivit; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Innocens rei sponsor esse nequit in causâ capitali, ordinariè, *conc.;* extraordinariè, *nego.* Itaque præfata substitutio communiter illicita est, sive propter repugnantem illius qui sponsor constituitur voluntatem, vel etiam defectu potestatis ad hoc ut se reo substituat, et propter incommoda exindè in societatem redundantia. At ubi tres contrariæ forent conditiones, tunc nihil iniquitatis esset si justus in rei locum ad mortem subeundam mitteretur, nihil, inquam, iniquitatis esset, sive erga Deum mortis et vitæ dominum, qui spondendi facultatem huic justo tribuisse supponitur; nec erga sponsorem, qui volens de suo jure cederet; nec erga societatem, cui ex præfatâ substitutione multa provenirent bona : porrò tres illæ conditiones in Christum sponsorem nostrum reverà concurrunt. 1.° Pro nobis lubens passus et mortuus est, Joan. c. 10,

℣. 18 : *Nemo tollit* meam animam *à me sed ego pono eam à meipso.* 2.° Pro nobis mortem subeundi non modò facultatem, sed etiam mandatum acceperat à Patre Deo, Joan. c. 10, ℣. 18 citato : *Potestatem habeo ponendi* animam meam;.... *hoc mandatum accepi à Patre meo.* 3.° Ex morte Christi prodierunt bona non satis æstimanda, nempè manifestatio attributorum Dei, justitiæ potissimùm et misericordiæ, Ps. 84, ℣. 11 : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatæ sunt.* Deindè, exaltatio Christi, Luc. c. 24, ℣. 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Postremò salus generis humani, Rom. cap. 4 : *Traditus est* Christus *propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Ergo Christus justè pro nobis mori potuit.

Et verò ipsimet Sociniani docent Christum ex mandato Patris justè mortuum esse pro nobis, id est, ut perperàm interpretantur, ad exemplum et confirmationem Religionis tantùm : porrò si ob hujusmodi finem justè pro nobis mori potuit, quid obstat quominùs, salvâ pariter justitiâ, mortuus sit ad expiandum generis humani scelus?

Ad 1.am *ant. prob. resp.* Deus quidem loco objecto Deuter. prohibuit ne patres occiderentur pro filiis, et vicissìm ; sed illa prohibitio ad solos homines pertinet, non ad Deum ipsum.

Ad 2.am *resp.* legibus gentium rectè quidem prohiberi ne justus pro nocente plectatur, ob mala quæ exindè in rempublicam derivarent, quæ ratio non valet in hypothesi mortis Christi pro nobis omnibus.

Ad 3.am Mox data fuit responsio, juxta quam

mors justi pro nocenti illicita non est nec rationi contraria, si tres adsint conditiones, assensus nimirùm, potestas et utilitas, quæ tria in morte Christi reperiuntur, ut probatum est suprà.

Inst. 2.° Repugnat Deum summè bonum et misericordem voluisse dilectum filium acerbissima quæque peccatorum et inimicorum suorum loco tormenta pati; ergo, etc.

Resp. 1.° Ex eo quòd Scripturæ clariùs testentur Deum peccata mundi in filii sui caput omnia congessisse, huncque pro suis ovibus animam posuisse, illud indubiâ fide credendum, neglectis quæ ex lumine naturali adversùs tantum mysterium opponuntur; non minùs enim certum est aliquid revelatum à Deo repugnans non esse, quàm aliquid repugnans non dictum ab eo fuisse. Ex utrâque parte, suppositâ veritate principii, conclusio ritè deducitur; verùm inter duplicem methodum discrimen illud reperitur, quòd prior nostra obvia, brevis, tuta, necnon ordinata sit; posterior autem, quâ utuntur Sociniani, longa nimis, impervia et periculosa sit, et proindè ut talis rejicienda.

Resp. 2.° *Nego ant.* Deus non tantùm summè bonus et misericors est, sed etiam infinitè justus; illum ergo potuit ordinem seligere, in quo misericordia et justitia supra modum elucerent: atqui Deus, constituendo filium suum sponsorem hominis et ab illo pœnas nobis debitas repetendo, illud utrumque mirabiliter expressit attributum; ergo, etc.

Sed quomodò poterat Pater diligere filium suum, quem tam severè castigabat? id facilè concipies, modò attendas Patrem in filium suum non animadvertisse, nisi prout peccatum repræsentabat.

CAPUT II.

De condignitate seu æquivalentiâ Satisfactionis Christi.

Satisfactio condigna ea est quâ tantùm honoris Deo rependitur, quantùm ipsi per peccatum ablatum est.

Nunc quæritur an satisfactio Christi hoc sensu condigna fuerit. Affirmant communiter Theologi contra paucos dissentientes, sed ante solutionem quæstionis hujus quædam prænotare juvat.

Observ. 1.° Tantò plus honoris Deo per satisfactionem aliquam tribuitur, quantò plus ei valoris inest; valor autem in genere definitur : *Dignitas seu excellentia rei cujusdam, ex quâ apta est in pretium vel compensationem dari.* Hinc valor satisfactionis ipsa est dignitas quâ opus aliquod injuriæ compensandæ idoneum fit : porrò valor ille seu dignitas est aliquid morale, resultans ex objecto, fine, circumstantiis, et principio actûs satisfactorii, necnon ex qualitate seu excellentiâ personæ operantis. Undè

Observ. 2.° Valor satisfactionum Christi triplex : *objectivus,* qui sumitur ex entitate physicâ, ex objecto et fine operis satisfactorii; *accidentalis,* repetendus ex circumstantiis, ex intensitate graduum, necnon ex gratiâ quâcum fiunt; deniquè, *personalis,* quem deduces ex dignitate seu excellentiâ personæ satisfacientis.

Observ. 3.° Certum est valorem satisfactionum Christi, sive objectivum, sive accidentalem, finitum et limitatum fuisse. Hinc lis unicè movetur de personali earum valore, utrùm scilicet

infinitus et ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam æquivalens, imò superabundans fuerit; quod ut magìs intelligatur,

Observ. 4.° valorem satisfactionum eò majorem esse, quò sublimior est personæ satisfacientis dignitas, v. g., in humanis, nemo dubitat quin satisfactio à Rege præstita pluris æstimanda sit quàm si à plebeio fiat.

PROPOSITIO.

Satisfactio Christi non tantùm condigna, sed etiam superabundans fuit.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Rom. c. 5, ℣. 15 : *Si unius delicto multi*, id est, omnes, *mortui sunt, multò magìs gratia Dei et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Undè sic : Plus valuit obedientia Christi ad nostram satisfactionem, quàm Adæ prævaricatio ad mortem nobis inferendam; ergo satisfactio Christi major fuit in ratione honoris per ipsum præstiti, quàm peccatum hominis in ratione injuriæ Deo per ipsum illatæ. Idem Apostolus fideles alloquens, I Cor. c. 6, ℣. 20, dicit: *Empti estis pretio magno*, id est, sanguine Christi : sed inter pretium et rem emptam æqualitas vulgò supponitur; ergo, etc.

2.° *Ex SS. PP.* S. Cyrillus Jerosol. Cat. 13 : *Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus qui nostrî causâ moriebatur justitia ; non tantùm peccavimus quantùm ille* (Christus) *justitiâ excelluit qui pro nobis animam posuit.* S. Chrysost. Hom. 10 in Epist. ad Rom. : *Longè plura quàm debebamus solvit Christus, et tantò plura, quantò immensum pelagus ad*

guttam aquæ collatum majus est. S. Cyril. Alex. ad Valerianum : *Quo pacto unus (Christus pro omnibus mortuus justus) pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* Deniquè S. Ansel. lib. de Conceptu Virg., cap. 22 : *Quoniam nullus potest reddere quantùm debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui salvantur plus quàm debent.*

Prob. 2.ª *pars ex quibusdam Patrum et Scripturæ testimoniis modò citatis*, quibus addere placet Constitutionem Clementis VI, datam anno 1326, ubi hæc habet : *Christus in arâ crucis non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse.*

Prob. utraque pars ratione theologicâ : Vel peccatum in genere moris seu offensæ infinitum est, ut docent Thomistæ, vel finitum, ut placet Scotistis : atqui sive infinitum, sive finitum dicatur, Christi satisfactio non solùm æquivalens, sed etiam superabundans fuit. 1.° Quidem si finitum dicatur : namque satisfactio Christi, propter dignitatem personæ ejus, valorem habet infinitum : atqui evidens est satisfactionem valoris infiniti, non modò exæquare, sed etiam plurimùm superare injuriam Deo per peccatum, ex hypothesi quòd finitum sit, illatam; ergo 1.°, etc. 2.° Etiam in alterâ hypothesi non minùs æquivalens et superabundans fuit Christi satisfactio : ratio est quòd dignitas personæ Verbi longè magis influat in satisfactiones ab ejus humanitate elicitas, quàm majestas divina per peccatum læsa ad ejus gravitatem augendam concurrit.

Obj. 1.° Ad Coloss. c. 1, ℣. 24: *Adimpleo*, inquit Apost., *ea quæ desunt passionum Christi*: sed passiones seu satisfactiones quibus aliqua desunt, æquivalentes non fuère; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, quoad applicationem, *conc.*; quoad sufficientiam, *nego.* Namque, ut optimè advertit S. Aug., nihil deest satisfactionibus Christi spectatis in se et quoad sufficientiam, sed aliquid eis deesse potest in unoquoque nostrùm, illud scilicet quo per bona opera et alia salutis media nobis applicantur. His ergo tantùm significare voluit Apostolus, Christum pro nobis patiendo non tamen ab omnibus pœnitentiæ laboribus homines exemisse, non quasi non sufficiant ejus opera satisfactoria, sed quia noluit ea nobis prodesse independenter à propriis satisfactionibus quibus nobis applicarentur.

Obj. 2.° Deus liberè satisfactionem Christi acceptavit: atqui si æquivalens fuisset, tunc Deus non potuisset eam non acceptare, ergo, etc.

Resp. Nego min. Quia debitum ex peccato ab homine contractum, personale est, ab ipso proindè solvendum, nisi creditor, Deus scilicet, liberè velit cedere de jure suo; ergo satisfactio Christi, quantumvis ex sese condigna, imò superabundans, liberâ Dei acceptatione indiguit.

Obj. 3.° Satisfactio finita æquivalere nequit offensæ infinitæ: atqui satisfactio Christi fuit finita, et offensa hominis per peccatum Deo illata infinita fuit; ergo, etc.

Resp. Nego min. quoad 1.am *partem.* Namque valor satisfactionis maximè sumitur ex dignitate seu excellentiâ personæ satisfacientis, juxta istud, *Honor est in honorante*, et, *Actiones*

sunt suppositorum : sed in Christo dignitas personæ satisfacientis est infinita, ut patet; ergo, etc.

Inst. 1.° Christus satisfecit per actiones ab ejus humanitate profectas : atqui actiones humanitatis Christi sunt finitæ, ergo, etc.

Resp. Dist. min. Actiones humanitatis Christi finitæ sunt quoad entitatem, vel etiam quoad valorem objectivum et accidentalem, *conc.*; quoad valorem personalem, *nego*. Solutio patet ex dictis.

Inst. 2.° Persona Verbi non influit in actiones humanitatis Christi; ergo valorem infinitum eis conferre non potest.

Resp. Dist. ant. Persona Verbi non influit ut principium *quo*, *conc.*; ut principium *quod*, *nego*. Principium *quo* est natura et facultas actus eliciens; principium *quod* est persona per naturam et facultatem agens : persona quidem Verbi non influit in actiones humanitatis Christi tanquam principium *quo*, activè scilicet producendo eas; Verbum enim, sicut Pater et Spiritus Sanctus, operationes ad extrà communes habent, non proprias; sed influit sicut principium *quod*, ut persona cujus est humanitas actus satisfactorios eliciens.

Inst. 3.° Ex concessis, persona Verbi activè et physicè non influit ut principium *quo* in actiones humanitatis Christi; ergo nullatenùs influit in eas, alter enim influendi modus valorem conferens non concipitur.

Resp. Nego cons. Præter influxum physicum, alter concipitur, moralis scilicet : porrò ejusmodi est influxus personæ in actiones humanitatis ejus, tantam eis dignitatem seu valorem conferens, ut

Patres non dubitaverint eas appellare divinas, deificatas et divinitate perfusas. Quid? si unio moralis Regis, v. g., cum subdito, gloriam et splendorem isti conferat, quantus erit satisfactionum Christi valor, quanta humanitatis ejus dignitas, propter suam cum Verbo unionem hypostaticam, quæ omnium inter duo realiter distincta unionum maxima est?

Inst. 4.° Si quilibet actus Christi satisfactorius valoris fuerit infiniti, sequitur 1.° nullum fuisse digniorem altero; 2.° omnes, uno dempto, inutiles fuisse: atqui hæc consectaria nimis absurda sunt; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Hæc duo minimè sequuntur ex assertione nostrâ: non 1.um, sicut enim dantur peccata alia aliis graviora, licèt unumquodque in genere moris seu offensæ infinitum sit, ita similiter inter actus Christi satisfactorios, alii digniores aliis esse potuêre; non 2.um, scilicet Christo non defuerunt rationes sapientissimæ, quibus inductus est ad multiplicandos actus satisfactorios, quamvis unicus ex sese abundè suffecisset; sic se gerendo, et attributa Dei et suam erga nos bonitatem ampliùs declaravit.

CAPUT III.

De Perfectione satisfactionum Christi.

SATISFACTIO perfecta dicitur ea quæ fit ad strictos juris apices. Quinque ad eam conditiones requiruntur: 1.a ut sit voluntaria et libera; 2.a æquivalens; 3.a ex bonis propriis, quorum nempè satisfaciens dominium habeat; 4.a ex bonis

aliàs indebitis; 5.ª tandem ut sit ad alterum, quia nullus, propriè loquendo, suî ipsius debitor ac creditor esse potest, ex quibus sponte fluit ista satisfactionis perfectæ notio : *Redditio voluntaria honoris æquivalentis ex propriis et aliundè indebitis, ad compensandam injuriam alteri illatam.*

Ex dictis constat et magis adhuc constabit ex dicendis ubi de Libertate Christi, satisfactionem ejus voluntariam fuisse; item, probatum est quòd ipsa fuerit æquivalens, imo superabundans; igitur ad evincendam perfectionem satisfactionis Christi tria nobis supersunt probanda, quòd scilicet fuerit ex propriis, ex indebitis atque ad alterum.

Circa 1.um, Vasquesius et quidam cum eo negant Christum ex propriis satisfecisse, eo quòd opera ipsius satisfactoria fuerint sub dominio totius Trinitatis, cui satisfaciebat. Ex adverso Witassius et alii plures docent satisfactionem Christi fuisse ex bonis ipsius propriis; quamvis enim, inquiunt, entitas et valor objectivus necnon accidentalis satisfactionum Christi fuerint sub dominio totius Trinitatis, earum tamen personalis valor, ut potè diffluens ex solà Verbi personà, sub ejus dominio tantùm fuit. Juxta quosdam, satisfactio Christi fuit ex propriis quia, integro remanente Patris et Spiritûs Sancti in eam dominio, erat quoque sub dominio Filii, non communi tantùm, sed speciali modo, scilicet propter ejus proprium in valorem perfectionis influxum. Deniquè, sunt et alii qui volunt Christum ex propriis satisfecisse eo sensu quòd opera satisfactoria libertati ejus fuerint permissa.

Quid verò inter tot opinionum varietates tenen-

dum sit, paucis aperiendum. Prima quidem respuenda videtur opinio Vasquesii, eo quòd falsâ probatione tota nitatur : ut enim aliquis ex propriis satisfaciat, nihil interest an pretium quod solvit aliquo sensu dominio creditoris subjaceat, modò satisfaciens ejus quoque dominus sit; ergo, licèt opera Christi satisfactoria sub dominio totius Trinitatis fuerint, minimè sequitur Christum per ea velut ipsius propria satisfacere non potuisse.

Rejicienda quoque est altera Witasii et aliorum opinio, juxta quam dicitur valorem personalem satisfactionum Christi sub Verbi solius dominio fuisse; etenim quidquid Deo extrinsecum est, illud totius Trinitatis dominio subjacet : atqui valor personalis satisfactionum Christi Deo seu Verbo extrinsecum est, cùm, ex dictis, ens quoddam morale sit. Deindè, quidquid est sub dominio humanitatis Christi, illud multò magis dominio Dei subjacet : atqui valor personalis satisfactionum Christi est sub dominio humanitatis Christi; hunc enim Deo in satisfactionem obtulit.

Tertia opinio vera quidem est, in quantùm asserit personam Verbi speciale quoddam habuisse dominium in valorem satisfactionum Christi personalem; sed in hoc deficere videtur quòd, cùm satisfactiones illæ tribus Personis et consequenter Verbo fuerint oblatæ, hâc de causâ vel satisfacientis propriæ non essent, vel non ad alterum. Respondent quidem defensores hujus opinionis, valorem personalem satisfactionum Christi esse sub dominio Verbi prout terminantis naturam humanam, Verbo autem nonnisi prout terminanti naturam divinam satisfieri : undè concludunt Christi satisfactiones fuisse ex propriis et sufficienter ad alterum; at plus subtilitatis

litatis quàm soliditatis habet ista responsio. Restat igitur quarta opinio, quæ, si placet, eligatur.

Quoad satisfactionem *ex indebitis* factam, quidam negant Christum hoc modo satisfecisse, istâ ratione nixi quòd Christus multiplici titulo, putà gratitudinis et dependentiæ, omnes actus suos ad Deum referre teneretur, quos quidem Deus ab eo non exigebat, sed potuit tamen exigere. Affirmant cæteri, quamvis in hâc satisfactionis Christi explicandâ necnon probandâ conditione multùm discrepent.

Disputant quoque Theologi an Christi satisfactio fuerit *ad alterum*. Difficultas ex eo petitur, quòd Christus sibimet tanquam secundæ Trinitatis personæ satisfecerit. Ut conditionem illam in satisfactione Christi servarent integram, dixerunt aliqui ipsum Patri tantùm vel etiam Spiritui Sancto satisfecisse, quod nimis absonum est; una est siquidem Patris et Filii et Spiritûs Sancti majestas per peccatum læsa, voluntas hominibus irata, necnon misericordia iisdem concilianda. Propterea in Scripturis Deo, id est, tribus personis reconciliati dicimur, II ad Cor. c. 5, ℣. 19: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* His præmissis, sit

PROPOSITIO.

Satisfactio Christi fuit ad strictos juris apices.

Prob. Ad satisfactionem ejusmodi requiruntur quinque: 1.° ut sit voluntaria et libera; 2.° æquivalens; 3.° ex propriis; 4.° ex indebitis; 5.° ad alterum: atqui omnes illæ conditiones in satisfactione Christi reperiuntur.

1.° Quòd fuerit *libera* et *æquivalens*, imò superabundans, constat ex probatis.

2.° Fuit *ex propriis*. Hanc conditionem satisfactionis Christi diversimodè explicant probantque Theologi : hìc præcipuas eorum probationes referre juvat.

Prima. Ille satisfecit ex propriis, cujus opera satisfactoria ipsius tantùm dominio subfuerunt : atqui opera Christi satisfactoria quoad valorem personalem spectata, sub ejus dominio tantùm fuerunt, quia solus vi unionis suæ cum naturâ humanâ valorem ejusmodi conferebat.

Secunda. Negari non potest Christum si non omne, per exclusionem Patris et Spiritûs Sancti, saltem speciale quoddam jus habuisse in valorem personalem satisfactionis suæ, in eum siquidem et solus personaliter influebat; ergo, etc.

Tertia. Ille satisfecit ex propriis, qui dominus est satisfactionis suæ : atqui Christus erat dominus operum quibus Deo satisfecit, cùm ipsius libertati seu liberæ dispositioni commissa fuerint.

3.° Fuit *ex indebitis*. Ille enim ex indebitis satisfecit, cujus opera satisfactoria ipsius dominio singulari subsunt : atqui opera Christi satisfactoria, quoad valorem ipsorum personalem spectata, etc., ut modò dictum est; ergo, etc. Deindè, satisfactio resultans ex operibus quæ Deus non exigit, aliquo sensu ex indebitis fit : atqui Deus absolutè non exigebat opera Christi satisfactoria, cùm in illis eliciendis liber fuerit; ergo, etc.

4.° Fuit *ad alterum*. Nulla difficultas est quòd satisfactio Christi fuerit ad alterum, si consideretur prout exhibita Patri et Spiritui Sancto, cùm sint personæ à Christi personâ realiter distinctæ; ergo unicè disputatur an fuerit ad alterum, prout Verbo seu Filio exhibita est : atqui

etiam sub illo respectu, quantùm satis est, fuit ad alterum. Illa enim satisfactio, quantùm satis est, censetur esse ad alterum, quandò ille qui satisfacit sibi distincta habet dominia et bona, et duplicem, si non realiter, saltem virtualiter personam gerit : atqui Christus distincta habet dominia et bona, et duplicem, si non realiter, saltem virtualiter gerit personam, cùm duas habeat naturas, divinam et humanam, quarum actiones et jura distincta sunt. Res confirmatur exemplo : sint duo rami specificè diversi, unico trunco inserti; tunc unica erit realiter arbor, duplex tamen virtualiter, quia duo illi rami idem omninò quod duæ arbores realiter distinctæ præstabunt. Supponamus etiam duas naturas creatas et liberas secum uniri substantialiter : ex hâc unione exurget una realiter persona, ut evidens est, sed virtualiter duplex erit et capax jurium dominiorumque distinctorum, propter duas naturas ex quibus componitur, adeò ut, si una libera alteram lædat, contra justitiam peccet, et damnum illatum resarcire teneatur; ergo à pari, quamvis in Christo realiter unica sit persona Verbi, ipsa tamen virtualiter multiplex est, propter duas quas ultimò complet naturas.

Huic de Christi satisfactione quæstioni affinis est altera de merito ipsius; hinc

Quæres utrùm Christus meruerit.

Resp. illud de fide catholicâ certum esse.

Prob. 1.° *ex Script.* Isaiæ c. 53, ℣. 11, 12 : *Pro eo quòd laboravit anima ejus* (Christi scilicet), *videbit et saturabitur... Dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.* Undè sic : meritum est opus præmio seu mercede dignum :

atqui ex hoc textu quædam operatus est Christus digna mercede ; ergo , etc.

2.° *Ex SS. PP.*, quos secuta est Tridentina Synodus, definiens Sess. 6.â, can. 10.°, Christum justitiâ suâ ut justificaremur meruisse.

3.° *Ratione theologicâ*. Ad meritum strictè sumptum quatuor requiruntur, libertas et sanctitas in agente , condignitas in opere , promissio in remunerante : atqui illæ omnes conditiones in Christo concurrunt ; de primâ et ultimâ tantùm moveri potest quæstio , solvitur autem ex c. 53 , ℣. 10 , Isaiæ : *Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longævum , et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

Dices 1.° : Sancti fruentes visione intuitivâ non ampliùs merentur, quia sunt extra viæ statum; ergo anima Christi , quæ à primo creationis instanti Deum intuitivè vidit, merita non est.

Resp. Nego cons. Christus degens in terris comprehensor erat propter visionem intuitivam quâ fruebatur, simul et viator, quia nondùm ingressus in cœlum et gloriæ consummationem adeptus fuerat, *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam ,* Luc. c. 24 , ℣. 26 : porrò Christus à primo instanti conceptionis suæ mereri cœpit, ut docent communiter Theologi. Ad Hebr. c. 10, ℣. 5 : *Christus ingrediens mundum dicit,* etc. Undè sic : Actio quâ Christus seipsum in victimam pro redemptione generis humani obtulit, sanè fuit meritoria : atqui Christus ingrediens mundum , id est, primo instanti suæ conceptionis , actionem ejusmodi volens elicuit ; ergo , etc. Et verò , Christus à primo instanti conceptionis vir perfectus fuit, juxta illud Jerem. c. 31 , ℣. 22 : *Femina circumdabit virum ;* ergo tunc suis facultatibus merendo uti cœpit.

Inst. Prius est concipi quàm mereri ; ergo primo instanti Christus non est meritus, sed ad magìs instanti primum subsequenti.

Resp. An possibile sit actum meritorium elici primo instanti temporis existentiæ, Philosophiæ magìs quàm Theologiæ quæstio est. Hâc igitur missâ, dico sensum assertionis istum esse: Christus quàm primùm potuit meritus est.

Cæterùm, concors Theologorum sententia est, post S. Thomam, 3 part., quæst. 19, art. 3, ad 1.um, et quæst. 50, art. 5, ad 2.um, Christum post mortem suam ampliùs non meruisse, in cujus probationem citant versum 4 c. 9 S. Joannis, et versum 4 c. 10 Epistolæ ad Hebr. Et verò, lege divinâ communi sancitum est ut tempus merendi vel demerendi cum vitâ hominum finiretur, Eccle. c. 9, ℣. 10 : sed ab illâ Christum eximere temerarium foret, cùm talis exceptio nullâ Patrum auctoritate nixa, communi Theologorum suffragio repugnet.

Dices 2.° : Rom. c. 4, ℣. 25 : Christus *resurrexit propter justificationem nostram ;* et c. 8, ℣. 34 : *Christus, qui est ad dexteram Dei,... interpellat pro nobis ;* ergo, etc.

Resp. ad 1.um Vocula, *propter,* non meritoriam sed exemplarem indicat causam. *Ad* 2.um : Christus in cœlis ampliùs non orat ut rem sibi quam petit deberi faciat, sed potiùs tanquam exigens id quod titulo justitiæ sibi jam debitum. Hæc igitur oratio Christi præcedentibus quidem meritis nititur, sed denuò non meretur : v. g., quandò mercenarius postulat stipendium suum, non ideò petit ut mereatur, sed exigit quia meritus est.

De actibus per quos meruit Christus, constat

ipsum non meruisse per actus suâ divinitate elicitos; ut Deus enim, superiorem non habet, à quo præmium obtinere possit; nec per actus humanitatis ex visione intuitivâ elicitos, defectu libertatis: restat ergo ut per alios actus meruerit.

Sed *quæres* quid sibi, quid nobis, quid Angelis meruerit Christus.

1.° *Quid sibi. Dicendum*, inquit S. Thomas, part. 3, quæst. 19, art. 3, *quòd habere aliquod donum per se, est nobilius quàm habere illud per aliud... Hoc autem dicitur aliquis habere per se ipsum, cujus est sibi aliquomodò causa;... et sic ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodò illud per se ipsum. Undè nobilius habetur id quod habetur per meritum, quàm id quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quòd ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent, nisi sit tale quid, cujus carentia magìs dignitati Christi et perfectioni præjudicet, quàm per meritum accrescat. Undè nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem, nec divinitatem meruit, quia cùm meritum non sit nisi ejus quod nondùm habetur, oporteret quòd Christus aliquandò istis caruisset, quibus carere magìs diminuit dignitatem Christi quàm augeat meritum. Sed gloria corporis vel si quid aliud ejusmodi est, minus est quàm dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem charitatis, et ideò dicendum est quòd Christus gloriam corporis et ea quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam (sicut est ascensio...) habuit per meritum.* Ex quo prolixiori textu discimus, 1. cur Christus meruerit; 2. quid non meruerit, illud omne,

scilicet, quod ex unione hypostaticâ necessariò connexum à primo ortu possedit; 3. quid meruerit, nempè omnia tum animæ tum corporis bona quæ Incarnationis necessaria non fuerint consectaria et cum eâ simul data, nimirùm gloriam corporis sui, Luc. c. 24, ℣. 26, et nominis exaltationem, ad Philip. c. 2, ℣. 9.

2.° *Quid nobis meruerit.* Christus æternam nobis promeruit vitam necnon omnia quæ nos ad eam consequendam adjuvant et disponunt: Deus enim, ut dicitur Ephes. c. 1, ℣. 3, *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Sed de his fusiùs in *Tractatu de Gratiâ Christi.*

3.° *Quid Angelis.* Jam diximus Christum Angelis meruisse saltem gratias accidentales et secundarias; ad Coloss. c. 2, ℣. 20, Christus dicitur Angelorum caput: sed caput influit in membra; ergo, etc.

DISSERTATIO SEXTA.

DE NATURA INCARNATIONIS.

In eo sita est mysterii Incarnationis natura, ut jam monuimus, quòd natura divina et humana in personâ Verbi uniantur. Cùm autem de illâ hypostaticâ unione, sive ab ipso Tractatûs limine, sive in decursu nonnulla exposuerimus, de quibus eò loci disserere solent Theologi, cætera quæ supersunt breviter quibusdam quæsitis absolvemus. Itaque

Quæres 1.° utrùm unio hypostatica facta sit in naturâ Verbi, vel in ejus personâ.

Resp. unionem hypostaticam immediatè factam fuisse in personâ Verbi, et *prob.* 1.° *ex Scripturâ;* Joan. c. 1, ℣. 14: *Verbum caro factum est;* ubi de personâ Filii, non de naturâ ipsius, pronuntiatur quòd facta sit caro.

2.° *Ex SS. PP.;* ipsi nimirùm docent Filium solum salutis nostræ causâ carnem suscepisse: S. Fulgentius, lib. de Fide, cap. 2; S. Ansel. de Fide Trinitatis et Incarn. cap. 5; S. Bernardus, Serm. 2 de Annuntiatione, etc.: atqui si unio hypostatica immediatè facta fuisset in naturâ, jam non solus Filius, sed tres sanctissimæ Trinitatis personæ, quibus natura divina communis est, fuissent incarnatæ; ergo, etc.

3.° *Ex professione fidei,* quam edidit Concilium Toletanum, anno 675: *Incarnationem,* inquit, *filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est;... solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ.* Nec huic responsioni nostræ obstant quædam dicta Patrum, juxta quos humanitas à divinitate assumpta est; ipsi enim loquuntur de naturâ divinâ, non quatenùs sanctissimæ Trinitati communis est, sed prout à Verbo terminatur.

Quæres 2.° utrùm corpus à Verbo fuerit assumptum mediante animâ, eo sensu quòd Verbo non fuerit immediatè unitum, nisi propter suam cum animâ habitudinem.

Resp. affirmativè: Id constat ex SS. Patribus. Origen. lib. 2 de Principiis, cap. 6: *Impossibile erat Dei naturam corpori sine mediatore,* id est, animâ *misceri.* S. Gregor. Naz. Orat. 1: *Quoniam autem misceri nequit Deus cum carne, anima verò et mens velut in interjecto spatio*

sunt. S. Aug. Epist. 120, cap. 4 : *Verbum... particeps carnis effectum est, rationali animâ mediante.*

Quæres 3.° an natura humana exstiterit priusquàm uniretur hypostaticè Verbo.

Resp. negativè : Duplex est prioritas, temporis, et naturæ: de posteriori non agitur; constat enim humanitatem Christi naturâ priùs exstitisse quàm Verbo uniretur; etenim prius est esse, quàm esse tale. Status ergo controversiæ talis est, utrùm Christi humanitas, secundùm se totam, vel saltem ex aliquâ suî parte, aliquo temporis spatio exstiterit, priusquàm in personæ unitatem à Verbo assumeretur. Orig. lib. 2 de Principiis, cap. 6, docuit animam Christi Incarnationis mysterio, quod meruit, præexstitisse. His positis, thesis nostra quæ ad fidem catholicam pertinet, adstruitur.

1.° *Ex Script.* Ad Gal. c. 4, ℣. 4 : *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Undè sic : Filius Dei non potest dici factus seu genitus ex muliere, nisi humanitatem assumpserit hoc ipso tempore quo ex B. Mariâ formabatur : atqui si priùs exstitit humanitas quàm uniretur Verbo, tunc assumpta non est hoc ipso tempore quo ex muliere, B. Mariâ scilicet, formabatur; ergo, etc.

2.° *Ex SS. PP.* S. Aug. Enchiridii cap. 36 : *Christus ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei filius.* S. Leo, Epist. 25 ad Julianum Episcopum : *Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs creata, post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.* S. Cyrillus, Epist. 2 ad Nestorium, et cæteri.

3.° *Ex auctoritate Conc. Constantinop.* III, generali VI, actione 2.ª : *Simul caro, simul Dei*

Verbi caro fuit; simul animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis.

Quæres 4.° an unio hypostatica perpetua sit et indissolubilis, ita ut Verbum corpus et animam non dereliquerit, nec unquàm sit derelicturum.

Resp. affirmativè contra Marcellum Ancyranum, qui, ex Eusebio, docuit Christum, peracto finali judicio, corpus et animam esse positurum.

Prob. 1.° *ex Script.* Ad Hebr. c. 13, ℣. 8: *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in secula:* porrò si Christus, qui Deus et homo est, idem semper perseverare debeat, manifestè sequitur unionem Verbi cum naturâ humanâ perpetuam et indissolubilem esse.

2.° *Ex SS. PP.* S. Gregorius Nyss. Orat. 1 in Resurrectionem Christi: *Deus,* inquit, *mortis tempore à neutrâ quam semel assumpserat parte recessit.* S. Joannes Damasc. lib. 3 de Fide, cap. 27: *Quamvis sancta Christi anima ab immaculato corpore distracta sit per mortem, divinitas tamen nec ab animâ nec à corpore quoque modò sejuncta est.*

3.° *Ex Conc. Chalcedonensi,* juxta quod natura divina et humana in unam et eamdem Verbi personam *inseparabiliter* concurrunt.

4.° *Ex vulgari axiomate* in scholis recepto: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquàm dimisit,* nec dimittet. Hinc quod à veteribus paucis dictum est, carnem, mortis Christi tempore, à divinitate fuisse derelictam, benigniùs intelligi debet, nimirùm de derelictione quantùm ad specialem protectionis influxum; tunc enim divinitas passa est ut caro Christi tormentis fieret obnoxia; non autem de derelictione quantùm ad

unionem hypostaticam, quæ, ex probatis, perpetua est.

Quæ modò diximus certa sunt et inconcussa; verum disputant Theologi an sanguis triduo passionis Christi separatus à corpore, interdùm Verbo manserit unitus. De hâc quæstione cum æstu magno Dominicanos inter et Franciscanos agitatâ, Pius II, Papa, sententiam ferre nolens, prohibuit tantùm ne quis parti neganti notam hæreseos infligeret, donec per Sedem Apostolicam quid in hujusmodi quæstione sentiendum esset, definiretur. Cæterùm, pars affirmans, contra Franciscanos à Dominicanis validè propugnata, longè probabilior, ne dicam certa, nobis videtur ex probationibus mox allatis.

Quæres 5.° utrùm corpus Christi nunc in cœlo existens, non solùm ossibus et carne, sed etiam sanguine constet.

Resp. cum S. Aug. Epist. 205 ad Consentium, *quoad* 1.^{am} *partem, affirmativè.* Etenim, ex Scripturâ, certum habemus Christi corpus in cœlo iisdem constare partibus quibus componebatur cùm à discipulis visum est in cœlum ascendere; ita enim ipsis testantur Angeli, Act. Apost. c. 1, ℣. 11 : *Sic veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum :* atqui pariter ex Scripturis certum est corpus Christi post resurrectionem habuisse carnem et ossa : *Palpate et videte,* inquit Christus, *quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere*, Luc. c. 24; ergo, etc.

De sanguine aliqua dubitatio suboriri potest, quia Scripturæ corpori Christi redivivo, expressis verbis sanguinem non adscribunt. Attamen *resp.* etiam *affirmativè* : Quippe non caro tantùm Christi Domini, sed et sanguinis ejus verè adest in Eu-

charistiæ sacramento : atqui quod sub speciebus eucharisticis verè exstat, illud sub specie propriâ in cœlo existit, et corpus Christi immortale et gloriosum constituit; ergo, etc.

Quæres 6.° an Christus duabus constans naturis in unicâ personâ, compositus dici possit.

Resp. cum distinctione : Christus est compositus compositione impropriè dictâ, *conc.;* propriè dictâ, *nego.* Itaque compositio duplex est, propria, quæ resultat ex partibus propriè dictis, incompletis scilicet, quæ secum uniri postulant et sese mutuò perficiunt : compositionem hujusmodi videre est in homine. Compositio impropriè dicta resultat ex partibus impropriè dictis seu completis, quæ substantialiter uniri secum minimè indigent, nec sese mutuò perficiunt. Jam verò constat Christum priori modo compositum non esse, siquidem partes seu duæ naturæ quibus constat, profectò completæ sunt, nec suâ unione vicissim perficiuntur; divinitas enim perficiendo humanitatem, ab eâ nihil perfectionis accipit. Posteriori autem sensu Christus verè compositus est, duas siquidem habet naturas completas in unâ eâdemque personâ unitas.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE PERFECTIONIBUS CHRISTI.

Hic tantùm agimus de dotibus seu perfectionibus Christi ut hominis et quoad animam spectati, cùm de ipsius corporis proprietatibus jam dixerimus dissert. 2.ª, c. 1, art. 2. Porrò anima Christi considerari potest ratione intellectûs et ratione

voluntatis : duplex erit igitur caput hujusce dissertationis.

CAPUT PRIMUM.

De Perfectionibus animæ Christi, ratione intellectûs.

Quæritur primò utrùm anima Christi Deum à primo ortu viderit intuitivè. Witassius dicit quosdam Theologos, numero tamen paucissimos, olim exstitisse qui illud negaverint, rati scilicet visionem intuitivam stare non posse cum doloribus quos in passione Christus expertus est. Verùm, si Petavio fides, nemo hactenùs bonâ fide christianus, id est, catholicus scriptor exstitit, qui de Christo aliter existimaret *quàm eum nunquàm ex quo vivere cœpit, divino aspectu caruisse.*

PROPOSITIO PRIMA.

Christi ab ipso vitæ mortalis exordio intuitivâ Dei visione potitus est.

Prob. 1.° *ex Script.* Hujus in gratiam assertionis nostræ, plures à Theologis proferuntur textus, sed non ita clari, ut seorsìm à communi Doctorum interpretatione rem omninò conficiant.

Joan. c. 1, ℣. 14 : *Verbum caro factum est,.... plenum veritatis.* Undè sic : Scripturâ teste, Christus ut homo, ut potè Verbum caro factum, fuit plenus veritatis : atqui non potuit dici plenus veritatis, si visione intuitivâ caruit; siquidem, ex Apostolo, qui visione intuitivâ nondùm fruitur, non plenè et perfectè, sed *ex parte* dun-

taxat *cognoscit,* et videt per speculum in ænigmate, I Cor. c. 13, ℣. 12; ergo cùm Scripturæ plenam et perfectam scientiam Christo homini tribuant, sequitur illum visione intuitivâ fuisse donatum.

Joan. c. 1, ℣. 18 : *Deum nemo vidit unquàm : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Undè sic argumentor : Christus enarrans seu prædicans, est Christus ut homo viator : atqui Christus ut prædicans, est in sinu Patris; ergo Christus ut homo viator, fuit in sinu Patris : porrò esse in sinu Dei, et ipsum contemplari intuitivè, sunt quid unum et idem, præsertim cum *in sinu Dei esse,* opponatur istis verbis, *Deum nemo vidit unquàm,* intuitivè scilicet; ergo Christus ut homo viator, Deum intuitivè vidit : sed non est potior ratio de uno tempore vitæ mortalis Christi, quàm de alio; ergo Christus omni tempore vitæ suæ mortalis, et consequenter à primo ortu, Deum intuitivè vidit.

Sunt et alia Scripturæ testimonia, ex quibus idem colligi solet à Theologis, de quibus legi potest Melchior Canus, lib. 12 de Locis theologicis, cap. 13.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Juxta Petavium, perpauca sunt expressa et nominatìm de supremâ ante mortem Jesu Christi felicitate completa testimonia; et ea quæ proferri solent à quibusdam, uno forsitan excepto, liquidò rem minimè demonstrant. Unus hic locus est S. Augustini, ex Quæstione 65 de 83. *Expressa* dixi testimonia; non desunt enim, ex quibus illud deduci possit; ea scilicet in quibus asseritur Christum perfectissimam à primo ortu rerum habuisse scientiam, in quâ, crescentibus annis, nullo modo profecerit.

Prob. 3.° *ex consensu Theologorum et Christianorum unanimi*, qui omnes ut certum habent Christum intuitivâ Dei visione à primo ortu fuisse potitum.

Prob. 4.° *Ratione theologicâ.* Omnis actus in animâ Christi possibilis, nec Incarnationis fini repugnans, Christo tribui debet : atqui visio intuitiva, etiam à primo ortu, possibilis fuit, in animâ Christi, ut evidens est; aliundè non repugnat Incarnationis fini; eâ siquidem non obstante, Christus pro nobis et pati et mori et satisfacere potuit; ergo, etc.

Hæc autem nostra propositio adeò certa Theologis videtur, ut qui contrariæ opinioni notam affingunt minimam, ei tamen *falsitatis,* et *temeritatis* notam inurant.

Cæterùm, hæc clara Dei visio, quam Christo viatori tribuimus, etsi perfectione vincat notitiam Dei cuilibet puræ creaturæ concessam vel aliquandò concedendam, comprehensiva tamen non est; Deus enim, ut fusiùs demonstratur in *Tractatu de Deo*, incomprehensibilis cogitatu est. Hinc in Concilio Basileensi, Sessione 22, ista cujusdam Augustini de Româ propositio, *Anima Christi vidit Deum tam clarè et intentè quàm Deus videt seipsum*, damnata est.

Obj. 1.° Luc. c. 24, ℣. 26 : *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam;* ergo gloriâ non fruebatur ante passionem.

Resp. Dist. Ante passionem, non fruebatur gloriâ completâ, animæ scilicet et corporis, *conc.;* incompletâ, id est, animæ solius, *nego.*

Obj. 2.° Christus viator liber erat; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Libertas contradictionis quam Christus habuit, et visio intuitiva, simul stare possunt, ut videbitur infrà.

Obj. 3.° Christus viator dolores et tristitiam expertus est: atqui dolor et tristitia stare nequeunt cum visione intuitivâ; ergo, etc.

Respondent alii *Nego min.* In animâ Christi quamvis simplicissimâ, sicut in nobis, pars duplex seu respectus distinguitur, superior nempè et inferior. Pars animæ superior, ipsa est anima prout versatur circa res spirituales, per cognitionem, amorem et gaudium; pars animæ inferior, ipsa est prout circa res sensibiles occupatur iisque afficitur. Sub priori respectu, Christus, Deum intuitivè contemplando, summâ fruebatur voluptate; sub posteriori, doloribus cruciabatur: et in hoc nulla est contradictio, propter diversitatem respectuum.

Alii aliter respondent, *negando* pariter *minorem.* Certum est quidem Beatos in cœlo per visionem intuitivam summo affici gaudio, ita ut capacitas eorum repleatur tota, summâque perfundatur voluptate. Sed illud non ita sequitur ex visione intuitivâ, ut contrarium absolutâ Dei potentiâ evenire non possit, et reverà illud contigit in Christo. Scilicet, pars ejus animæ superior summam ex clarâ Dei visione voluptatem capiebat et gaudium, quod sanè redundasset in partem ejusdem animæ inferiorem, nisi gaudium illud è superiori parte quasi sponte fluens Christus cohibuisset, ut per tristitiam et dolores salutem humani generis operaretur. Cohibuit autem eâ fortè simili ratione, quâ per omnem vitam mortalem animæ suæ gloriam continuit, ne in corpus efflueret. Vide Melchiorem Canum, lib. 12, cap. 13, resp. ad 7.um, et Vindicationes ejusdem, initio operis, cap. 8.

Quæritur secundò utrùm Christus, etiam à

primo ortu, perfectam habuerit rerum scientiam. Scientia perfecta dicitur ea quæ se extendit ad illud omne quod dignitas, status et conditio personæ, ab eâ sciri postulant; ex quâ definitione sequitur, scientiam perfectam excludere quidem ignorantiam quæ privativa dicitur à Theologis, non verò negativam, quæ meliùs diceretur *nescientia.* Ex quâ ulteriùs sequitur, eum qui perfectâ scientiâ præditus est, non ideò omnia omninò sive possibilia sive existentia cognoscere.

Certum est 1.° Christum, ut Deum, non modò perfectâ, verùm etiam infinitâ præditum scientiâ fuisse.

Certum est 2.° Christum, ut hominem, perfectam à morte suâ rerum habuisse scientiam, eam scilicet quæ dignitati personæ ipsius, redemptoris et mediatoris officio, necnon capitis hominum et Angelorum conditioni apprimè congruebat. Ergo status quæstionis est, an Christus, ut homo viator, etiam ab ortu primo, perfectam ejusmodi scientiam infusione acceperit. Ex veteribus etiam Ecclesiæ Doctoribus, si Petavio fides, nonnulli aliquam in Christo ignorantiam visi sunt admittere, ipsique certam temporis ultimi Judicii cognitionem detrahere : S. Athanasius, lib. ad Serapionem; S. Basilius in Epist. 38; S. Cyrill. Alex., lib. 2 de Fide. Ex recentioribus verò, Calvinus, in suis Commentariis; Grotius, in c. 13 S. Marci; et alii, qui, re magìs discussâ et unanimi Theologorum sensu jam probatâ, hanc ob causam malè apud Catholicos audiuntur.

PROPOSITIO II.

Christus perfectam rerum habuit scientiam ab ipso vitæ exordio.

Prob. 1.° *ex Script.* Isaiæ c. 11, ℣. 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectûs,..... Spiritus scientiæ et pietatis.* Spiritus autem ille ab initio super Christum requievit, tum quia nulla est ratio cur illud ad unum vitæ Christi tempus magis quàm ad aliud extendatur; tum eo quòd, c. 61, ℣. 1, ejusdem Prophetæ, significetur ideò super Christum hominem Spiritum Dei requievisse, quia humanitas ejus uncta est, id est, hypostaticè Verbo unita : *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me ;* quæ ratio valet pro omni vitæ mortalis Christi tempore.

Joan. c. 1, ℣. 14 : *Verbum caro factum* seu Christus visus est plenus *gratiæ et veritatis ;* et c. 3, ℣. 34 : *Quem misit Deus* (Christum), *verba Dei loquitur ; non enim ad mensuram dat Deus spiritum ;* et c. 21, ℣. 17, dixit Jesu Petrus : *Domine, tu omnia nôsti.*

Observandum est autem in hâc veritate probandâ ex Scripturis, ea tantùm proferri testimonia quæ Christo ut homini conveniunt, in quo tamen aliqui sat negligenter laborant.

Prob. 2.° *ex SS Patribus.* Origenes, in Commentario ad caput 13 Matthæi : *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum, Christus Jesus interrogat.... Hìc mirandum si id facit salvator, cùm ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, interroget, velut in hoc, Adam, ubi es ? et, Ubi est Abel, frater tuus ?*

S. Greg. Nazianzenus, Oratione 20 : Jesus *proficiebat ut ætate, ita etiam sapientiâ et gratiâ ; non quòd incrementum ista caperent; quid enim quod ab initio perfectum exstitit, posset esse perfectius ? sed quòd hæc paulatìm aperirentur ac sese proderent.*

S. Augustinus, lib 2 de Peccatorum meritis, cap. 29 : *Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est.* Cæteros lege apud Thomassinum, de Incarnatione, lib. 7.

Prob. 3.° *Ratione Theologicâ.* Perfecta rerum scientia Christo, ut homini, etiam à primo ortu tribui potest; ergo et debet. Accedit unanimis Theologorum sensus. Quamobrem opinio contraria, inquit Petavius, lib. 11, cap. 1, n. 15, tametsi summis quibusdam viris olìm non displicuit, posteà hæresis est notata, eoque nomine pro hæreticis damnati sunt Agnoetæ, cum eorum parente Themistio, Diacono; cujus testimonii vim paululùm frangere videntur Benedictini, in suis ad tertiam S. Athanasii orationem notis : *Addere fortassis liceat,* inquiunt, *hujusmodi sententiam in nemine videri damnatam olìm fuisse, nisi cum alio errore conjunctam.*

Obj. 1.° Marci c. 13, ℣. 32 : *De die autem illo vel horâ* (Judicii scilicet), *nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

Resp. Dist. Christus ultimi Judicii diem ignoravit, ut legatus et ad homines edocendos missus, *conc ;* ut Homo-Deus et supremus omnium judex, *nego.* Hanc responsionem dat ipse S. Augustinus, Concione 1.ª in Ps. 36 : *Quia Dominus J. C. magister nobis missus est, etiam filium hominis dixit nescire illum diem, quia*

in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur à nobis. Ita quoque S. Athanasius, in Disputatione contra Arium et Orat. 4; S. Hilarius, lib. 9 de Trinitate, n. 58 et seqq.; et alii. Cæterùm vide *Tractatum de SS. Trinitate*, pag. 338 et seq.

Obj. 2.° Luc. c. 2, ℣. 52: *Jesus proficiebat sapientiâ et ætate et gratiâ, apud Deum et homines;* ergo ab ortu primo perfectam rerum scientiam non habuit.

Resp. Dist. ant. Christus proficiebat sapientiâ, exteriùs et apparenter, majora scilicet in dies sapientiæ suæ præbendo argumenta, *conc.;* intùs et realiter, *subdist.* Quoad modum sciendi, experiendo ea quæ per scientiam infusam à primo ortu noverat, *conc.;* quoad substantiam, crescens cognoscendo quæ anteà minimè cognoverat, *nego.* Textus ille nostram thesim intactam relinquit, modò intelligatur de profectu apparenti, vel etiam de profectu reali quoad scientiam experimentalem; hoc enim duplici sensu Christum profecisse libenter confitemur: porrò sic intelligi debet, tum quia profectus ejusmodi sufficit ad verificanda S. Lucæ verba, tum quia alter proficiendi modus, contradicit aliis Scripturæ testimoniis necnon Traditioni.

Inst. Joan. c. 11, ℣. 34, Christus requirit ubi positus fuerat Lazarus, et c. 21, ℣. 15, Petrum interrogat an diligeret eum; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Christus interrogabat non ut aliquid disceret, sed ut interrogatos erudirét, ita Origenes. In duplici textu proposito, Christus non ex ignorantiâ, sed humano cum hominibus modo agere volens interrogat, quod probè intellexit Petrus, respondens statim: *Do-*

mine, tu omnia nôsti. Et verò, dicenti Domino, *Adam ubi es?* ignorantiam sanè nullus imputabit; ergo à pari, etc.

Obj. 2.° Quidam SS. PP. adversùs Arianos disputantes, ignorantiam Christo, ut homini, tribuere veriti non sunt, Athanasius, lib. ad Serapionem; Basilius, Epist. 38, et cæteri; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Patres adversùs Arianos disputantes non per modum assertionis sed concessionis, Christo ut homini tribuerunt ignorantiam; nempè cùm Ariani ex quibusdam Scripturæ locis ignorantiæ Christi in speciem faventibus, concluderent ipsum non esse Deum Patri consubstantialem, tunc veteres illi præfatam objectionem promptiùs et faciliùs solvere cupientes, figurâ Concessionis usi sunt, in hunc arguendo modum: Esto, Christus quædam, putà ultimi Judicii diem, ignoraverit; non ideò divinitas abneganda est ipsi, quia tunc defectus ejusmodi in Christum, solummodò ut hominem, cadet.

Si tamen paucissimos reperire sit Ecclesiæ Doctores qui hanc vel aliam benignam nullo modo pati valeant interpretationem, deserendi sunt simul et excusandi, quia nondùm satis dilucidata fuerat quæstio; scilicet Ambrosius, lib. 5 de Fide, cap. 18, testatur suâ ætate videri Catholicos qui Christum ultimi Judicii aliquandò ignarum fuisse confidenter assererent, quorum sententiam etsi non approbet, eam tamen ut hæresim non damnat.

Obj. 4.° Si Christus, ut homo, perfectam rerum haberet scientiam, omnia tam existentia quàm possibilia cognosceret: atqui repugnat Christum, ut hominem, etc.; tunc enim infinitâ

et pari divinæ scientiâ foret prædítus; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Scientia enim rerum perfecta quam Christo adscribimus, ea dicitur, quæ dignitati personæ, ejus statui necnon officio congruebat: atqui non demonstratur cognitionem omnium, sive existentium, sive possibilium, congruisse dignitati, etc.; ergo, etc.

Cæterùm, de objecto scientiæ Christi non una est Theologorum opinio. Quidam docent Christum non modò existentia, sed etiam omnia possibilia cognoscere; ita ut discrimen inter scientiam Dei et scientiam Christi, ut hominis, non penes objecta se teneat, sed ex parte modi quo apprehenduntur; Deus enim, inquiunt, ex se necessariò cognoscit omnia: Christi verò humanitas ex concessione Dei et contingenter tantùm; item, actus cognitionis divinæ longè superioris est ordinis actu quo Christus, ut homo, percipit.

Multò plures cum S. Thomâ volunt quidem Christum omnia cognoscere quæ Deus scientiâ visionis attingit, præterita scilicet, præsentia, et in perpetuum futura: sed negant ipsi omnium omninò possibilium datam fuisse cognitionem; tum quia ejusmodi possibilium cognitio ad personæ Christi dignitatem, statum, conditionem et officia minùs pertinet; tum quia repugnat in ente creato; namque, ut loquitur D. Thomas, 3 parte, quæst. 10, art. 2, cognoscere omnia possibilia, *esset comprehendere omnia quæ Deus potest facere, quod esset comprehendere divinam virtutem et per consequens divinam essentiam.*

Huic postremæ opinioni adhærendum esse ducimus. Itaque Christus, ut homo, omnia cognoscit existentia; cùm enim ipsi subjecta sint, juxta illud Ephes. c. 1, ℣. 22, *Deus omnia sub-*

jecit sub pedibus ejus; ad dignitatem ejus pertinet ut ea cognoscat; sed ex possibilibus aliqua, non autem omnia, cognoscit, ob rationem modò allatam.

SCHOLIUM.

Ex dictis sequitur triplicem in Christo ut homine dari scientiam, *beatificam,* quâ Deum intuitivè contemplatur; *infusam,* virtute cujus à principio et sine labore cognovit omnia, tum naturalis, tum supernaturalis ordinis, sive necessariò, sive contingenter existentia, necnon quædam possibilia; et *acquisitam* seu *experimentalem,* per quam novâ ratione, experiendo scilicet, cognovit multa quæ jam antè per scientiam infusam noverat. Sic antequàm pateretur Christus, quid esset dolor infusione tantùm cognoverat: at verò ex iis quæ passus est, novâ ratione dolorum vim et naturam didicit.

CAPUT II.

De Perfectionibus animæ Christi ratione voluntatis, ubi de Libertate ipsius.

ARTICULUS PRIMUS.

De dotibus animæ Christi ratione voluntatis.

Certum est voluntatem Christi excellentissimâ præditam fuisse gratiâ; Christus enim, Joan. c. 1, ℣. 14, dicitur plenus *gratiæ et veritatis.* At cujus speciei fuerit illa gratia, hìc paucis definiendum est.

1.° Christus habuit gratiam habitualem et sanc-

tificantem, in cujus rei argumentum proferunt Theologi quædam Scripturæ testimonia, Isaiæ c. 11, ℣. 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini;* Joan. c. 1, ℣. 16, ubi postquàm de Christo dictum est quòd plenus gratiæ fuerit, subditur : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus;* cùm ergo sanctificanti gratiâ instruamur, ipse eâ quoque plenus esse dicatur necesse est. Hæc autem gratia animæ Christi inhærens, perfectissima fuit, finita tamen, et omnis expers incrementi.

2.° Christus ex infusione omnes habuit virtutes cum ejus impeccabilitate et statu beatifico compatibiles; excipe ergo fidem, spem, et pœnitentiam.

3.° Septem in eo fuêre dona Spiritûs Sancti, Isaiæ c. 11, ℣. 2, 3 : *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectûs; Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Cavendum ne imperfectiones huic septenario in nobis admixtæ, Christo tribuantur. Itaque donum consilii dubitationem nullam, et timoris donum nullam amittendæ salutis formidinem in Christo supponit.

4.° Habuit gratias gratis datas, eas scilicet quæ magis in aliorum quàm recipientis utilitatem conferuntur. Novem recenset Apostolus, Epist. I ad Cor. c. 12, ℣. 8, 9, 10 : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ;... alteri fides,... alii gratia sanitatum,... alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Sed ex evangelicâ narratione liquet Christum ejusmodi gratiis ornatum fuisse.

5.° Adeò fuit sanctus, ut nunquàm peccaverit, nec etiam peccare potuerit.

Prob. 1.° *ex Script.* Joan. c. 8, ℣. 46 : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hebr. c. 7, ℣. 26 : *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

2.° *Ex SS. PP.*, quorum testimonia hic non describemus quia, ut ait Petavius, ex communi Patrum sententiâ fixum est Christum Dominum non modò quatenùs Deus, sed etiam ut homo est, nihil nec admisisse peccati, nec admittere potuisse. Jam verò Christus hoc privilegium ex suâ cum Verbo unione possedit; etenim indignum Deo planè foret, ut natura ipsi personaliter unita, maculam peccati contrahens, æterna mereretur supplicia. Ergo Dominus in cruce pendens, non desperando, dixit, ut quidam impiè voluerunt : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ergo nec peccati fomitem seu concupiscentiam habuit : *Quisquis*, ait S. Aug. lib. 4 Operis imperfecti, contra Julianum, n. 47, *quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit.* Hinc tentatus à Diabolo, nullum intra se motum expertus est ad malum impellentem : *Omnis diabolica illa tentatio*, inquit S. Gregorius, *foris non intùs fuit.* Legitur quidem, Hebr. c. 4, ℣. 15 : Christus tentatus est *per omnia pro similitudine absque peccato;* sed universalitas testimonii hujus non obstat quominùs à Salvatore removeatur concupiscentia, quæ ex peccato nata est, et ad peccatum inclinat.

Notandum est Christum non modò nunquàm peccavisse, sed inter varia bona quæ operari potuit semper illud elegisse quod erat optimum,

juxta illud Joan. c. 8, ℣. 29 : *Quæ placita sunt ei facio semper*. Nec indè tamen inferre licet ad optimum necessariò fuisse inductum, cùm Deus ipse ad optimum non teneatur. Itaque Deus facultatem ei reliquerat hoc vel illud bonum eligendi.

Hæc quidem, ut potè faciliora delibavimus tantùm. Nunc fusiùs de alterâ voluntatis Christi dote, ipsique ad merendum necessariâ, libertate scilicet, agendum nobis est.

ARTICULUS II.

De Libertate Christi.

Observ. 1.° Libertas est potestas agendi vel non agendi, talem vel talem ponendi actum, aut alium quemlibet diversum, vel etiam oppositum. Duplex distinguitur libertas, altera *à coactione*, altera *à necessitate*.

Libertas *à coactione*, alio nomine dicta *spontaneitas*, est immunitas ab omni violentiâ contra voluntatis propensionem illatâ. Hæc competit his omnibus qui non coactè sed sponte agunt, etiamsi necessitate agant : eo sensu, Deus se liberè amat, Sancti Deum in cœlis liberè diligunt.

Libertas *à necessitate*, quæ etiam dicitur libertas electionis, indifferentiæ, arbitrii, ea est quæ excludit quamcunque necessitatem quâ voluntas invincibiliter determinetur ad unum. Hæc autem duplex distinguitur, alia *contradictionis*, quæ est facultas agendi vel non agendi, amandi, v. g., vel non amandi; uno verbo, eligendi alterutrum ex duobus contradictoriis. Alia dicitur *contrarietatis*, quæ est potestas eligendi alterutrum ex duobus, sive contrariis, sive tantùm di-

versis, v. g., bonum vel malum, virtutem aut vitium, orationem aut studium.

Observ. 2.° Duplicis generis sunt præcepta quibus Christus, ut homo, fuit obligatus. Alia naturalia seu legis naturalis, tum affirmativa, ut præceptum colendi Deum, tum negativa, ut præceptum non mentiendi; alia positiva, quæ à liberà et positivâ Dei voluntate præscribuntur, tale fuit, v. g., præceptum Christo à Patre impositum de morte pro hominum salute subeundâ.

His præmissis, duo quæruntur, 1.° quænam fuerit Christi libertas; 2.° quomodò libertas Christi possit cum ipsius impeccabilitate conciliari : quod duobus expendemus paragraphis.

§ I.

Quænam fuerit Christi Libertas.

1.° Certum est in Christo non fuisse libertatem contrarietatis seu peccandi libertatem; erat enim impeccabilis, ut jam probavimus. 2.° Nonnulli fuêre, qui, difficultate conciliandi Christi libertatem cum ipsius impeccabilitate superati, affirmare non dubitàrunt Christum in actibus suæ humanitatis non fuisse liberum à necessitate, sed tantùm à coactione. Contra ipsos statuatur sequens

PROPOSITIO.

Christus in plurimis, ac præsertìm in subeundâ morte, fuit liber non tantùm à coactione, sed etiam à simplici necessitate.

Duæ sunt partes propositionis.

Prob. 1.ª *pars,* nempè, quòd *in plurimis*

Christus liber, etc., ex iis Scripturæ locis quibus edocemur Christum meruisse et pro nobis satisfecisse : atqui ad merendum necessaria est libertas à necessitate; quippe damnata est ut hæretica hæc Jansenii propositio 3.ª : *Ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione;* ergo, etc.

Reverà Christus non erat in statu naturæ lapsæ; sed si libertas seu immunitas à necessitate requiritur ad merendum in statu naturæ lapsæ, à fortiori in statu naturæ integræ, ubi voluntas nullo modo fuit per peccatum vitiata, aut in alio quolibet perfectiori statu.

Prob. 2.ª *pars de speciali præcepto subeundi mortem.* 1.° *Ex Script.* Joan. c. 10, ℣. 17, 18 : *Ego pono animam meam... Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam... Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Undè sic : ille circa præceptum de subeundâ morte fuit liber à necessitate, qui potuit animam seu vitam suam ponere vel non ponere, à quo nemo eam tollit, quique eam ponit à semetipso : porrò Scriptura hæc testatur de Christo, et quidem ut homine, cùm ibi sermo sit de Christo quatenùs mandatum acceperat à Patre; ergo, etc.

2.° *Ex SS. Patribus* (1) quorum hæc est constans doctrina, Christum potuisse non pati quæ passus est, atque in ejus arbitrio fuisse non mori, si voluisset : atqui hæc certè probant Christum fuisse immunem non solùm à coactione, sed à quâcunque necessitate; ergo, etc.

---

(1) Vide *Legrand*, Tractatu de Incarnatione, tom. 3, pag. 189, editio 1774.

§ II.

Quomodò Christi Libertas possit conciliari cum ejus impeccabilitate.

Cùm Christus peccare non potuerit, ac proindè nec transgredi præcepta quibus tamen verè obligabatur, facilè non concipitur quomodò ea præcepta observando fuerit liber. Quapropter

Adverte præcepta sive naturalia, sive positiva quibus Christus obstringebatur, spectari posse vel quoad substantiam, vel quoad circumstantias. Substantia autem præcepti illud ipsum est quod præcepto imperatur. Circumstantiæ verò dicuntur ea quæ rei imperatæ exsecutionem comitantur, v. g., intensitas actûs quo præceptum adimpletur, motivum hujus vel illius virtutis, relatio actûs ad hunc vel illum honestum finem, circumstantiæ temporis, loci, etc.

Hoc prænotato, sit

PROPOSITIO.

Christus fuit liber non circa substantiam, sed tantùm circa circumstantias præceptorum naturalium.

Duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars*, nempè, quòd *Christus non fuit*, etc. Ille enim non est verè liber circa substantiam alicujus præcepti, qui nec illud violare potest, nec ab eo dispensari : atqui Christus nec infringere præcepta naturalia potuit, cùm esset impeccabilis, neque ab iis dispensari, cùm prorsùs indispensabilia sint; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, nempè, quòd *Christus fuit*, etc. Etenim Christus circa circumstantias præcepto-

rum naturalium fuit verè liber, si multæ sint quæ non cadunt sub præcepto : atqui reverà multæ sunt circumstantiæ præceptorum naturalium, quæ sub præcepto non cadunt. Namque præcepta naturalia vel sunt affirmativa, quibus nempè aliquid præcipitur, vel negativa, quibus scilicet aliquid prohibetur : atqui 1.° multæ sunt circumstantiæ præceptorum affirmativorum quæ non cadunt sub præcepto, v. g., intensitas actûs, instans temporis, motivum actûs; v. g., per præceptum de honore parentibus exhibendo, non determinatur aliquod motivum, nempè charitatis vel obedientiæ, ex quo id præstare debeamus, etc. 2.° Quædam pariter sunt circumstantiæ præceptorum negativorum, quæ non imperantur, nempè, cùm ad ea observanda sufficiat omittere actum prohibitum, si actibus positivis impleantur, v. g., si detestetur actus prohibitus, si eliciatur actus virtutis actui vetito contrarius, etc., circumstantiæ illæ liberæ censentur et meræ supererogationis; ergo circa hujusmodi circumstantias Christus fuit omninò liber; aliundè circa circumstantias præceptorum positivorum; ergo etc.

COROLLARIUM.

Ergo *potest conciliari Christi libertas circa præcepta naturalia cum ipsius impeccabilitate*, restringendo scilicet ipsius libertatem ad illorum præceptorum circumstantias. Etenim ille liber fuit simul et impeccabilis circa præceptorum naturalium circumstantias, qui ab iis circumstantiis abstinere omninò potuit, absque peccato: atqui Christus à circumstantiis præceptorum naturalium, quin peccaret, abstinere omninò potuit;

quippe, ut probatum est, circumstantiæ illæ non imperabantur à lege naturali; ergo, etc. Atque hinc non ægrè concipitur quomodò Christus meruerit præcepta naturalia observando.

Sed gravior restat difficultas circa præcepta positiva Christo imposita, præsertim de subeundâ morte: quam ut solvant Theologi, varias in sententias abeunt, quæ ad sequentes reduci possunt.

Juxta 1.am, quæ est quorumdam veterum, nullum præceptum propriè dictum Christo fuit impositum.

Juxta 2.am, quam alii tuentur, Christus fuit liber circa circumstantias præcepti positivi, præcipuè de morte pro hominibus tolerandâ, circa tempus scilicet, modum, motivum, etc.; non verò circa ipsius mortis substantiam.

Juxta 3.am, cui suffragatur *Legrand*, Christus quoad præcepta positiva verè fuit liber, quia illorum dispensationem postulare potuit et obtinere, vel, secundùm alios, quia præcepta hujusmodi Christo, nonnisi post prævisum ipsius consensum, fuerunt imposita.

Quid sentiamus aperient sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus accepit à Patre verum et propriè dictum moriendi præceptum.

Prob. ex Script. Joan. c. 10, ℣. 17, 18: *Ego*, inquit Christus, *pono animam meam... Hoc mandatum accepi à Patre meo;* et ibid. c. 15, ℣. 10: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilec-*

tione. Undè sic : Christus data sibi præcepta comparat cum præceptis quæ suis imponit Apostolis : atqui posteriora veri nominis præcepta sunt; ergo et priora.

Et verò, Christus in Scripturis exhibetur obediens, et obediens usque ad mortem, Philip. c. 2, ℣. 8; Heb. c. 5, ℣. 8 : atqui obedientia supponit præceptum; *proprium* enim *objectum obedientiæ est præceptum*, inquit S. Thom. 2.â 2.æ, q. 104, art. 2, ad 3.um; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Christus verè fuit liber circa mortis substantiam et non solùm circa illius circumstantias.

Prob. 1.° *ex Script.* Isaiæ c. 53, ℣. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Joan. c. 10, ℣. 17, 18 : *Ego pono animam meam : nemo tollit eam à me ; sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam.* Ad Philip. c. 2, ℣. 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Rom. c. 5, ℣. 10 : *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Undè sic : Ille verè fuit liber, non tantùm circa circumstantias, sed circa mortis substantiam, qui volens ipsi morti sese obtulit, penes quem fuit potestas vitam amittendi, et cujus morti simpliciter adscribuntur meritum obedientiæ et hominum redemptio : atqui hæc omnia de Christo testantur Scripturæ; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Chrysost. Homil. 28 in Epist. ad Hebr. n.° 2 : *Licebat*, inquit, *ei* (Christo) *nihil pati, si voluisset ;... erat ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem.*

Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam. S. Aug. lib. 4 de Trinit., cap. 13 : *Non eam* (carnem) *deseruit invitus, sed quia voluit, quandò voluit, quomodò voluit.* Idem unanimiter declarant alii SS. Patres.

Prob. 3.° *Ratione.* Nimirùm ex adversâ sententiâ sequeretur Christum nihil per mortem meruisse, sed totum mortis meritum reponendum esse in eo quòd citiùs tardiùsve, ex tali vel tali motivo, his vel illis cruciatibus, etc., mortuus fuerit : atqui hæc Scripturæ Patrumque testimoniis, et sensui fidelium omnium adversantur; ergo, etc.

PROPOSITIO III.

Christus de præcepto moriendi sibi imposito potuit dispensationem petere et obtinere.

Prob. 1.° *ex Scripturâ.* Matth. c. 26, ℣. 53, sic Christus loquitur : *An putas quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Undè sic : His verbis Christus significat se potuisse à Patre impetrare ut *modò* è manibus Judæorum liberaretur, ac proindè obtinere ut sibi liceret non mori : atqui posito vero præcepto moriendi, non aliter quàm per illius præcepti dispensationem, sibi licitum esse potuit non mori, siquidem præceptum transgredi non potuit, cùm esset impeccabilis; ergo, etc.

Prob. 2.° *Ratione theologicâ.* Namque, ut ait P. *Antoine*, prudens Superior aliquid liberè præcipiens, semper præcipit sub conditione saltem tacitâ, *nisi dispensavero;* et aliundè Christi dignitas et apud Patrem auctoritas postulabat ut

præceptum ei imponeretur sub conditione dispensationem obtinendi, si eam efficaciter postularet.

Dices : Christus dispensationem petiit his verbis : *Pater mi, si possibile est; transeat à me calix iste*, Matth. c. 26, ℣. 39 : atqui tamen eam non obtinuit; ergo, etc.

Resp. hæc Christi verba non esse postulationem efficacem et absolutam, sed testimonium tristitiæ naturæ humanæ mortem refugientis. Namque ipsius voluntas plenissimè subjecta remansit divinæ voluntati, ut patet ex verbis subsequentibus : *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis *posse conciliari Christi libertatem circa præceptum positivum de morte subeundâ cum ipsius impeccabilitate.* Namque ille fuit liber circa præceptum de subeundâ morte, salvâ ipsius impeccabilitate, qui sine peccato potuit mortem sibi præceptam non subire : atqui posito quòd Christus potuerit obtinere dispensationem hujus præcepti, tunc sine peccato potuisset mortem non subire. Siquidem rei præceptæ omissio ex Superioris dispensatione, non est violatio præcepti, nec proindè peccatum; cùm dispensatio Superioris obligationem præcepti relaxet; ergo, etc.

Obj. 1.° Facultas petendi dispensationem destruit rationem veri præcepti : atqui verum moriendi præceptum à Patre Christo fuit impositum, ex dictis; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Nam illud præceptum est propriè dictum, quo tenetur subditus, nisi petat

et impetret dispensationem. Tantùm abest ut facultas petendæ dispensationis veri præcepti rationem destruat, ut potiùs nullus possit esse dispensationi locus, ubi præceptum nullum est.

Obj. 2.° Præceptum acceptandi mortem fuit indispensabile, juxta illud Matth. c. 26, ℣. 54; *Quomodò implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* ergo, etc.

Resp. Nego ant. Siquidem verba citata significant tantùm necessitatem liberam, quæ scilicet sequitur Christi acceptationem; Scriptura enim sic loquitur, ex hypothesi præscientiæ ac decreti divini, supponentis liberam Christi acceptationem.

Obj. 3.° Christus non potuit oracula Prophetarum de suâ morte suo effectu frustrare : atqui de suâ morte oracula Christus suo frustrasset effectu, si petiisset efficaciter et obtinuisset dispensationem; ergo non potuit eam petere et obtinere.

Resp. Nego min. Nam oracula Prophetarum de morte Christi, liberam suî oblationem ad mortem supponunt : *Oblatus est,* inquit Isaias, c. 53, ℣. 7; *quia ipse voluit;* undè nonnisi consequenter ad prævisum Christi liberum consensum edita sunt.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE VARIIS CHRISTI TITULIS ET OFFICIIS.

Inter præcipuos Christi titulos hi numerantur : 1.° est Caput hominum et Angelorum; 2.° Sacerdos; 3.° Mediator Dei et hominum; 4.° Filius Dei naturalis non adoptivus. De singulis magis vel minùs fusè totidem capitibus tractabimus, prout magis vel minùs exigit rei gravitas et difficultas.

CAPUT PRIMUM.

De Christo Capite hominum et Angelorum.

PROPOSITIO.

Christus, ut homo, est Caput hominum et Angelorum.

Prob. 1.° *ex Script.* Ephes. c. 1, ℣. 22, 23: Deus *ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ad Coloss. c. 1, ℣. 18, et c. 2, ℣. 10: *Christus est caput omnis principatûs et potestatis.*

Prob. 2.° *Ratione theologicâ.* Etenim ut Christus sit dux et caput hominum simul et Angelorum, duo sufficiunt, 1.° ut dignitate utrosque superet, 2.° ut in eos per gratiæ suæ communicationem influat; atqui Christus, ut homo, dignitate superat homines et Angelos, propter suî cum Verbo unionem, et propterea in nomine ejus, teste Paulo, ad Philip. c. 2, ℣. 10, *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Deindè, in utrosque per gratiæ communicationem influit; nam, ut habetur Joan. c. 1, ℣. 16, *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Angelis quoque gratias accidentales promeruit, ut dictum est, ubi de Merito Christi; ergo, etc.

CAPUT II.

De Christo ut Sacerdote et Pontifice.

Sacerdos verè et propriè ille dicitur, qui auctoritate legitimâ ad offerendum Deo pro hominibus sacrificium propriè dictum deputatus est.

Sunt quidem alia sacerdotii officia, sed præcipuum ejus munus, quo propriè constituitur Sacerdos, in oblatione sacrificii propriè dicti positum est : sacrificium autem propriè dictum, est oblatio alicujus rei sensibilis, à legitimo ministro Deo facta, cum hujusce rei destructione vel immutatione.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus verè et propriè est Sacerdos.

Prob. 1.° *ex Script.* Psal. 109, ℣. 4 : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* : atqui hunc locum de Christo interpretatur Apostolus, ad Hebr. c. 5 et 7. Ejusdem Epistolæ ad Hebr. c. 3, ℣. 1 : *Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum;* et c. 4, ℣. 14 : *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* quorum testimonia in re tam apertâ non referemus.

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Ille verè et propriè est Sacerdos, qui in eâ dignitate fuit à Deo constitutus, omniaque illius munia obiit : atqui 1.° Christus à Deo Sacerdos institutus est : *Christus,* ait Apostolus ad Hebr. c, 5, ℣. 5, *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* 2.° Christus omnia veri Sacerdotis officia implevit. Tria enim potissimùm sunt, nempè homines quæ Dei sunt edocere, populorum preces ad Deum perferre ac pro ipsis orare, deniquè sacrificium offerre : atqui hæc tria maximè præstitit Christus, 1.° Quidem divinam saluberrimamque doctrinam hominibus tradidit, quod ex toto Evangelio manifestum est. 2.° Hominum

preces ad Patrem detulit, et pro ipsis frequens oravit, ut ex Joan. c. 17 compertum est. 3.° Sacrificium pro peccatis obtulit, nempè semetipsum, tanquam piacularem victimam, in cruce Deo Patri exhibuit · *Tradidit semetipsum*, ait Apostolus, Ephes. c. 5, ℣. 2, *pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis;* ergo, etc.

Observandum est autem, Christum, ut hominem, non autem ut Deum, fuisse Sacerdotem : Sacerdos enim Deum inter et homines medius esse debet, superioremque agnoscere cui sacrificet : atqui Christus, nonnisi ut homo, medius est inter Deum et homines, Deoque inferior; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, non autem Aaron.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Ps. 109, ℣. 4 : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech :* hæc verba autem de Christo exponit Apostolus, Hebr. c. 5, ℣. 6.

Prob. 2.° *ratione :* Ille meritò dicitur Sacerdos *secundùm ordinem Melchisedech*, cujus personam et sacrificium adumbravit Melchisedech : atqui Christi tum personam, tum sacrificium adumbravit Melchisedech. Et 1. quidem Christi personam : nam Melchisedech, interprete Apostolo, Hebr. c. 7, ℣. 2, idem est ac *Rex justitiæ;* prætereà, fuit Rex *Salem*, sive *Rex pacis;* deniquè, exhibetur in Scripturâ sacrâ sine patre, sine matre, sine genealogiâ, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens :* atqui in his omnibus Christum expressit Melchisedech; quis

enim verus est Rex *justitiæ* et *pacis*, nisi Dominus noster Jesus Christus, *qui*, ut ait Apostolus, I Cor. c. 1, ℣. 30, et Coloss. c. 1, ℣. 20, *factus est nobis... justitia ; pacificans,... sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Deindè, Christus, ut homo, nullum patrem; et ut Deus, nullam matrem habuit, Deniquè, Christo, ut Deo, nec fuit initium nec erit finis, ipsiusque sacerdotium in æternum est mansurum, ut docet Apostolus, Hebr. c. 7, ℣. 3; ergo 1.° Melchisedech Christi Sacerdotis personam adumbravit.

2. Christi sacrificium præsignavit. Nam dicitur panem et vinum obtulisse, quia *erat Sacerdos Dei altissimi,* Genes. c. 14, ℣. 18 : atqui hæc oblatio incruentum referebat sacrificium corporis et sanguinis Christi, quod sub panis et vini speciebus ipse obtulit, et à novæ legis Sacerdotibus suo nomine offerendum in Ecclesiâ instituit; ergo 2.°, etc.

Prob. 2.ª *pars.* Etenim Sacerdos secundùm ordinem Aaron, debuit esse ex tribu Levi, ut constat Exod. c. 28 et 29 : atqui *manifestum est,* inquit Apostolus, *quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster, in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*, Hebr. c. 7, ℣. 14; ergo Christus non fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaron.

Observandum est autem 1.° Christum fuisse Sacerdotem simul et victimam. Victima fuit, quatenùs in arâ crucis loco nostro necatus est; Sacerdos verò, quatenùs ad satisfaciendum pro nobis, se ab impiis necari consensit, ac pretium mortis suæ ut nos redimeret obtulit. Hinc Christus non sese immolavit physicè, sese ut victimam actione physicâ destruendo; sed influxit tantùm

moraliter in suî immolationem, quatenùs scilicet liberè occidi voluit, permisitque ut mors ex plagis sibi inflictis sequeretur.

Observandum 2.° Christi sacrificium fuisse latreuticum, eucharisticum, impetratorium, respectu Christi et hominum; et propitiatorium, respectu nostrî tantùm, ut facilè intelligitur. Sed de his fusiùs in *Tractatu de Eucharistiâ*, ad quem remittimus.

CAPUT III.

De Christo ut Mediatore.

Mediatoris nomine intelligitur ille, qui inter aliquos dissidentes sese interponit, ut eos ad concordiam adducat, et novo jungat fœdere. Illius muneris partes variis modis potest aliquis sustinere, 1.° ut internuncius et utriusque partis interpres, hinc et indè pacta et conditiones referendo : quo sensu Moyses, Deuter. c. 5, ℣. 5, de se ipso ait : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos.* 2.° Ut deprecator et advocatus, uni parti pro alterâ supplicando. 3.° Per modum vadis et sponsoris, parti læsæ pro alterâ quæ offendit satisfaciendo. Mediator perfectus dicitur, qui omnia quæ modò recensuimus præstat; imperfectus autem, qui ex his nonnulla tantùm peragit.

Quæritur an Christus perfecti intercessoris titulo gaudeat, et sub quâ naturâ. Sociniani Christum mediatoris quidem partes explevisse confitentur, sed veluti internuncium et interpretem voluntatis divinæ; non autem tanquam hominum

sponsorem. Hæc hæresis ex iis abundè confutatur quæ diximus, ubi de Christi Satisfactione.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus fuit perfectus Deum inter et homines Mediator.

Prob. Ille est perfectus Mediator, qui iis omnibus functus est muneribus, quæ perfectum intercessorem probant: atqui Christus, etc. 1.° Quidem verus fuit internuncius et interpres voluntatis divinæ apud homines: *Unigenitus* enim *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, Joan. c. 1, ℣. 18. 2.° Christus deprecator et advocatus noster apud Deum exstitit; oravit enim pro hominibus cùm in terris degeret, et etiamnùm in cœlis orat, ut dicitur I Joan. c. 2, ℣. 1: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*; et Rom. c. 8, ℣. 34: *Christus Jesus... est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 3.° Ut sponsor noster, justitiæ divinæ pro nobis cumulatissimè satisfecit, I ad Timoth. c. 2, ℣. 6: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Plura câ de re diximus, ubi de Satisfactione Christi. Ergo quæcunque ad perfecti intercessoris munus pertinent, implevit; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Christus nec ut Deus tantùm, nec ut homo duntaxat, sed quatenùs homo-Deus, fuit Mediator.

Prob. 1.ª *pars*, nempè, Christum *non fuisse mediatorem, ut Deum tantummodò.* 1.° *Ex Script.* I ad Timoth. cap. 2, ℣. 5: *Unus Me-*

diator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Ex quibus sic concludit Augustinus, lib. 11 de Civitate Dei, cap. 2 : *Per hoc enim mediator, per quod homo.* 2.° Ideò Christus *mediator* fuit, quia oravit, satisfecit, et seipsum in victimam obtulit : atqui per humanam tantùm naturam Christus ejusmodi functionum capax fuit, nec possunt in naturam divinam cadere, ut satis patet. 3.° Intercessor aliquâ ratione ab eo distinguitur, apud quem sese interponit : atqui Christus, ut Deus, ab eo non distinguitur, apud quem mediatoris partes agit ; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, scilicet, Christum *non fuisse intercessorem, ut hominem duntaxat.* Ad illud enim officium Deum inter et homines perfectè obeundum, necessaria fuit satisfactio quæ injuriam Deo factam compensaret : atqui Christus, spectatus ut homo tantùm, persolvendæ hujusmodi satisfactioni par non erat, ut constat ex dictis, ubi de Necessitate Incarnationis ; ergo Christus non fuit mediator, quatenùs homo duntaxat ; aliundè neque ut Deus tantùm ; superest igitur ut ministerium illud obierit, quatenùs erat homo-Deus : namque ut homo, mediatoris opera peregit, exinanivit semetipsum, passus, mortuus est ; ut autem Deus, iis operibus pretium contulit infinitum.

Diximus Christum etiamnùm pro nobis orare in cœlis, ut apertè docet Apostolus ad Rom. c. 8, ℣. 31 ; ad Hebr. c. 7, ℣. 25, et c. 9, ℣. 24, etc. Utrùm verò solâ humanitatis ac meritorum suorum repræsentatione, an expressâ insuper oratione et apertâ suæ beatæ animæ desiderii significatione Patrem deprecetur, non omninò constat.

CAPUT IV.

An Christus dici possit Filius Dei adoptivus.

Filius alius est *naturalis*, qui verè genitus est ab eo cujus appellatur filius, quique proindè naturâ et origine jus habet ad paternam hæreditatem; alius est *adoptivus*, qui, etsi à patre adoptante non genitus, ab eo tamen ex benevolentià in locum filii assumitur, ut ei jus in hæreditatem impertiat. Undè adoptio definitur à Jurisconsultis, *Personæ extraneæ assumptio gratuita ad hæreditatem.*

Jam fide constat Christum, quatenùs Deus est, verè filium esse Dei naturalem, per æternam à Patre generationem.

Hic autem quæritur utrùm Christus, quatenùs homo est, dicendus sit filius Dei adoptivus; an verò, propter unitatem personæ divinæ, filius Dei naturalis tantùm dici possit et debeat.

Desinente seculo VIII, Felix et Elipandus, hic Toletanus, ille Urgelitanus, in Hispanià Episcopi, docuerunt Christum, quatenùs est homo, nonnisi filium Dei adoptivum dici posse, atque ideò in plurimis Conciliis damnati sunt, præsertìm in Francofordiensi, anno 794.

Ab eodem etiam errore non recesserunt, ut par est, quidam Theologi, qui non satis attendentes quid filii naturalis, quid verò filii adoptivi nomine significetur, aliquo saltem sensu affirmare non dubitàrunt Christum dici posse filium Dei adoptivum. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Christus, ut homo, est filius Dei naturalis, non adoptivus; nec ullo sensu filius Dei adoptivus dici potest.

Duæ sunt partes propositionis.

Prob. 1.ª *pars*, quæ ad fidem pertinet. 1.° *Ex Script.* Joan. c. 3, ℣. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Rom. c. 8, ℣. 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Undè sic arguere datur : Ille etiam ut homo, est filius Dei naturalis, non adoptivus, qui etiam ut homo, dicitur *unigenitus* et *proprius* Dei *Filius*; siquidem multi, nempè omnes justi, sunt filii Dei adoptivi : atqui in textibus allatis, Christus, et quidem ut homo, dicitur unigenitus et proprius Dei Filius; ibi enim Christus dicitur nobis datus et morti traditus : porrò nobis dari et tradi non potuit, nisi quatenùs homo; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex fidei Symbolis*, in quibus confitemur Jesum Christum conceptum ex Virgine, natum, crucifixum, ac proindè Christum hominem, esse unicum, unigenitum Dei filium : atqui filius Dei unicus non potest esse nisi filius Dei naturalis, siquidem omnes justi, adoptionis titulo, filii Dei sunt; ergo, etc.

Prob. 3.° *ex SS. PP.*, quorum permulta testimonia refert Petavius, lib. 7, cap. 2 et 3. Unum tantùm referemus: S. Hilar. lib. 3 de Trin. n. 11, de Christo sic habet : *Hic et verus, et proprius est filius Dei, origine, non adoptione.*

Prob. 4. *rationibus theologicis.* 1.ª Adoptio, juxta Juris definitionem, gratuita est personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio, in quam vi

suæ originis jus non habet : atqui non est in Christo persona extranea, sed unica Verbi persona, quæ cùm sit Deo consubstantialis, Deo extranea dici nequit; ergo Christus nec est, nec dici potest filius Dei adoptivus.

2.ª *Filius*, nomen est personæ, non naturæ; neque enim natura dicitur *filia* : atqui unica est in Christo persona, eaque filius Dei naturalis est; ergo Christus non potest esse nisi filius Dei naturalis.

3.ª Ex jam dictis contra Nestorium, B. Maria mater est non adoptivi, sed naturalis filii Dei : porrò si Christus, quoad humanitatem, quam solam accepit à matre, esset filius adoptivus, B. Maria non esset mater filii Dei naturalis, sed tantùm adoptivi; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, nempè, quod *nullo sensu Christus dici possit filius Dei adoptivus*. Ratio in promptu est; namque quocunque sensu sumatur nomen filii adoptivi, semper ex definitione receptâ, significabit personam extraneam, seu personam cui filiatio naturalis non competit : porrò quàcunque ratione consideretur Christus, quæcunque fiat reduplicatio vel abstractio, nunquàm dici poterit persona extranea Deo Patri, cùm sit ipsi consubstantialis; ergo, etc.

Obj. 1.° S. Irenæus, lib. 3 adversùs Hæreses, cap. 19, sic docet : *Propter hoc, Verbum Dei homo, et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei;* ergo Christus, juxta S. Irenæum, per adoptionem filius Dei factus est.

Resp. Nego cons. Hæc enim verba, *ut adoptionem percipiens fiat filius Dei,* non ad Christum referenda sunt, sed ad genus humanum. Quæ

solutio sponte fluit è textu Græco, qui à Theodoreto sic exhibetur, Dialog. 1, tom. 4 : *Propterea Verbum Dei est homo, ut homo*, id est, genus humanum, *Verbum capiens, adoptionemque consecutus, filius Dei efficiatur*. Hanc interpretationem postulant quæ objecta verba subsequuntur : *Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ et immortalitati..., ut adoptionem filiorum perciperemus ;* ex quibus patet nonnulla verba à vetere Latino interprete transposita et prætermissa esse, undè nascitur loci, qualis in objectione exhibetur, obscuritas.

Obj. 2.° S. Cyrillus Alexand. Dialog. 3 contra Arianos : *Velut unus è nobis,* inquit de Christo, *in filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum ;* ergo Christus, juxta Cyrillum, nonnisi filius Dei adoptivus fuit.

Resp. Nego cons. Verba enim S. Cyrilli accipienda sunt de adoptione impropriè dictâ, id est, de gratiâ conjunctionis hypostaticæ, per quam natura humana, nullis præcedentibus meritis, ad dignitatem filii naturalis Dei evecta est. Quantùm Cyrillus à sententiâ quæ ipsi affingitur abfuerit, patet ex eodem Dialogo tertio, ubi statìm post verba quæ nobis objiciuntur, asserit Christum, vel à primo suæ conceptionis momento, fuisse *filium Dei verum ac germanum ;* imò, paucis interjectis, ait *Christum, si ex munere habet Dei appellationem, à divinitate dejectum iri :* atqui filius Dei *verus et germanus*, qui appellationem hanc ex *munere Dei* non habet procul dubio filius est Dei naturalis, non autem adoptivus.

Obj. 3.° Nemo potest esse cujusquam filius

naturalis, nisi de ejus substantiâ genitus fuerit: atqui Christus homo non est de substantiâ Dei genitus; ergo nec illius est filius naturalis.

Resp. Dist. maj. Nemo potest esse cujusquam filius naturalis per generationem, nisi de ejus substantiâ genitus fuerit, *conc.;* nemo potest esse cujusquam filius naturalis per conjunctionem hypostaticam, nisi, etc., *nego.* Porrò Christus, ut homo, non quidem est filius Dei naturalis per generationem, cùm ratione humanitatis non fuerit ex Dei substantiâ genitus; sed filius est naturalis Dei per suam cum Verbo conjunctionem hypostaticam.

Obj. 4.° Ubi est forma adoptionis, ibi est adoptio : atqui in Christo, ut homine, est forma adoptionis, nempè gratia sanctificans; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ut enim gratia sanctificans instar formæ adoptionis habeatur, necessaria est conditio aliqua quæ defuit in Christo, ista scilicet, ut persona terminans naturam in quâ recipitur, extranea sit.

Quæres an Christus, ut homo, vocari possit servus Dei.

Resp. dissentientes in hâc parte Theologos conciliari posse, distinguendo inter servum *strictè* et *latè* sumptum. Servus *strictè* sumptus, est persona non ingenua, seu alieni juris, non sui, quæ nullum per se ad hæreditatem domini jus habet. Servus autem *latè* sumptus dicitur, quisquis alterius voluntati subjectus ipsi obtemperare tenetur. Quâ positâ distinctione, dico Christum, etiam ut hominem, non esse servum Dei stricto sensu; est enim persona ingenua, et ad hæreditatem naturale jus habens. Sed nihil obstat quominùs Christus, ut homo, dicatur servus sensu

latiori; nam Christus, ut homo, voluntati Patris fuit subjectus, *factus obediens usque ad mortem.* Eo sensu dicitur de Christo, Isaiæ c. 42 ℣. 1 : *Ecce servus meus ;* et à S. Aug. Epist. 178 : *In quâ eum* (Christum) *infirmitate,* carnis scilicet, *non solùm subditum, sed et servum evidentissimè confitemur.*

APPENDIX.

De Cultu Christi, et de Sanctorum, Crucis, Reliquiarum et sanctarum Imaginum Veneratione.

Cultus generatim definiri potest, *Actus quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam.* Duplex vulgò distinguitur, alter nimirùm *Latriæ,* qui est honor supremus Deo soli debitus, in summæ illius majestatis, summique in omnia dominii testimonium; alter *Duliæ,* qui est honor servis Dei redditus propter *supernaturales* dotes, quas Deus ipsis largiri dignatus est. Ille etiam duplex est : alius communis, qui Sanctis defertur, et *Duliæ* nomen retinet; alius qui, licèt in eodem sit genere, superioris tamen est ordinis, propter specialem illius cui rependitur excellentiam, et dicitur cultus *Hyperduliæ ;* ita se habet cultus qui B. Virgini exhibetur propter eximiam maternitatis divinæ dignitatem, et specialia quæ indè in eam derivata sunt dona.

Cultus etiam dividitur in *absolutum* et *relativum. Absolutus* ille est quo colitur aliquis propter excellentiam sibi propriam et inhærentem. *Relativus* exhibetur alicui propter excellentiam

tiam alterius, ad quem specialem aliquam relationem habet: talis est cultus qui redditur Sanctorum Imaginibus, non propter sibi propriam, sed ob Sanctorum quos repræsentant excellentiam. His prænotatis, quinque erunt hujus appendicis articuli, acturi in 1.° de cultu Christi; in 2.° de cultu Sanctorum; in 3.° de cultu Crucis; in 4.° de cultu Reliquiarum; in 5.° deniquè de cultu Imaginum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cultu Christi.

PROPOSITIO.

Christus, ut homo, est adorandus; seu, *humana Christi natura ut conjuncta Verbo, unâ et eâdem adoratione colenda est.*

Prob. 1.° *ex Script.* Philip. c. 2, ℣. 8, 9, 10: Christus *factus* est pro nobis *obediens usque ad mortem;.. propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum:* atqui ibi disertè declarat Apostolus Christo homini supremum cultum exhibendum esse, Christus enim non potuit exaltari ut Deus, sed prout est homo. Apocal. c. 5, ℣. 12: *Dignus est,* ait Joannes, *Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem... et honorem et gloriam et benedictionem.* Itaque, juxta Apostolum, Agnus occisus supremo latriæ cultu, qui hic manifestè exprimitur, dignus est: atqui Agnus ille occisus non alius est quàm Christus homo; si quidem occidi non potuit ut Deus; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex definitione Concilii Lateranen-*

sis I, anno 469, sub Martino I : *Si quis... non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod ab initio sanctæ Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.*

Prob. 3.° *ex SS. PP.* quorum omnium instar sit S. Athanasius, Epist. ad Delphium, n. 3 : *Rem creatam non adoramus, absit : Ethnicorum et Arianorum est hujusmodi error; sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus... Neque verò hujusmodi corpus à Verbo dividentes adoramus; neque cùm Verbum volumus adorare, ipsum à carne removemus.*

Dices : Humanitas Christi non est Deus; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Humanitas Christi non est Deus, sed Deo jungitur hypostaticè, *conc.*; secùs, *nego.* Porrò non adoramus humanitatem Christi seorsìm à Verbo spectatam, sed prout ipsi conjungitur, ut modò dicebat S. Athanasius, adeò ut adoratio quam Christo, ut homini, tribuimus, ipsimet Verbo, naturam humanam ultimò complenti, exhibeatur.

Inst. Saltem humanitas Christi seorsìm à Verbo spectata, adorari non potest.

Resp. ejusmodi separationem fieri non posse; non enim separari debent quæ inseparabiliter unita sunt, maximè cùm talis per abstractionem separatio fieri nequeat, quin humana Christi natura consideretur ut persona humana, quod Nestorianum est.

ARTICULUS II.

De Cultu Sanctorum.

Lutherani, Calvinistæ, aliique Novatores qui

Ecclesiam seculo XVI vexàrunt, nefas esse contendunt religiosum aliquem cultum Sanctis cum Christo regnantibus exhibere, et eos tanquam apud Deum intercessores invocare; eà nimirùm consuetudine dignitatem Christi *mediatoris* plurimùm imminui dictitantes. Hic autem non agitur de supremo latriæ cultu, quem soli Deo debitum esse toties Christiani testati sunt, ut Hæreticorum et Gentilium calumniam repellerent, à quibus velut idololatriæ rei, eam ob causam, traducebantur, quòd Sanctos religiosè colerent: quam calumniam renovare Lutheranos, et Calvinistas non puduit.

PROPOSITIO PRIMA.

Licitum est Sanctos aliquo Cultu religioso prosequi.

Prob. 1.° *ex Script.* quæ fidem faciunt viros maximè pios Angelis sub humanâ specie conspicuis cultum religiosum exhibuisse. De Josue sic narratur, Jos. c. 5, ℣. 15: *Cecidit pronus in terram, et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Porrò adoratio, à Josue Angelo exhibita, religiosus fuit cultus quo se revereri testabatur eximiam illam sanctitatem, eas dotes *supernaturales* per quas Angeli intimè cum Deo conjunguntur: atqui eadem est ratio de hominibus beatis, ac de Angelis; ergo pariter licitum est Sanctos cum Christo regnantes religioso aliquo cultu prosequi.

Prob. 2.° Ille cultus legitimus est, qui in Ecclesiâ, vel à primis ipsius incunabulis, semper viguit: superbissimæ enim insaniæ est, juxta Augustinum, id arguere quod Christi sponsa, quæ columna est ac firmamentum veritatis, sem-

per et ubique agere consuevit : atqui Sanctorum cultus in Ecclesiâ, vel à prioribus seculis, semper invaluit. Rem ita esse testantur, 1. festa in Sanctorum honorem antiquitùs instituta; nam constitutionibus apostolicis, quarum auctor, quisquis ille sit, primis Ecclesiæ seculis floruit, fidelibus præcipitur, lib. 8, cap. 33, ut in diebus S. Stephano aliisque Martyribus consecratis, abstineant ab operibus quæ servilia dicuntur : *In die autem Stephani Proto-Martyris vacent, ac reliquis diebus sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt.* 2.° Idem testantur templa in Sanctorum memoriam iis etiam temporibus erecta, quibus fatentur heterodoxi purissimam seu omnis labis expertem fuisse Ecclesiam : Patres enim Concilii Ephesini, scribunt se convenisse *in sanctissimâ Ecclesiâ quæ dicitur Mariæ.* Patres Chalcedonenses in actis Concilii, anno 451, dicuntur congregati *in Martyris sanctissimæ Euphemiæ Ecclesiâ.* 3. Ejusdem consuetudinis antiquitas patet ex Patribus, qui de Sanctorum cultu scripsêre : *Populus Christianus,* inquit S. Augustinus, lib. 2 contra Faustum, *memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat.* S. Hieronymus, Epist. ad Riparium : *Honoramus servos,* inquit, *ut honor servorum redundet ad Dominum.* Eam autem de cultu Sanctorum doctrinam, præfati Patres non ut novam, sed ut antiquitùs in Ecclesiâ receptam tradiderunt; ergo, etc.

Obj. 1.° Cultus religiosus qui creaturæ exhibetur, mera est idololatria : atqui Sancti meræ sunt creaturæ; ergo qui ipsis exhibetur cultus religiosus, vera est idololatria.

Resp. Dist. maj. Cultus supremus sive latriæ,

conc.; cultus inferioris ordinis sive duliæ, *nego.* Porrò non ea est Ecclesiæ mens, ut Sanctis cultus supremus exhibeatur, quem soli Deo reservat: Sanctos colit tanquam Dei servos et amicos, solum autem Deum adorat tanquam supremum Dominum. Idem idololatriæ crimen, longè ante recentiores Hæreticos, Catholicis imposuerat IV seculo Vigilantius, quem sic refellit Hieronymus: *Quis enim, ô insanum caput, aliquandò Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Eamdem calumniam à Fausto Manichæo Ecclesiæ impactam sic depellit S. Augustinus, lib. 2 contra Faustum: *Nobis calumniatur Faustus quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse.* Deindè fatetur quidem ab Ecclesiâ coli Sanctos ut eorum orationibus adjuvetur, sed negat ipsis latriæ cultum deferri, idque ex eo probat, quòd Sanctis sacrificium ab Ecclesiâ non offeratur: *Quis enim Antistitum...... assistens altari aliquandò dixit: Offerimus tibi, Petre aut Paule?.... sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit.* Rem totam breviter paulò post sic conficit: *At cultu qui græcè Latria dicitur,.. cùm sit quædam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

Obj. 2.° *Soli Deo,* inquit Apost., I Timoth. c. 1, ℣. 17, *honor et gloria;* ergo solus Deus religiosè colendus est.

Resp. Nego cons. Ea quippe est Apostoli mens, ut supremum latriæ cultum soli Deo vindicet; sed non excludit cultum inferioris ordinis, quo Sanctos prosequimur; siquidem ait Rom. c. 2, ℣. 10: *Gloria et honor omni operanti bonum;*

non igitur quemlibet honorem, sed divinum duntaxat à creaturis submovet.

Obj. 3.° Angelus non permisit ut à Joanne adoraretur : *Vide*, inquit, *ne feceris ; conservus tuus sum.... Deum adora*, Apocal. c. 19, ℣. 10: atqui certè Joanni mens non erat, honorem divinum Angelo deferre, sed honorem tantùm inferioris ordinis; ergo ne quidem hunc honorem licet Sanctis impertiri.

Resp. Dist. maj. Non permisit præ modestiâ, *conc.;* quia ut illicitum damnavit cultum etiam inferioris ordinis, *nego*. Ex humilitate et modestiâ non permisit Angelus ut eum Joannes adoraret, id est, ante eum procumberet; non autem ita se gessit quia hujusmodi reverentiam ut illicitam habuit; nam Apocal. c. 22, Joannes iterùm voluit Angelum adorare : atqui profectò illud denuò non tentasset, si adorationem hanc tanquam illicitam sibi prohiberi credidisset.

Respondent alii cum S. Aug. Angelum sic Joanni apparuisse, ut potuerit existimari Christus, quare monendus fuit S. Joannes ne cultum latriæ exhiberet.

Obj. 4.° Concilium Laodicenum, can. 35, cultum et invocationem Angelorum ut veram idololatriam reprobat; ergo, etc.

Resp. Nego cons. Namque ibi non condemnatur cultus Angelorum qualis ab Ecclesiâ Catholicâ admittitur, sed meritò proscribitur nefanda hæresis Simonis Magi et Angelicorum, qui docebant cultum latriæ Angelis esse rependendum tanquam diis minoribus, per quos locuti fuerant olim Prophetæ, et per quos solos Deus placari posset. De quibus vide S. Epiph., Hæresi 60, et S. August., Hæresi 39.

PROPOSITIO II.

Sanctos in cœlis regnantes invocare licitum est.

Prob. 1.° *ex Script.* Illud licitum est, quod à viris eximiâ pietate conspicuis factum esse, et quidem sine ullâ reprehensione, in Scripturis legitur : atqui multa in Scripturis reperire est exempla hominum pietate insignium qui Angelos invocârunt. Sic Jacob ab Angelo benedictionem petiit et impetravit, Genes. c. 32, ℣. 26. Sic idem Patriarcha Angeli patrocinium pro filiis Joseph apprecatur : *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis ;* ibid. c. 48, ℣. 16. Ergo licitum est Angelos, ac proindè Sanctos in cœlis regnantes, invocare.

Prætereà, Deus ipse amicos Job ad preces ejus confugere jubet, ut veniam obtineant : *Ite ad servum meum Job... ; orabit pro vobis*, Job, c. 42, ℣. 8. Apostolus fidelium preces sic implorat, Rom. c. 15, ℣. 30 : *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et I Thessal. c. 5, ℣. 25 : *Fratres, orate pro nobis :* atqui si licitum est ad viros sanctos in terris militantes confugere ut pro nobis apud Deum intercedant, quantò magìs ad Sanctos cum Christo in cœlis triumphantes! Quia si potuerunt nobis apud Deum succurrere, cùm hic erant peregrini, quantò magìs nunc poterunt in patriâ, *ubi copiosa eorum turba*, inquit S. Cyprianus, lib. de Mortalitate, sub finem, *jam de suâ incolumitate secura et adhuc de nostrâ salute sollicita est!*

Prob. 2.° Id sanè licitum est, quod universa

non semel approbavit Ecclesia : atqui Sanctorum invocationem non semel approbavit universa Ecclesia, in Conciliis generalibus congregata. In Chalcedonensi, actione 11, de S. Flaviano dicitur : *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* In Concilio Nicæno II, quod est generale septimum, sic hortantur Patres, actione 6 : *Cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ.... Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, et simul omnium Sanctorum.* Concilium Tridentinum, sessione 25, decret. de Vener. et Reliq. Sanct., adversùs recentiores Hæreticos statuit, *bonum atque utile esse suppliciter Sanctos invocare, et ob beneficia impetranda à Deo... ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.*

Obj. 1.° Ille solus invocari debet, in quem credimus; juxta illud Apostoli, Rom. c. 10, ℣. 14 : *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* atqui in Deum solum credimus; ergo solus Deus invocari debet.

Resp. 1.° Argumentum illud nimis probare : nam indè sequeretur, licitum non esse invocare Sanctos qui adhuc in terris militant; sic enim argumentabitur aliquis : Solus ille invocari debet, in quem credimus : atqui in solum Deum credimus, non autem in Sanctos qui adhuc in terris peregrinantur; ergo non licet eos invocare; toties igitur peccavit Paulus, quoties fidelium preces imploravit.

Resp. 2.° ad rem non pertinere objecta Apostoli verba; cùm enim ait : *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* hoc unum significat eò loci, priùs esse Deum cognoscere et in eum

credere, quàm ipsum invocare : atqui illud ad præsentem controversiam nihil attinet, idque libenter confitemur; ergo, etc.

Obj. 2.° Nefas est alium Dei et hominum mediatorem agnoscere, præter Christum. *Unus enim Deus*, ait Apostolus, I Timoth. c. 2, ℣. 5, *unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus :* atqui, si licitum est Sanctos invocare, multi erunt mediatores, intercessores et advocati apud Deum; ergo Sanctos invocare non licet.

Resp. Dist. maj. Qui sit mediator in eodem gradu, *conc.;* in diverso gradu et longè inferiori, *nego*. Christus sanè eo sensu solus est Dei et hominum mediator, quòd eximio et singulari quodam modo intercessoris functionem apud Deum exerceat. Cùm enim Deus sit et homo, non oratione tantùm, sed propriis meritis, hominem cum Deo reconciliavit; ipse pro nobis mortuus est, et irato Numini satisfecit, nos dato pretio redemit; ab eo tanquam à fonte derivatur quidquid gratiæ nobis largitur Deus. Porrò solus Christus præstantissimà hàc ratione mediatoris titulum sibi vindicare potest. Quo sensu accipiendus est Apostoli textus; post hæc enim verba, *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, ista subjicit, ℣. 6 : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Sed illud non obstat quominùs quilibet è Sanctis cum Christo regnantibus, mediatoris, id est, patroni et advocati officium impleat in gradu longè inferiori; eo nempè sensu, quòd Christi nomine Deum supplices orent, ut propter Christi merita hominibus ea quibus indigent auxilia largiatur : quo ministerio nedùm Sancti gloriam Christi imminuant et obscurent, eam potiùs commendant, cùm

nihil aliud quàm Christi merita Deo Patri offerant.

Hæc interpretatio Scripturis accommodata est, quæ mediatoris nomen aliis, præter Christum, hominibus tribuit. De seipso sic loquitur Moyses, Deuter. c. 5, ℣. 5 : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos.* Mediatoris titulum Apostolus ipse eidem Moysi adscribit, cùm ait, Galat. c. 3, ℣. 19, legem ordinatam fuisse *per Angelos in manu mediatoris*, nempè Moysis.

Cæterùm, moneantur fideles ne præ nimiâ in Sanctos confidentiâ, sibi in animum inducant se ex hâc vitâ sine pœnitentiâ et sacramentis non migraturos esse, si huic aut illi Sancto cultum impenderint assiduum, quamvis ad illius exemplum mores componere non studeant. Quâ de re audiamus Concilium Cameracense, titul. de Sanctis, cap. 16 : *Doceatur populus... abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certò pollicentur non ex hâc vitâ migraturos sine pœnitentiâ et sacramentis eos qui hunc illumve ex Divis coluerint.* Infixam animo teneant Fideles celebrem hanc Augustini sententiam, Serm. 325 : *Martyres honorare et non imitari, nihil aliud est quàm mendaciter adulari.* Qui temerè sibi persuadent se non morituros quin pœnitentiam egerint, quia nonnullis Sanctis externum cultum exhibent, hujusmodi homines, inquam, meminerint Deum, juxta Scripturas, eos imminente morte irrisurum esse, qui ipsius præcepta neglexerint : *Ego autem in interitu vestro ridebo et subsannabo*, Prov. c. 1, ℣. 26.

ARTICULUS III.

De Cultu Crucis.

Quæstio movetur de verâ cruce in quâ passus

est Christus, de veræ crucis imaginibus, et de signo crucis. Centuriatores Magdeburgenses affirmant veram crucem à tempore passionis Christi periisse ; cæterùm, etsi servata fuisset, nullo cultu prosequendam. Negant etiam Protestantes veræ crucis imagines licitè posse venerari, signumque crucis è scholà Montanistarum prodiisse contendunt. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Crux, sive vera, sive picta et sculpta, sive manu expressa, licitè coli potest.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Usu Ecclesiæ universalis*, quæ veram crucem ab Helenâ Constantini matre, anno 326, inventam singulari honore semper prosecuta est. Hujus rei testes appello S. Cyril. Jerosol. in Epist. ad Constantinum Imperatorem et Catechesi 4 et 43, ubi refert Christianos ex omnibus orbis partibus ad adorandam crucem Jerosolymam confluere solitos; S. Ambros. in Oratione Theodosii Magni; S. Paulinum, Epist. 11 ad Severum Sulpitium, in quâ testatur Ecclesiam instituisse festum in memoriam crucis per Helenam mirabiliter inventæ; Sulpitium Severum, lib. 2 Hist. sacræ; Ruffinum, lib. 1 Hist.; Theodoretum, lib. 1 Hist.; Socratem, lib. 1, cap. 13; et Sozomenum, lib. 1, cap. 1.

2.° *Ratione theologicâ.* Etenim si sudaria et semicinctia S. Pauli à fidelibus honorabantur quia ipsum tetigerant, quantò magis honorari debet crux in quâ Christus Deus pependit et mortuus est, quæque fuit nostræ salutis instrumentum.

Prob. 2.ª *pars*, de crucis imaginibus. 1.° *Ex constanti et universali Ecclesiæ usu*, quem testantur S. Chrysost. Hom. 61; Theodoretus

Serm. 6, contra Græcos, in quo ait: *Græci, Romani ac Barbari crucifixum profitentur Deum, crucisque signum venerantur.* S. Aug. Serm. 88 aliàs 18, de Verbis Domini, cap. 8: Deus *honoravit crucem in hoc seculo. Quod magnâ cum insultatione Judæi Domino procurârunt, magnâ fiduciâ servi ejus, etiam reges, in fronte nunc portant.* Res adeò aperta est, ut ipsi Iconoclastæ honores veræ cruci impendi solitos, illibatos servârunt, ut constat ex Nicephoro et S. Joanne Damasceno, lib. 2 de Imaginibus.

2.° Ex iisdem momentis quæ probant cultum imaginum licitum esse, ut dicemus infrà.

Prob. 3.ª *pars*, de signo crucis manu expresso. Etenim illius signi usus laudabilis est, quem Ecclesia ab exordio semper probavit, et quem Deus multis miraculis commendavit: atqui talis est usus signi crucis, ut constat ex Tertulliano, qui lib. de Coronâ militis, cap. 3, sic habet: *Ad omnem progressum, ad omnem aditum et exitum, ad lavacra, ad mensas, quocunquè nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus;* ex Origene, Tertulliano coævo, qui Hom. 6 in Genesim et cap. 6 in Exod., asserit signum crucis habere vim fugandi dæmones; ex S. Greg. Naz. Orat. 3, ubi refert ipsum Julianum Apostatam territum, signo crucis fugasse dæmones; et S. Athanasio, qui in vitâ S. Antonii narrat sanctum Anachoretam solitum armari signo crucis adversùs insidias dæmonum; et S. Basilio, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27; et ex aliis, quos hic proferre longum foret. Porrò, ut ait S. Aug. lib. 4 contra Donat.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ tra-*

ditum rectissimè creditur; ergo usus signi crucis non ex scholà Montani, ut calumniantur Novatores, sed ab Apostolis prodiit.

Dices contra 1.^{am} *partem:* Indecorum est filio probrosum honorare patibulum in quo pater interiit; ergo, etc.

Resp. hanc esse Judæorum et Gentilium impietatem, quibus crux Christi scandalum erat et stultitia, ipsis autem vocatis Judæis et Gentilibus, Dei virtus, trophæum Christi victoris, cathedra docentis et tribunal judicis, ex quà *expolians principatus et potestates, palàm* triumphavit *illos in semetipso.* Coloss. c. 2, ℣. 15.

Quæres quisnam sit cultus quem Ecclesia cruci exhibet.

Resp. esse cultum latriæ *relativum.* Adoratio quippe quæ cruci exhibetur, non ad ipsam crucem, sed ad Christum in cruce pendentem, quem crux nobis repræsentat, tota refertur. Undè cùm Ecclesia canit: *O crux, ave, spes unica! O crux adoranda!* hæc significant, O Christe pendens in ligno, spes unica! O Christe adorande! Ita intelligunt omnes suæ religionis non ignari.

ARTICULUS IV.

De Cultu Reliquiarum.

Reliquiarum nomine, non tantùm Sanctorum corpora, ossa et cineres intelliguntur, sed etiam vestes et alia quibus, cùm viverent, utebantur. Adversùs reliquiarum cultum IV seculo librum scripsit Vigilantius. In eumdem errorem posteà lapsi sunt Lutherani et Calvinistæ, qui illud potissimùm in Catholicis reprehenderunt, quòd Sanctorum ossa et cineres in veneratione habeant.

PROPOSITIO.

Sanctorum Reliquias honorare licet.

Prob. 1.° Ea colere licitum est, quæ Deus honoravit, et variis miraculis commendavit: atqui, tum in Scripturis, tum apud SS. PP. legitur, Deum Sanctorum mortuorum reliquias honorasse, et crebris commendasse miraculis. Sic de Josepho dicitur, Eccli. c. 49, ℣. 18: *Ossa ipsius... post mortem prophetaverunt.* Voluit Deus ut aquæ Jordanis Eliæ pallio percussæ, in gratiam Elisei dividerentur, IV Reg. c. 2, ℣. 8. Deus insigni prodigio cadaver Elisei illustravit, cùm ad ejus contactum vitam mortuo restituit, ibid. c. 15, ℣. 21. S. Ambrosius, Epist. 22 ad sororem suam, refert se, Deo revelante, SS. Gervasii et Protasii corpora Mediolani reperisse, eorumque contactu sub ipsius oculis patrata esse miracula. S. Augustinus, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 8, narrat prodigia quæ per reliquias S. Stephani, non ita pridem repertas, edita fuerunt, et quorum oculatus testis fuit. Ergo Deus Sanctorum reliquias multis miraculis commendavit; ergo eas colere licitum est.

Prob. 2.° Cultus ille pius est ac legitimus, qui vel à prioribus Ecclesiæ seculis, quæ tanti se facere profitentur Pseudo-Reformati, floruit: atqui cultum Sanctorum reliquiis exhibitum, vel à prioribus Ecclesiæ seculis viguisse ex Veterum scriptis compertum est. Nam Eusebius sic narrat, Hist. lib. 7, cap. 19: *Sanè Jacobi illius Cathedram qui primus Hierosolymorum Episcopus est constitutus... ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ magnâ prosequuntur reverentiâ.* Cùm Polycarpus Martyr

anno Christi 163 occubuisset, Judæi Proconsuli suaserunt ne cadaver illius donaret fidelibus, *ne fortè.... illud deinceps Christiani colere inciperent;* ibid. lib. 4, cap. 15. Judæis igitur persuasum erat, secundi seculi Christianos Martyrum reliquiis cultum religiosum impendere. Ecclesia Smyrnensis scripsit se Martyris ossa collegisse, quæ opportuno tempore publicè colerentur.

S. Augustinus, Epist. 212, Quintiliano commendans Gallam et Simpliciolam : *Portant secùm,* inquit, *reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos scimus, quàm convenienter honorare debeatis.* Innumera alia prætermittimus SS. PP., Scriptorumque ecclesiasticorum testimonia, apud quos frequens occurrit mentio venerationis religiosæ, quà per totum orbem Christianum exceptæ sunt reliquiæ Sanctorum.

Dices : Deus occultum esse voluit corpus Moysis, ne Judæi illud colerent; ergo Deus Reliquiarum cultum improbat.

Resp. Dist. ant. Ne Judæi illud colerent cultu latriæ, *conc.;* cultu duliæ, *nego.* Quia Judæi in idololatriam erant propensissimi, Deus voluit corpus Moysis delitescere, ne supremum latriæ cultum, soli Deo debitum, in ipsum transferrent; ad illam idololatriam eò faciliùs adducti fuissent, quòd Moyses stupenda tum in Ægypto, tum in deserto miracula patraverat : eximium illum legislatorem, cùm viveret, non adoraverant, quia ipsis prædicabat hujusmodi prodigia unius Dei virtute facta esse; cessante autem illâ admonitione, in eam idololatriam facilè lapsi fuissent, ut ipsis posteà contigit erga serpentem æneum, cujus aspectu sanati fuerant, et quem eam ob causam confregit Rex Ezechias.

ARTICULUS V.

De Cultu imaginum.

Inter eos qui imaginibus bellum indixêre, nullus est qui in eas atrociùs fuerit debacchatus, quàm Leo Isauricus, Orientis Imperator. Anno 730, publico edicto jussit omnes imagines à templis submoveri, earumque usum aboleri, et multos ipsarum defensores martyrio exstinxit : undè *Iconomachus* fuit appellatus. Hujus filius Constantinus Copronymus, imperii et impietatis paternæ hæres, coacto 338 Episcoporum Concilio, nefandum patris sui adversùs imagines decretum anno 754 confirmavit.

Copronymo successit Leo ejus filius, qui pari in sanctas imagines odio desæviit. Post Leonem imperavit Constantinus cum Irene matre suâ, à quibus restitutus est imaginum cultus : eam ob causam congregandum curaverunt Concilium generale VII, anno 787, quod Constantinopoli inceptum, Nicææ absolutum est. Ibi autem sancitum fuit, sanctas imagines venerandas esse; qui autem aliter sentirent, anathemate percussi sunt. Exstinctam Iconoclastarum hæresim rursùs excitârunt seculo duodecimo Albigenses; decimo quarto, Wiclefitæ; decimo sexto, Lutherani et Calvinistæ. Contra quos sit sequens

PROPOSITIO.

Licitus est Imaginum Cultus.

Prob. 1.° *ex Script.* Plurima enim subministrat rerum exempla, quæ licèt inanimatæ, in maximâ veneratione habitæ sunt, approbante vel etiam jubente Deo : unum duntaxat, sed insigne exemplum proferemus. Quibus honoribus deco-

rata fuerit Arca Domini nemo nescit : *Separavit Moyses tribum Levi, ut portaret Arcam Domini,* Deuteron. c. 10, ℣. 8. Cùm portaretur Arca, *cavete*, aiebat Josue, *ne appropinquetis ad Arcam*, Josue c. 3, ℣. 4. *Josue pronus cecidit in terram coram Arcâ Domini usque ad vesperam, tam ipse, quàm omnes senes Israel,* ibid. c. 7, ℣. 6. Cùm Oza manum suam ad Arcam, ne fortè caderet, admovisset, *percussit eum Dominus super temeritate,* II Reg. c. 6, ℣. 7. Ibidem narratur quàm insigni pompâ David Arcam in civitatem Sion transferri curaverit. Cur autem licitum erat Judæis Arcam, licèt inanimam, tantoperè venerari ? nonne quia Religionis instrumentum fuit, et quia ad ipsius conspectum procumbere, nihil aliud erat quàm Deum ipsum, quem in memoriam revocabat, adorare ? atqui de imaginibus Christi vel Sanctorum non aliud dicimus aut sentimus. Ideò quippe honores ipsis impendimus, quia ad alia referuntur, quæ sancta sunt et veneratione dignissima ; ergo licitus est earum cultus, nec idololatriam sapit.

Prob. 2.° *ex Conciliorum generalium Decretis.* Synodus Nicæna II, quæ est generalis VII, anno 787, sic pronuntiat actione 7, tom. 7 Concil. : *Sequentes divinitùs inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et Catholicæ Traditionem Ecclesiæ... definimus... sicut figuram pretiosæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas Imagines proponendas... congruenter ac sanctis Dei Ecclesiis.*

Concilium Tridentinum, aliorum vestigiis inhærens, fidem Ecclesiæ perspicuè exponit, definitque Sess. 25, Decret. de Vener. et reliq. Sanct., *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum*

Sanctorum in templis præsertìm habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis aliquid sit petendum; vel quòd fiducia sit in Imaginibus figenda, veluti olìm fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant : sed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant : ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus... procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

Prob. 3.° *Rationibus theolog.* 1.ª Deus in gratiam cultûs imaginum plurima patravit miracula, quæ in septimâ Synodo generali referuntur : atqui Deus summè verax, summè sanctus, cultum impium miraculis confirmare non potest; ergo cultus imaginum pius est ac laudabilis. 2.ª Cùm honore dignus est aliquis, eumdem sibi vindicant ipsius imagines : sic quia Rex vel Imperator cultu civili dignus est, ejusmodi cultus ipsius imaginibus impenditur; *nam qui adorat imaginem, in ipsâ adorat Imperatorem,* ait S. Athanasius, Orat. 3 contra Arianos, n. 5 : atqui Christus et Sancti religioso cultu digni sunt, ut suprà probavimus; ergo et ipsorum effigies ac imagines. 3.ª Ecclesiæ de imaginum cultu doctrina in eo posita est, quòd res quasdam creatas et inanimas aliquâ veneratione prosequamur, quia alterius rei per se venerabilis sunt signa, illiusque memoriam revocant : atqui hoc ipsum admittunt Calvinistæ, qui nostras imagines tanto cum studio rejiciunt. Nonne enim censent Eucharistiam meram esse imaginem et figuram corporis Christi,

meramque et inanimatam panis substantiam? atqui tamen Eucharistiæ cultum, honorem et reverentiam deberi unanimes docent : Albertinus, lib. 2 de Euchar., pag. 432, præcipit *ut suscipiatur reverenter;* Catechismus Genevensis, *ut dignè et reverenter;* Belgica Confessio, *cum summâ humilitate et reverentiâ;* ergo si constare sibi velint, fateantur necesse est religiosum quemdam cultum imaginibus exhiberi posse, citra ullam superstitionis et idololatriæ labem.

Obj. 1.° Ille cultus non est licitus, quem Deus prohibuit : atqui Deus cultum imaginum prohibuit, Exod. c. 20, ℣. 4 : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem;* ergo cultus imaginum licitus non est.

Respondent nonnulli, eum duntaxat imaginum cultum à Deo Judæis fuisse prohibitum, qui sit latriæ, solique Deo debitus. Illud, inquiunt, colligitur, tum ex his verbis antecedentibus, ℣. 3 : *Non habebis Deos alienos coram me : non facies tibi sculptile,* etc.; tum ex his consequentibus, ℣. 23 : *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis;* tum ex isto mandato, Levit. c. 26, ℣. 1 : *Non facietis vobis idolum et sculptile,... nec lapidem ponetis.... ut adoretis eum.* Aliis probabilius videtur omnem cujuscunque imaginis usum et cultum fuisse Judæis vetitum, ad removendam scilicet idololatriæ occasionem, in quam eos propensissimos esse Deus noverat; idque inferunt, tum ex ipso Judæorum testimonio, tum ex moribus Judæorum, de quibus consule Josephum, lib. 2 de Bello Judaico, et lib. 17 Antiquit.

Sed quidquid sit de hâc controversiâ, certum est nihil ex prohibitione Judæis factâ colligi posse

adversùs hodiernam Ecclesiæ de retinendis et colendis imaginibus consuetudinem, quia nimirùm lex illa non fuit nisi ad tempus instituta, ob idololatriæ periculum, ad quam maximè proclives erant Judæi. Quinimò Deus ipse huic legi derogavit, siquidem serpentem æneum erigi jussit, Numer. c. 21, ℣. 8, ut qui eum inspicerent, à serpentium morsibus sanarentur. Duo etiam Seraphim super arcam poni voluit, ibid. c. 25. Alia duo addidit Salomon quorum altitudo erat decem cubitorum, II Reg. c. 6; potuit igitur Ecclesia, sublato idololatriæ periculo, imagines colendas proponere; quemadmodùm potuit à lege abstinendi sanguine et suffocato Christianos eximere.

Obj. 2.° Concilium Eliberitanum in Hispaniâ, circa annum 300 celebratum, statuit, can. 36, *picturas in Ecclesiâ esse non debere*; ergo imaginum cultum non habuit ut licitum.

Resp. Dist. ant. Quia locus et tempus id postulabant, *conc.*; quia illicitus est imaginum cultus, *nego.* Ita se gessisse videtur Concilium Eliberitanum, quia tunc idololatriæ periculum probabiliter imminebat. Nam in plerisque illius Synodi actis, de iis agitur qui in idololatriam lapsi erant; exigebat igitur temporis ratio, ut imaginum usus à templis submoveretur : nihil est autem in prædicto Synodi decreto, undè colligi possit Patres Eliberitanos cultum imaginum habuisse ut illicitum.

Obj. 3.° In Concilio quod sub Constantino Copronymo Constantinopoli anno 754 celebratum est, decretum fuit ex omnibus templis et domibus privatis auferendas esse imagines, nullumque omninò cultum iis sine idololatriâ posse

exhiberi : atqui Concilium illud maximæ auctoritatis esse debet, cui interfuère Episcopi 338; ergo, etc.

Resp. Nego min. Conventus enim ille merum fuit conciliabulum, et nullius planè auctoritatis : 1.° quia *eam Synodum non receperunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt; non habuit adjutorem..... Papam,... sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ ac S. Civitatis,* id est, Hierosolymæ; Act. 6, Concil. VII, t. 7 Concil. 2.° Quia Imperator in sanctas imagines furibundus, è cujus nutu omnia suspensa erant, Præsulum libertatem violavit. 3.° Quia ejusdem Synodi acta à Stephano Papâ rescissa sunt, à tribusque simul orientalibus Patriarchis, et postmodùm ab universâ Ecclesiâ in septimo Concilio generali.

Obj. 4.° Concilium Francofordiense, anno 794, septimam Synodum, id est, Nicænam secundam, ideò damnavit, quòd cultum imaginum approbasset, et consentientes habuit tum Adrianum I, Papam, tum omnes Episcopos qui sub Caroli Magni ditione erant; ergo licitus non est imaginum cultus.

Resp. Nego ant. Concilium enim Francofordiense Synodum Nicænam secundam non propterеà damnavit, quòd ab eà probaretur cultus imaginum; sed quia errore facti credidit à Patribus Nicænis absolutum latriæ cultum imaginibus decerni. Huic errori occasionem dedit actorum Synodi Nicænæ in latinum sermonem mendosa conversio. Nam Constantinus Cypri Episcopus catholico certè sensu dixerat actione 3, tom. 7 Concil. : *Ego....* (*his decretis*) *consentio, susci-*

piens et honorabiliter amplectens sanctas et venerabiles imagines : atque adorationem per latriam... soli Trinitati impendo. Infidus autem interpres hanc confessionem sic latinè reddiderat : *Suscipio et amplector sanctas et venerabiles imagines, secundùm servitium adorationis, quod Trinitati emitto.*

Vitiosâ hâc versione delusi Patres Francofordienses, Synodum Nicænam rejecerunt, non quia imagines colendas statuerat ; sed quia videbatur eum cultum imaginibus asserere, qui soli Trinitati deferri potest ; sic enim habet Concilium Francofordiense, tom. 7 Concil. : *Allata est in medium quæstio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus... fecerunt, in quâ scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati,... adorationem non impenderent, anathema judicarentur.*

Quòd si reponatur non facilè concipi quomodò PP. Francofordienses, præsentibus imò et præsidentibus Legatis Papæ Adriani, Nicænum Concilium œcumenicum respuerint, respondebimus Adrianum Papam nondùm confirmasse hanc Nicænam Synodum, quæ cæteroquin ab Ecclesiâ Occidentali non fuerat acceptata, ut eruitur ex litteris ejusdem Sum. Pontificis ad Carolum magnum. Conc. Labb., tom. 7, col. 962.

Obj. 5.° famosos quatuor libros qui *Carolini* nuncupantur, ex eo quòd vel ab ipso Carolo Magno, vel illius jussu conscripti fuerint. In his autem libris pius Imperator, consentientibus omnibus ditionis suæ Præsulibus, in Synodum Nicænam acerrimè invehitur, et quemlibet cultum imaginibus abjudicat ; ergo Ecclesia Gallicana hujusmodi cultum ut illicitum reprobavit.

Resp. Nego ant. Librorum Carolinorum auctor, quisquis ille sit, in eo maximè Patres Nicænos redarguit, quòd errore facti putaverit eos latriæ cultum imaginibus deferre, qui primo Decalogi mandato præcipitur; sic enim habet lib. 1, cap. 2, et lib. 4, cap. 17 : *Non mediocris est error, cùm aliud adoratur religionis cultu, quàm is qui dixit : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Quis unquàm sani capitis dixerit, vel dicenti consenserit, ut... tale servitium exhibeatur picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ?*

Auctor verò nequaquàm omnem penitùs honorem ac reverentiam sanctis imaginibus denegat. Ita quippe declarat, lib. 3, cap. 16, n. 81 : *Nihil nos in imaginibus spernamus præter adorationem.* Porrò qui nihil in imaginibus spernit, præter *adorationem*, is profectò omnem cultum religiosum ab illis non excludit.

Inst. Carolinorum librorum auctor eâ tantùm lege patitur imagines in templis collocari, ut nullus ipsis exhibeatur cultus : *omni*, inquit, lib. 2, cap. 21, *suî culturâ et adoratione seclusâ;* ergo omnem ex imaginibus cultum excludit.

Resp. Nego ant. Hæc enim verba, *omni suî culturâ*, de cultu latriæ intelligit auctor : semper enim, et maximè in toto cap. 21, lib. 2, cultùs nomen usurpat pro adoratione soli Deo debitâ : *Solum namque Deum*, ait ibidem, *colere, adorare, totius divinæ Scripturæ tuba terribilis intonat.*

Obj. 6.° Synodus Parisiensis jussu Ludovici Pii Regis anno 824 convocata, et in Concilium Nicænum II et in cultum imaginum invehitur; ergo eum damnavit ut illicitum.

Resp. Dist. ant. In cultum imaginum immoderatum, *conc.;* legitimum et moderatum, *nego.* Ideò scilicet Præsules Gallicani Synodum Nicænam carpunt et vellicant, quòd antiquis præjudiciis decepti, existimarent Patres Nicænos cultum latriæ Deo soli debitum in imagines transtulisse, in iisque sanctitatis conferendæ virtutem, quæ uni Deo competit, agnovisse; de Græcis enim sic statuunt in Epistolâ ad Ludovicum Pium, Concil. Gall. Suppl. pag. 109, col. 1: *Isti non mediocriter errârunt, qui eas non solùm coli et adorari sanxerunt; verùm etiam sanctimoniam ab iis adipisci posse professi sunt.* Sui igitur officii esse judicabant, illos nimiùm effusos honores compescere; sed ita tamen, ut à moderato imaginum honore se non alienos ostenderent: sic enim loquuntur in eàdem Epistolâ ad Ludovicum Pium: *Imagines Sanctorum stultâ præsumptione non sunt confringendæ, et ad injuriam Sanctorum abolendæ; nec assertione superstitiosâ colendæ aut adorandæ; sed potiùs, hujuscemodi superstitione remotâ, juxta veram Religionem, memoriæ et amoris causâ, ob recordationem eorum quorum imagines sunt, habendæ.* Non igitur quemlibet imaginum cultum rejicit Synodus Parisiensis, sed immoderatum duntaxat et superstitiosum, quem errore facti Græcis imputabat.

FINIS TOMI II.

INDEX TOMI II.

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI.

TRACTATUS

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

TRACTATUS

DE SS. MYSTERIO INCARNATIONIS.

FINIS INDICIS.